CURSUS
SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. LEO XIII,

UT OPUS HOC SANCTITATI SUAE DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT
AC PRIORA EIUS VOLUMINA VIGINTI TRIA SIBI OBLATA
HONORIFICENTISSIMO CHIROGRAPHO COMMENDARE DIGNATUS EST.

PARS PRIOR

LIBRI INTRODUCTORII

II. 1.

INTRODUCTIO SPECIALIS IN VETERIS TEST. LIBROS
HISTORICOS

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

HISTORICA ET CRITICA

INTRODUCTIO

IN

U. T. LIBROS SACROS

PRAELECTIONES

QUAS

IN GERMANIA, IN COLLEGIO B. M. V. AD LACUM

ET

ROMAE, IN UNIVERSITATE PONTIFICIA GREGORIANA

HABEBAT

RUDOLPHUS CORNELY S. I.

VOLUMEN II I.

INTRODUCTIO SPECIALIS

IN

HISTORICOS VETERIS TESTAMENTI LIBROS

Editio altera emendata

Cum approbatione Superiorum.



PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1897

LEO PP. XIII.

Dilecti Filii, salutem et apostolicam benedictionem.

Quam Nobis cordi sit, ut Divinorum Librorum studia vigeant, abunde testantur Litterae, quas de Scripturis Sacris ad universos orbis catholici episcopos abhinc tribus annis dedimus. In quibus, Bibliorum Sacrorum dignitate ac multiplici utilitate illustrata, fuse de ordinandis eorum studiis perscripsimus; et ut gliscentibus errorum opinionibus plenior et accuratior in sacro clero institutio opponatur, aptam innuimus rationem et viam praeclarae huius disciplinae tradendae. Qua in re id peculiariter commendatum voluimus, ut quae a doctrinarum externarum peritis eisdemque in fide catholica firmis ex linguarum biblicarum notitia, ex re historica vel ex physicorum disciplinis similibusque studiis opportune suggeruntur, ea Librorum Divinorum seu sententiae plenius arripiendae seu veritati vindicandae minime praetereantur.

Haec Nostra cum sint optata, eos perutilem navare operam existimamus, quicumque Scripturis Sacris rite enarrandis tuendisque animos ac diligentiam intendunt. Vos autem, Dilecti Filii, hos inter cum laude connumeramus, qui iamdiu labore haud exiguo acrique ingenio Libros omnes Sacros perpetuis notationibus illustrandos suscepistis.

Egregii operis volumina, quae adhuc edidistis quaeque Nomini Nostro dicanda libenter concessimus, pergrato animo accepimus.

Vobis autem dum de emensa feliciter laboris parte gratulamur, virium vitaeque usuram divinorumque munerum ubertatem apprecamur, quo coeptum ad auspicatum demum exitum deducatis.

Interea ex Nostra benevolentia solatium et alacritatem sumite, cuius testis esto apostolica benedictio, quam vobis ceterisque sodalibus vestris, qui operi praeclaro vobiscum allaborant, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XIV Octobris MDCCCXCVI, Pontificatus Nostri anno decimo nono.

LEO PP. XIII.

Dilectis Filiis
Rodulfo Cornely, Iosepho Knabenbauer, Francisco de Hummelauer
Sodalibus e Soc. Iesu.

LEONI · XIII · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM · SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGULARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NÒMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est : *Introductionis in S. Scripturam Vol. II. seu Introductio specialis in Libros sacros Veteris Testamenti* (*Tom. I. Introductio in libros historicos V. T.*) auctore P. Rudolpho Cornely S. I., in Pontificia Universitate Gregoriana S. Scripturae Professore, aliqui eiusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et edi posse iudicaverint, facultatem concedimus, ut vulgetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur.

In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis die 19. Martii 1887.

L. S. Ant. Mar. ANDERLEDY,
Praepositus Generalis S. I.

IMPRIMATUR

Fr. Augustinus BÄUSA O. Pr.
S. P. A. Magister

Quum opus, cui titulus est : *Introductio specialis hist. crit. in libros sacros Veteris Test., vol. I., editio altera emendata,* a P. Rudolpho Cornely nostrae Societatis sacerdote compositum aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis ad quos pertinet videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et officii nostri sigillo munitas dedimus.

Exaten, die 17 Augusti 1897.

L. S. Henricus HAAN S. I.
Praep. Prov.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 28 Augusti 1897.

L. S. † FRANCISCUS Card. RICHARD,
Arch. Parisiensis

INTRODUCTIO SPECIALIS

IN

LIBROS SACROS VETERIS TESTAMENTI

I.

DISSERTATIO I.

DE VETERIS TESTAMENTI LIBRIS HISTORICIS.

SECTIO I.

DE LIBRIS HISTORIAM ISRAELITICAM USQUE AD PRIMI REGIS ELECTIONEM NARRANTIBUS.

CAPUT I.

DE PENTATEUCHO MOSAICO.

§ 1. — *De Pentateuchi argumento et partitione.*

1. — Operi mosaico Iudaei non tam ob antiquitatis reverentiam, quam ob dignitatem et auctoritatem semper primum locum in canone suo attribuerunt illudque a reliquis suis libris sacris ita separarunt, ut singularem canonis partem solum constitueret[1]. Neque id immerito. Eadem enim fere ratione, qua Novum Foedus primis quatuor N. T. libris innititur, quinque primi V. T. libri sunt Antiqui Foederis fundamentum. Namque non tantum a prima rerum omnium creatione incipientes nobis omnes illos eventus enarrant, quibus Deus adductus est, ut unum populum, qui genuinam revelationem conservaret, ex omnibus eligeret, quibusque electum ad gravissimam et gloriosissimam missionem praeparavit et educavit, sed ipsam quoque primitivam revelationem continent legesque divinas, quarum fideli observatione gens israelitica dignam se reddere debuit, quae omnibus populis salutem afferret. Quapropter sicuti nos primas nostras Scripturas *Evangelii* nomine a reliquis distinguimus, quamvis aliae quoque *bonum nuntium* contineant, ita iam olim Iudaei a reliquis Scripturis suis sacris mosaicos libros nomine *Thorah* rectissime distinxerunt, licet omnibus *Legem* vel potius *institutionem* doctrinamque fidei et morum divinitus traditam contineri non ignorarent[2].

Alio nomine a Iudaeis חֲמִשָּׁה חוּמְשֵׁי הַתּוֹרָה vel brevius חֲמִשָּׁה חוּמָּשִׁים (*quinque quintae partes* [5/5] *Legis*, vel *quinque quintae partes*) appellantur. Quod nomen ab operis divisione desumtum Graeci et Latini imitati sunt; nam ἡ πεντάτευχος (sc. βίβλος i. e. quinque voluminum liber) a Graecis, a nobis autem Pentateuchus (liber) vocatur[3]. Divisio ipsa vero antiquissima est. Etsi enim *S. Hieronymo* non assentiamur, qui S. Paulum ad eam allusisse putavit, *Philonis* tamen et *Fl. Iosephi* testimoniis satis constat, eam apostolica iam aetate in communi usu fuisse[4]. Sunt qui eam ab alexandrinis interpretibus invectam esse arbitrentur; sed ipsi auctori deberi rectius dicitur. Neque enim Iudaei unquam aliam, quam *quinquepartitam* Thoram, cognoverunt; atque ea est totius operis dispositio, quae aliam divisionem non permittat. Primus, tertius, quintus libri argumentis suis sese a reliquis partibus prorsus distinguunt; secundus quoque brevi quadam recapitulatione velut novo exordio inchoatur (*Exod.* 1, 1-7), tertius a quarto clausula sua separatur (*Lev.* 27, 34), atque eadem ratione quartus suam habet clausulam (*Num.* 36, 13) quintusque suum exordium (*Deut.* 1, 1-5)[5].

Iudaei palaestinenses a primo quo inchoantur vocabulo, Alexandrini autem, quos secuti sunt Christiani, a praecipuo eorum argumento singulos libros denominarunt. « Primus, inquit *Origenes*, quem fere sequitur *S. Hieronymus*[6], qui a nobis *Genesis* dicitur, ab Hebraeis ex ipsius libri initio desumta appellatione vocatur *Beresith* (בראשית), quod idem est ac *In principio; Exodus* dein Hebraeis *Vellesmoth* (ואלה שמות) i. e. *Haec sunt nomina; Leviticus* Hebraeis *Vaicra* (ויקרא) i. e. *Et vocavit; Numeri* Hebraeis *Hammesphecodim*[7]; *Deuteronomium* Hebraeis *Ellehadabarim* (אלה הדברים) i. e. *Haec sunt verba* ». Singulorum autem argumentis indicatis *Theodulfus Aurel.* nomina explicat his versibus:

Quidquid ab Hebraeis stylus atticus atque latinus
  Sumsit, in hoc totum codice, lector, habes.
Quo loca prima tenet *Genesis* primordia mundi
  Diluviumque canens, gestaque magna Patrum.
Exodus Aegyptum spoliat, secat aequora rubra,
  Pandet iter eremi, lympha ibi lexque datur.
Inde sacerdotum gentem *Leviticus* ornat,
  Et typica exponit dona sacris typicis.
Bella virosque liber *Numeri* describit et actus,
  Queis Moyses fregit idola, stupra, duces.
Post *repetit Legem*, populo benedicit et alma
  Iura dat, ac dicto carmine victor abit[8].

1. Cfr *Introd. gener.* in U. T. libr. sacr. Ed. 2. 1894. Ed. 2. 1894. p. 28 sq.
2. A Moyse ipso opus iam vocatur כפר התורה (*Liber Legis Deut.* 28,61 etc. 31,26)

eodemque titulo utitur *Ios.* 1, 8 etc. Si ad primum auctorem respicitur, opus vocatur *Liber Legis Dei* vel *Lex Domini* (*Ios.* 24, 26; 1 *Paral.* 22, 12; 2 *Paral.* 12, 1; 17, 9 etc); si ad instrumentum humanum attenditur, per quod conscriptum est, appellatur *Liber Legis Moysis* (*Ios.* 8, 31; 23, 6; 4 *Reg.* 14, 6; 23, 25 etc.). Interdum sine ullo addito dicitur התורה *Lex* (2 *Esdr.* 8, 2 etc.). Ab Alexandrinis hebraicum vocabulum *Thorah* graece redditur ὁ νόμος, atque idem nomen in N. T. usurpatur (*Matth.* 5, 17 etc.; *Luc.* 2, 22 etc.; *Ioan.* 1, 17 etc.; *Rom.* 2, 12 etc).; S. Hieronymus quoque vocem *Legis* in Itala iam adhibitam retinuit. Nihilominus vis vocabuli *Thorah* latius patet, quam νόμος vel *lex*; radix enim ירה, cuius est nomen hiphilicum, in Hiph. *monstrandi, docendi, instituendi* potestatem habet, unde *Thorah* est *institutio* vel *doctrina* sive parentum (cfr. *Prov.* 1, 8 « Audi, fili, disciplinam [reprehensionem מוסר] patris tui, et ne dimittas *legem* [*Thorah* i. e. doctrinam, institutionem] matris tuae »), sive Dei (cfr. *Is.* 1,10 « Audite *verbum Domini*, principes Sodomorum, percipite auribus *legem* [*Thorah* doctrinam] Dei nostri, populus Gomorrhae »). Haud raro quidem vocabulum de singularibus legibus et praeceptis usurpatur (*Exod.* 12, 49 etc.), sed ubi de integro Pentateucho praedicatur, latiore sensu explicetur necesse est. Syri et Chaldaei vocabulo ab eadem radice derivato Pentateuchum atque integrum Vetus T. אוֹרָיְתָא appellant. Cfr. *Ps. Ionath.* in Exod. 26, 9; Gen. 49, 14 etc. *Buxt.* Lex. chald. thalm. rabb. p. 983, *Levy* Chald. Wörterbuch über die Tharg. p. 16.

3. Cfr. *Buxt.* l. c. p. 791; *Levy* l. c. p. 268. Nomina πενταπεύχου et *Pentateuchi* ab *Origene* (in Ioan. tom. XIII. 26 etc. M. 14, 444) et *Tertulliano* (c. Marc. I. 10 etc. M. 2, 257) ita adhibentur, ut ea aetate longo iam usu pervulgata fuisse videantur.

4. *S. Hieron.* ad Paulin. ep. 53, 8 (M. 22, 545): « Hucusque Pentateuchus, *quibus quinque verbis* loqui se velle Apostolus (1 *Cor.* 14, 19) in Ecclesia gloriatur ». — *Philon.* de Abrah. 1. (Ed. Lips. IV. p. 4): τῶν ἱερῶν νόμων ἐν πέντε βίβλοις ἀναγραφέντων ἡ πρώτη καλεῖται Γένεσις κτλ.; De migr. Abrah. 3 (Ed. Lips. II. p. 295) hanc divisionem ipsi Moysi non obscure attribuit: παγκάλως ὁ ἱεροφάντης μίαν τῆς νομοθεσίας ὅλην ἱερὰν βίβλον Ἐξαγωγὴν ἀνέγραψεν κτλ. — *Fl. Ioseph.* c. Appion. I. 8.

5. Parum apte moderni « critici » libro Iosue addito de *Hexateucho* loqui malunt (Cfr *infra* 55). — Inter recentissimos catholicos interpretes operis in quinque libros partitionem *Alexandrinis* attribuit *Kaulen* (Einleitung Ed. 3. 1893. p. 188) atque eiden sententiae inter acatholicos iam pridem adhaeserunt *Haevernick* (Einl. Frankfurt 1837. I. 2. p. 156), *Lengerke* (Kenaan. Königsberg 1844. p. LXXXII) aliique pauci. Alexandrinis eam esse antiquiorem non immerito censent *Vigouroux* (Manuel bibl. Paris 1880. I. p. 262) et, ut videtur *Zschokke* (Hist. sacra. Ed. 2. Viennae 1884. p. 142), eandemque sententiam inter Protestantes iam tenuit *Michaelis* (Einl. p. 302 sq.) approbatque *Schrader* (De Wette-Schrader Einleitung ins A. T. Ed. 8. Berlin 1869. p. 253 sq.). — *Dillmann* (Genesis. Ed. 4. Leipzig 1882. p. VII) Esdrae eam adscribit; simili modo alii, qui mosaicam Pentateuchi originem negant, ultimo, quem statuunt, operis « redactori » partitionem deberi consentiunt. Cfr. *Delitzsch* Genesis Ed. 4. Leipzig 1872. p. 15; *Bleek-Wellhausen* Einleitung ins A. T. Ed. 4. Berlin. 1878 p. 9; *A. Kuenen* Histor. krit. Einleitung (Versio germ.). Leipzig 1885. p. 6 etc. Quia nobis Moyses ipse ultimus est sui operis redactor, iure ei partitionem illam attribuimus, quae ex ipsa operis attenta consideratione sua sponte cognoscitur. Cfr etiam *Schenz* Einl. in die kanon. Bücher des A. T. Regensburg 1887. p. 24.

6. *Orig.* in Ps. 1 (M. 12, 1084; cfr Euseb. H. E. VI. 25. M. 20, 580); *S. Hieron.* Prol. gal.: « Primus apud eos (Iudaeos) liber vocatur *Beresith*, quem nos Genesim dicimus; secundus *Veelle semoth*, qui Exodus appellatur; tertius *Vajikra* i. e. Leviticus; quartus *Vajedabber*, quem Numeros vocamus; quintus *Elle hadebbarim*, qui Deu-

teronomium praenotatur. Hi sunt quinque libri Moysi, quos proprie *Thora* i. e. *Legem* appellant ». S. Hieronymus suae versioni titulos hebraicos librorum plerorumque praefixerat, qui una cum latinis inscriptionibus retenti sunt in Vulgata nostra iussu Gregorii XIV (cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 497). — A Iudaeis quoque iunioribus libri pentateuchici interdum ex argumento denominantur: יצירה (*creatio*); נזקין (*damna* vel *plagae*); תורת כהנים vel תורת קרבנות (*lex sacerdotum* vel *lex sacrificiorum*); המספרים vel הפקודים (*numeri* vel *recensiones*); משנה תורה (*repetitio legis*) vel ספר תוכחות (*liber obiurgationum*); cfr. *Wolf* Bibl. hebr. II. p. 72; *Buxtorf* Lex. thalm. sub vv.

7. Quartus liber teste S. Hieronymo olim etiam *Vajedabber* vocabatur a primo vocabulo, frequentius autem altero vocabulo desumto ex primo versu במדבר (*In deserto*), quo satis apte integri libri argumentum simul describitur; agit enim de diuturnis Israelitarum peregrinationibus in deserto variasque peregrinationis stationes enumerat (*Num.* 33). Nomen autem ab Origene relatum (ἀμμεσφεκωδείμ) quid significet, difficile est dictu. Probabilius est hebr. הַמִּפְקָדִים (erroneo inserta litera *s*), ita ut rabbinicae appellationi *Happikudim* correspondeat, licet illa forma ab Origine adhibita in rabbinicis libris inveniri negetur. Alii tamen vix minore cum probabilitate Origenem duo vocabula (חֹמֶשׁ פְּקוּדִים = *una ex quinque partibus* [1/5] : *recensiones*) transcripsisse putant; eodem enim nomine R. Sal. Iarchi librum designasse dicitur.

8. *Theodulf. Aurel.* Carmina (M. 105, 299).

2. — Sed singulorum librorum argumenta et partitiones accuratius describamus oportet, ut operis totius unitas clarius patefiat.

Itaque primus liber Genesis vocatur, « quia et universorum, coeli pariter ac terrae hominumque et omnium quae videntur, ortum (τὴν γένεσιν) et ipsam paradisi plantationem complectitur »[1]. Quae argumenti descriptio, quia duo prima capita sola respicit, arctior est, ita ut *Geneseos* nomen, si hoc sensu explicatur, toti libro non conveniat. At Moyses, ut universi Pentateuchi fundamentum stabile firmumque iaceret, a prima quidem mundi creatione exorsus est, sed mox primordiis totius generis humani adumbratis ostendit, quomodo Deus adductus (vel si mavis : coactus) sit, ut unum solum populum eligeret, cui revelationem suam committeret, et quomodo Deus hunc populum iam in primis eius patribus sibi praeparaverit et educaverit. Unde satis accurate iam monuit *Lyranus* « Genesin procedere ad electionem fidelis populi eiusque distinctionem ab infideli per successiones generationum ». Secundum duplex autem argumentum, quod tractat, Genesis in duas partes aptissime distribuitur; prior enim (1, 1-11, 26) totius generis humani fata adumbrat usque ad illud tempus, quo Deus unum solum hominem, Abrahamum, elegit, in cuius semine benedicendae essent omnes gentes; altera pars (12, 1-50, 26) hominis electi eiusque familiae historiam perducit usque ad illud tempus, quo in Aegyptum a Deo adducta in magnum populum excrescere coepit.

Verum alteram quoque libri partitionem ab auctore ipso innui mo-

derni interpretes recte statuerunt; decies enim repetita formula « *haec est historia...* »[2] integrum in decem sectiones ita distribuit, ut quinas duabus illis partibus indicatis attribueret. Longitudine quidem decem sectiones inter se plurimum discrepant, quoniam aliae paucis versibus, aliae multis capitibus constant; at haec diversitas non sufficit, ut hanc esse partitionem ab auctore propositam negemus[3]. Etenim quum fini eius non omnes eadem ratione inservirent, paucis ea, quae ad rem suam minus faciebant, aptissime absolvit, ut graviora diligentius fusiusque tractaret. Id enim maxime sibi proposuit, ut unius familiae illius, in qua totum genus humanum benedicendum erat, electionem educationemque describeret; quamobrem a rerum primordiis exorsus reliquas familias tribus gentes attingit quidem, ut earum nexum cum populo electo patefaciat, sed earum fata historiamque innuit potius quam narrat, easque ut ita dicamus eliminat excluditque, ut proposito themati inhaereat lectorumque cogitationes ad illud solum dirigat[4]. Inscriptionibus vero, quae narrationem immediate praecedentem in memoriam revocant, omnes sectiones arcte inter se ita connectit, ut totius libri unitas clarius innotescat[5]. Neque minus clare unitas ex eo elucet, quod eorum historiam, quos eliminare vult, auctor semper historiae ulteriori familiae electae praemittat[6].

1. *Ps. Athanas.* Synops. S. S. 5. (M. 28, 296).

2. De Geneseos partitione praeter Introductiones cfr. praesertim *Delattre* S. I. Le plan de la Genèse. Paris 1876, et ex Protestantibus *Kurtz* Die Einheit der Genesis. Berlin 1846. — Formula textus hebraici אֵלֶּה תּוֹלְדוֹת vel זֶה סֵפֶר תּוֹלְדוֹת ab Alexandrinis quidem redditur : αὗται αἱ γενέσεις vel αὕτη ἡ βίβλος γενέσεως, et a S. Hieronymo : *istae (hae) sunt generationes*; siquidem *Tholedoth* secundum etymologiam suam significat *generationes, familias, gentes* (cfr. *Num.* 1, 20 : *Gen.* 10, 32 etc.). Verum quoniam Orientalium historiae a genealogiis plerumque inchoantur et genealogiis maxime constant, *Tholedoth* etiam *historiam* significat. Ex. gr. *Gen.* 37, 2 (« hae sunt generationes eius [sc. Iacob]. Ioseph qui quum undecim esset annorum » etc.) in tota relatione, quae sequitur, filiorum quidem Iacob, quorum nativitas iam antea erat relata (*Gen.* 29. 30. 35.), historia narratur, sed *generationum* Iacob, si proprio sensu intelligitur vocabulum, nulla fit mentio.

3. Id quod insinuat *Kuenen* Einl. p. 8.

4. Cfr *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 159; *Vigouroux* Manuel I. p. 265 : « Ce procédé d'élimination est très sensible dans toute la suite de la Genèse. La première section embrasse le ciel et la terre, et le ciel y est éliminé. L'histoire d'Adam élimine la race de Caïn; l'histoire de Noë élimine la ligne de Seth, Noë excepté; l'histoire des enfants de Noë élimine Cham et Japhet; l'histoire de Sem élimine tous ceux de ses enfants qui ne font pas partie de la famille de Tharé; l'histoire de Tharé élimine tous ceux qui ne font pas partie de la famille d'Abraham; l'histoire d'Ismaël élimine la race de cet enfant d'Abraham; l'histoire d'Isaac prépare l'élimination de la race d'Ésaü, complétée dans le chapitre qui lui est consacré, et il ne reste plus ainsi que la famille de Jacob, dont l'histoire est l'objet des quatre autres livres du Pentateuque et de l'An-

cien Testament ». Admirabili igitur cum arte auctor attentionem legentium ad unum illud argumentum dirigit, quod sibi tractandum proposuit. Neque tamen secundaria argumenta ita eliminasse dicendus est, ut nullam amplius eliminatorum rationem haberet. Id quidem nonnulli statuunt, ut ex Geneseos dispositione universalitatem anthropologicam diluvii impugnare possint (cfr *Schöpfer* Gesch. d. A. T. Ed. 2. 1895. p. 67 etc.); erronee autem id statui, ex eo iam satis elucet, quod Cainitae, eorum eliminatione (*Gen.* 4,1-24) non obstante, in sequente sectione velut auctores describuntur universalis morum corruptionis (*Gen.* 6,1-8); quo ergo cum iure illi a poena exemti esse supponuntur, qui eam potissimum provocasse diserte narrantur?

5. Cfr ex. gr. 5,1 cum 2,7 sqq.; 6,9 cum 5,29-31 et 6,8; 10,1 cum 9,18. 19; 11,10 cum 10,22; 11,27 cum *v.* 26 etc. Unde apparet, modernos illos « criticos », errare, qui 2,4 utpote e loco suo remotum primo capiti praefigendum esse asserunt; eadem enim prorsus ratione, qua reliquae inscriptiones ad praecedentem sectionem alludunt, titulus primae sectionis ad libri exordium alludit. Immo vero Geneseos inscriptionibus (si 10,1; 11,10; 25,12; 36,1 exceperis) non tam sectionis, cui praefiguntur, argumentum quam nexus cum praecedente significatur.

6. Caini posteros enumerat ante posteros Seth, populos ex Iaphet et Cham exortos ante illos, qui a Sem descendunt; populos a Sem exortos, qui ad familiam electam non pertinent, ante lineam Thare; posteros Ismael ante historiam Isaac, generationes Esau ante historiam Iacob.

Quibus praemissis GENESEOS ANALYSIN subiiciemus brevissimam ad id unum intenti, ut quo arcto nexu singulae sectiones inter se colligentur et qua ratione omnes ad eundem finem conspirent, clarius perspiciatur. Ita enim id assequimur, quod maxime volumus, ut integri libri unitas evidentius demonstretur; accuratiorem vero idearum nexum interpreti relinquimus explicandum, atque infra de una alterave sectione, de qua vehementior controversia agitatur, fusius agemus.

EXORDIUM (1,1-2,3) magnificam exhibet descriptionem creationis omnium rerum. Qua descriptione non tantum Dei infinitam potentiam et bonitatem manifestat, sed etiam omnimodam creaturarum omnium a Deo dependentiam demonstrat, propter quam omnes tam potenti et bono domino plenam et perfectam obedientiam debent.

I. PRIMA PARS (2,4-11,26) autem primordiis generis humani adumbratis ostendit, Deum perfectam hanc obedientiam in hominibus non invenisse ideoque inobedientibus illis relictis unum solum hominem elegisse, in cuius familia genuinam revelationem conservaret et in cuius semine postea alias gentes benediceret.

1. *Historia coeli et terrae* (2,4-4,26) igitur post inscriptionem (2,4)
   a.) accuratius describit, quot quantisque donis Deus primum hominem locupletaverit, et quam facile praeceptum ei imposuerit (2,5-25);
   b.) at ne hoc quidem primi parentes observarunt a serpente seducti; quapropter e paradiso sunt eiecti, sed non omni spe orbati; futurae enim redemtionis promissionem obtinuerunt (3,1-24).

c.) Verum prima haec poena non impedivit, quominus iam mox primogenitus Adae Cain fratre suo occiso gravissime peccaret. Pro Abele autem occiso Adae natus est alter filius, Seth, atque ab illo tempore genus humanum quasi in duas classes divisum est, eorum, qui adhaerent Deo (cfr 4,26), eorumque qui ab eo separati degunt (cfr 4,16). Caini posteri enumerantur, atque ita eliminantur (4,1-26).

2. *Historia Adami* (5,1-6,8) post inscriptionem (5,1-2)

a.) eius posteros enumerat, qui ex altero eius filio Seth usque ad Noe eiusque filios nati sunt (5,3-32),

b.) atque ne illos quidem in praeceptis Dei permansisse ostendit, siquidem cum Caini posteris permixti viam suam adeo corruperunt, ut unus inter eos Noe gratiam coram Deo inveniret (6,1-8).

3. *Historia Noe* (6,9-9,29) post inscriptionem (6,9-10)

a.) poenam diluvii narrat, quo Deus genus humanum, quod viam suam corruperat, delevit sola Noe familia excepta (6,11-8,19).

b.) Deinde novo pacto, quod Deus cum Noe filiisque eius pepigit, commemorato (8,20-9,17)

c.) ostendit iam statim inter ipsos hos filios unum fuisse, cui pater maledicere coactus sit, alterum vero esse destinatum, in cuius posteris benedicendi sint reliqui populi (9,18-29).

4. *Historia filiorum Noe* (10,1-11,9) inscriptionem exhibet (10,1), atque deinde

a.) gentes enumerat, quae ex Iapheth (10,2-5), ex Cham (10,6-20), ex Sem (10,21-31) exortae sunt, ut posterorum Noe inter se affinitas cognoscatur (10, 32).

b.) Qui omnes in superbiam elati contra Deum conspiraverunt; quare confusione linguarum puniti atque inter se ita sunt divisi, ut contra Deum simul conspirare iam nequeant (11,1-9).

5. *Historia Sem* (11,10-26) demum, filii primogeniti Noe, posteros enumerat usque ad Thare, patrem Abrahami, in quo benedicendae erant gentes omnes.

II. SECUNDA PARS (11,27-50,26) omnibus reliquis gentibus eliminatis de solis Abrahae posteris agit atque tota in eo est, ut providentiam describat, qua Deus iis invigilaverit eosque educaverit, usque dum eos in Aegyptum perduceret, ut ibi in magnum populum excrescerent. Verum ut clarius appareat, solam generationem naturalem non sufficere, ut aliquis inter Abrahami filios numeretur (Rom. 9,7), eorum quoque Abrahami posterorum brevis historia texitur, qui a Deo non sunt electi, ut apud eos genuina revelatio conservaretur.

1. « *Historia Thare* » (11,27-25,11) Abrahami vocationem, immigrationem in terram Chanaan, foedus, quod Deus cum eo pepigit, promissiones ei factas et reliqua eius fata fuse et accurate narrat.

2. « *Historia Ismaelis* » (25,12-18) tribus, quae ab Ismaele originem ducunt, brevissime enumeratas eliminat.

3. « *Historia Isaac* » (25,19-35,29), filii promissionis, vel potius filiorum eius Esau et Iacob, fata iterum satis fuse enarrat.
4. « *Historia Esau* » (36,1-43), qui aeque parum, atque Ismael, a Deo electus erat, non nisi brevem tribuum, quae ab Esau exortae sunt, regumque idumaeorum enumerationem exhibet. Omnes illi inhabitabant Idumaeam, Iacob autem remansit in Chanaan (37,1).
5. « *Historia Iacob* » (37,2-50,26) demum, cuius iam omnes filii duodecim a Deo destinati erant, ut ex iis populus electus descenderet, eorum res usque ad patris eorum Iacobi et fratris Iosephi mortem persequitur. Singulari sua providentia effecit Deus, ut Ioseph, quem fratres eius persequebantur, in Aegyptum abduceretur ibique patri et fratribus suis locum praepararet, in quo a cognatis tribubus separati ad missionem suam praepararentur.

3. — Tres libri intermedii, qui sequuntur, ipsum quodam modo mosaici operis corpus constituunt, cuius Genesis est prologus, Deuteronomium epilogus. Integram enim continent legislationem, quam Deus Iacobi posteris, postquam in populum magnum excreverunt, eum in finem tradidit, ut ad recipiendam et propagandam salutem messianicam praepararentur. Leges autem hae non ordine logico proponuntur, quo inter se cohaerent, sed illo ordine, quo occasione data a Deo latae et per Moysen promulgatae sunt; quam ob causam cum Israelitarum historia intime sunt connexae, atque libri ipsi, etsi multas leges contineant, historicis potius quam legalibus sunt adnumerandi; solus tertius in legibus dumtaxat tradendis versatur.

Secundus inscribitur quidem EXODUS, « quia *egressionem* (τὸν ἔξοδον) filiorum Israel ex Aegypto continet » (*Ps. Athan.* l. c.), at praeter mirabilem liberationem filiorum Israel ex aegyptiaca servitute etiam populi iter per desertum usque ad montem Sinai, Legis in monte Sinai promulgationem, foedus a Deo cum filiis Israel initum et renovatum narrat historiamque populi a morte Ioseph usque ad secundum emigrationis annum perducit. Totum autem tempus, quod a morte Ioseph usque ad Moysis nativitatem effluxit, paucissimis absolvitur versibus. Quorum primi inscriptio quaedam sunt, quae Exodum cum praecedente libro eadem fere ratione connectit, qua sectiones Geneseos inter se colligantur. Satis apte autem in tres partes dividitur, quarum prima post breve exordium (1, 1-7) populi liberationem (1, 8-13, 16), altera eius iter ad montem Sinai (13, 17-18, 27), tertia foedus eius cum Deo initum et renovatum (19, 1-40, 38) narrat. Summum partium argumentum exhibet haec EXODI ANALYSIS.

EXORDIUM 1,1-7; enumeratis duodecim filiis Iacob, qui in Aegyptum immigrarunt, et morte Ioseph iterum commemorata librum cum Genesi con-

nectit atque tempore commorationis in Aegypto posteros Iacobi in magnum populum a Deo esse multiplicatos docet.

I. Pars prima (1,8-13,6) *de exitu populi israelitici ex Aegypto.*

1. Postquam multiplicati sunt filii Israel, novus rex surrexit, qui Ioseph ignoravit eosque opprimere coepit. Quapropter a Deo auxilium flagitarunt, qui illis in Moyse mirabiliter conservato et in regia aula educato, at ob oppressoris alicuius occisionem in desertum fugere coacto liberatorem iam praeparaverat (1,8-2,25).
2. Moyses in deserto greges soceri sui pascens a Deo ad populum suum liberandum vocatur et instruitur, fratremque suum maiorem Aaron in hac missione socium obtinet (3,1-4,31).
3. Qui a rege liberationem populi frustra expetunt, atque frustra quoque novem prioribus plagis, quas Deus Aegypto immisit, eum ad populum dimittendum adigere conantur (5,1-10,29);
4. decima autem, primogenitorum sc. morte, tandem commotus est rex, ut filios Israel proficisci permitteret (11,1-12,36); qui in perpetuam miraculosae huius liberationis memoriam quotannis Pascha celebrare iubentur (12,37-13,16).

II. Pars altera (13,17-18,27) *de itinere filiorum Israel ad montem Sinai.* Magnis miraculis Deus in hoc itinere eos disponit et praeparat, ut legem dandam libenter in se suscipiant.

1. Israelitas per viam deserti profectos, quos Deus columna nubium et ignis ducebat et protegebat, persecuti sunt Aegyptii; apertum autem mare rubrum Israelitis viam salutis praebuit insecutosque Aegyptios deglutivit (13,17-15,21).
2. Israelitis in deserto murmurantibus Deus aquam amaram in dulcem convertit, coturnices misit, manna de coelo aquamque e rupe dedit; utque certius cognoscerent nibil sibi ab hostibus esse timendum, Amalecitae orante Moyse fugati sunt (15,22-17,16).
3. Iethronis consilium secutus Moyses principes ducesque constituit, qui populi lites dirimerent (18,1-27).

III. Pars tertia (19,1-40,38) *de foedere in monte Sinai inito et renovato.*

1. Populus, postquam ad legem, quam Deus daturus erat, observandam promptum sese declaravit, ad eam accipiendam se praeparare iubetur (19,1-15).
2. Die tertia Dominus in fulgure et tonitru apparens decalogum promulgat; terrore autem perculsi Israelitae rogant, ut deinceps per Moysen leges suas Deus tradat (19,16-20,21).
3. Itaque Moyses praecepta quaedam de cultu soli Deo praestando, de officiis erga proximos observandis deque celebrandis festis (20,22-23,19) una cum continuae protectionis divinae promissione (23,20-33) sollemniter populo promulgat, atque sacrificio oblato foedus cum Deo initum confirmat (24,1-8).
4. Solus deinde in montem ascendere iussus, ut Legis tabulas acciperet, quadraginta dies cum Deo commoratus est; quo tempore mandatum

accepit, ut ex voluntariis populi donis tabernaculum foederis exstrueret, in quo Deus in medio populo suo esset habitaturus (24,9-25,9). Porro forma tabernaculi totiusque suppellectilis sacri (25,10-27,21) et vestium sacerdotalium (28,1-43), uti ritus consecrationis sacerdotalis (29,1-37) ei describuntur; nonnullisque additis de iugi sacrificio ac de altari thymiamatis (29,38-30,38) artifices operis ei indicantur (31,1-8) ac sabbathi lex denuo inculcatur (31,9-18).

5. Diuturna Moysis in monte commoratione fatigati Israelitae vitulum aureum sibi adornaverant, quem adorarent; quod quum reversus vidisset Moyses, tabulas Legis a Deo acceptas confregit, idololatras occidi iussit, atque superstitibus venia impetrata foedus cum Deo renovavit novasque tabulas accepit (32,1-34,35).

6. Ultimis capitibus exstructio tabernaculi vasorumque sacrorum confectio describitur. Gloria vero Domini replevit tabernaculum ostenditque Deum populum hunc sibi proprium fecisse (45,1-40,38).

4. — Tertius liber, qui a S. Hieronymo Alexandrinos secuto Leviticus (liber; Λευϊτικὸν sc. βιβλίον) inscribitur, a rabbinis, uti diximus, תּוֹרַת הַכֹּהֲנִים (lex sacerdotum) vel ת' הַקָּרְבָּנוֹת (lex sacrificiorum) haud raro appellatur. Quae nomina omnia satis sunt apta, « quia proprie et peculiariter, inquit *S. Chrysostomus* (Synops. S. S.), totam levitici ministerii formam continet, quo pacto Aaron eiusque filii sint ex filiis Levi electi et sacerdotes consecrati, et quae sit sacrificiorum multifaria varietas, et qualis sit universus sacrorum cultus, qualeque sacerdotale ministerium ». Quam arcto nexu liber noster cum praecedente coniungatur, vix opus est dicere. Postquam enim de tabernaculi foederis exstructione actum est, in quo Deus continuo habitans populo electo semper praesens adfuit, quid convenientius, quam ut de illis iam ageretur, *quae* ex sua parte *populus Deo praesenti praestare* et *quibus sese continua eius praesentia dignum reddere* debuit? Magna quidem est praeceptorum varietas, neque secundum certum ordinem logicum, sed secundum temporis, quo data sunt, rationem multa videntur esse disposita; nihilominus secundum duplex illud officium, quod populo incubuit, duae partes libri non inepte distinguuntur, quarum prior (1, 1-10, 20) de sacrificiis sacerdotibusque agens ea enumerat, quae populus Deo praesenti praestare debet, altera (11, 1-27, 34) accuratius describit, quae mundities et puritas in populo ob Dei praesentiam requiratur. Ex brevi hac Levitici analysi unitas libri non obstante praeceptorum varietate et multitudine elucebit.

Pars prior (1,1-10,20) *de iis, quae Deo praesenti praestanda sunt*, i. e. de sacrificiis et de personis agit, per quas sacrificia Deo sunt offerenda.

1. *De sacrificiis* eorumque praecipuis speciebus (1,1-7,38).

1. Atque primum quidem de tribus sacrificiorum speciebus, de holocaustis (1,1-17), de fertis (2,1-16), de pacificis (3,1-17) ita agitur, ut quaenam afferri possint et qui ritus sint observandi explicetur.
2. Accuratius deinde de sacrificiis pro peccato agitur, quae duplicis sunt speciei; alia enim sunt offerenda, si ex ignorantia (levitate) sacerdos (4,1-12), aut integer populus (4,13-21), aut princeps (4,22-26), aut privatus (4,27-5,19) peccaverit, alia vero, si contemto Domino peccatum commissum sit (6,1-7).
3. Tertio demum loco sacerdotum in sacrificiis offerendis munera et iura describuntur, quid scilicet illis competat in holocaustis (6,8-13), in fertis sive a populo sive ab ipsis sacerdotibus oblatis (6,14-23), in sacrificiis pro peccato et delicto (6,24-7,10), et in pacificis (7,11-36).

II. *De sacerdotum consecratione et institutione* (8,1-10,20).

1. Aaron in summum pontificem et filii eius in sacerdotes sollemni modo a Moyse secundum Dei praeceptum consecrati sunt (8,1-36),
2. atque finito consecrationis octiduo pro se ipsis et pro populo prima sacrificia obtulerunt; Deus autem igne coelitus in holocaustum immisso se consecrationem ratam habere manifestavit (9,1-24).
3. At filii primogeniti Aaronis, Nadab et Abiu, quum profano igne thurificare voluissent, igne coelesti consumti sunt (10,1-7), qua occasione praecepta nonnulla specialia sacerdotibus traduntur, ut munere suo accuratius fungi possint (10,8-20).

ALTERA PARS (11,1-27, 34) *de munditie in populo et sacerdotibus requisita agit.*

I. *In integro populo* requiritur mundities externa et interna (11,1-20,27).

1. Atque praeprimis varia praecepta de munditie externa sive legali traduntur (11,1-18,30).
   a.) Animalia enim munda ab immundis distinguuntur et immundorum esus prohibetur (11,1-47);
   b.) variae species immunditiei legalis enumerantur et mundationis ritus praescribuntur (12,1-15,33).
   c.) Quia vero ab omni piaculo liberi manere non possunt sacerdotes et populus, non tantum sacerdotibus speciale sacrificium praescribitur, antequam in tabernaculum foederis ingrediantur, sed dies quoque expiationis quotannis celebrandus instituitur, cuius ritus describitur (16,1-34).
   d.) Adduntur alia praecepta : animalia ad ostium tabernaculi mactata sola in cibum esse adhibenda, ab omni autem sanguinis esu abstinendum (17,1-16); coniugia in gradibus illicitis vitanda (18,1-18), qua occasione simul alia nonnulla impudicitiae peccata prohibentur (18,19-23), atque gravi exhortatione particula haec terminatur (18,24-30).
2. Ad externam autem munditiem accedat oportet interna (19,1-20,27); quare omnibus iniungitur, ut sancti sint, quia ipse Dominus sanctus sit (19,1-2). Quod ut assequantur,

a.) eis inculcatur pietas erga parentes et maxime erga Deum (19,3-8),

b.) amor quoque proximi atque praecipue egeni commendatur (19,9-18), quibus gravissimis praeceptis alia, inter quae nonnulla caeremonialia, adduntur (19,19-37).

c.) Mortis poena statuitur contra eos, qui filios suos Moloch offerre, hariolos et magos consulere, parentibus maledicere, gravia impudicitiae peccata committere ausi fuerint (20,1-27).

II. *In sacerdotibus* autem maior requiritur mundities externa et interna, quapropter specialia nonnulla praecepta, quae ad alterutram spectant, eis proponuntur, occasionesque indicantur, in quibus cavere debent, ne contaminentur (21,1-22,17), atque demum eis iniungitur, ut victimas dumtaxat omni defectu carentes offerendas curent (22,18-33).

III. *Populum et sacerdotes* spectant ultima praecepta (23,1-27,34), scilicet

1. ut sabbatha et festa praescripta fideliter observentur (23,1-44),
2. ut continuo in tabernaculo foederis lucernae ardeant et panes propositionis adsint (in signum munditiei populi) (24,1-9),
3. ut morte puniantur blasphemi, qua occasione simul lex talionis statuitur (24,10-23),
4. ut anni sabbathi et iubilaei fideliter observentur (25,1-55).
5. Praecepta haec servantibus multa bona promittuntur, non servantibus autem intimantur poenae (26,1-45),
6. atque demum praecepta de votis libere susceptis et de decimis persolvendis adduntur (27,1-34).

5. — Quartus Pentateuchi liber NUMERI ('Αριθμοί) vocatur (a) « quia in eo totius populi numerus continetur tribu unaquaque Iudaeorum ex iussu Domini recensita » (*Ps. Athan.* l. c.); aptus vero a rabbinis בְּמִדְבַּר « *in deserto* » appellatur, quia integrum illud tempus complectitur, quo Israelitae in deserto peregrinati sunt. Leges enim, quas Leviticus continet, prope montem Sinai primo peregrinationis anno datae sunt (*Lev.* 1, 1; 26, 45; 27, 34); legislatione autem sinaitica itineris narratio interrupta erat, quam nunc continuat auctor atque a primo mense anni secundi usque ad undecimum mensem anni quadragesimi perducit. Neque tamen serie continua eam narrat, sed eadem ratione, qua longum illud tempus a Ioseph morte usque ad Moysis mortem silentio praetermisit, triginta septem peregrinationum annos paucissimis absolvit. Neque enim omnia Israelitarum fata, sed

(a) A nonnullis dubium motum est, num libri nomen latinum *Numeri* sit genitivus sing. an nominativus plur. In Sixtina enim editione semper nominatur *liber Numeri*, eodem modo inscribitur in Clementina editione, at eadem in paginarum margine superiore habet *liber Numer.* i. e. Numerorum. Sixtus V. quoque in sua editione ultimum i auferri iusserat, ut vocabulum abbreviatum legeretur *Numerorum*. Nec dubium est, quin *Numeri* sit nominativus plur., si ad graecum libri nomen animus advertitur (οἱ ἀριθμοί); cui explicationi inscriptio non obstat, siquidem eadem ratione alii libri inscribuntur : liber Genesis, liber Exodus, liber Leviticus.

illa sola narrare voluit, quae proxime et directe ad salutem per filios Israel omnibus gentibus conservandam pertinent. Omnes autem illi, qui viri ex Aegypto egressi erant, ob murmurationes suas iusto Dei iudicio condemnati erant, ut in deserto morerentur; indigni enim erant, qui salutem conservarent. Quapropter Moyses, postquam sententiam latam retulit, eius exsecutionem praetermittit neque quidquam de tota illa generatione tradit praeter paucissima facta, quibus etiam tunc Deum Legis observantiae invigilasse apparet. Generatione autem illa mortua Moyses narrationem suam resumit atque satis fuse tradit, quae ultimo peregrinationis anno a primo usque ad undecimum mensem gesta sunt. Ad hanc temporis rationem attendentes tres partes distinguimus, sicut ex hac NUMERORUM ANALYSI apparet.

PRIMA PARS (1,1-14,45) ea enarrat, *quae gesta sunt ante generationis illius repudiationem*, atque praeprimis, quae duobus primis mensibus anni secundi acciderunt, ordine tamen inverso ([a]). Nam

I. illa afferuntur *quae secundo mense anni secundi statuta sunt* (1,1-6,27).

1. Census filiorum Israel (1,1-4,49).
   a.) Omnes tribus Israel levitis exceptis censentur (1,1-54) certumque suum locum in itineribus et in castris occupare iubentur (2,1-34).
   b.) Levitae quoque, qui in primogenitorum loco Deo consecrantur et in tabernaculi ministerium assumuntur, secundum familias suas numerantur officiaque sua determinata accipiunt (3,1-51); quae officia deinde accuratius describuntur (4,1-49).
2. Adduntur variae leges eodem tempore, ut videtur, latae de omni immundo a castris arcendo, de peccatis ignorantiae expiandis, de primitiis reddendis, de adulteris mulieribus convincendis (5,1-31), de Nazaraeis consecrandis, de benedictione sacerdotali impertienda (6,1-27).

II. Secundo autem loco traduntur illa, *quae primo mense acciderunt* (7,1-9,14).

1. Tabernaculo et altari iam terminatis principes tribuum Israel munera sua coram Domino obtulerunt (7,1-89).
2. Nonnullis de candelabro accuratius determinatis (8,1-4), quomodo et qua aetate consecrandi sint levitae, praescribitur (8,5-26).
3. Celebratur pascha atque simul statuitur, quando ab aliis, qui impediti sint die stabilito, sit celebrandum (9,1-14).

(a) Interroganti, cur auctor chronologicam rerum gestarum seriem neglexerit, respondebimus sapiente consilio id videri factum esse. Moyses enim, quum in hoc libro peregrinationes in deserto maxime narrare vellet, ordinem non potuit omittere, quo tribus singulae sive in itinere sive in castris erant dispositae, neque officia, quae in tabernaculo foederis et vasis sacris transportandis a leviticis familiis erant adimplenda. Quae omnia, quoniam a censu partim dependisse videntur, secundo mense definita sunt. Ne igitur ordine tribuum et officiis levitarum descriptis narrationem ipsam cogeretur interrumpere, Moyses ordine inverso prius descripsit omnia illa, quae *semper toto peregrinationis tempore* observata sunt, atque deinde narrationem inchoat *rerum gestarum* a primo mense anni secundi.

III. Ad chronologicum ordinem reversus Moyses *ea narrat, quae usque ad generationis illius reiectionem gesta sunt* (9,15-14,45).

1. Quum in eo iam essent Israelitae, ut nube praeeunte (9,15-26) proficiscerentur, a Deo per Moysen signa definiuntur, ad quae totum iter ordinari debuit (10,1-10).
2. Profecti autem a monte Sinai ordine praescripto (10,11-36) iter perrexerunt usque Cades in deserto Pharan vel Sin, i. e. ad fines meridionales terrae promissae. Quo in itinere conquesti sunt de defatigatione et de carnium defectu; atque Deus Moysi septuaginta senes adiutores in populo regendo dedit, coturnicesque quidem misit, quibus vescerentur, populum autem murmurantem simul magna plaga percussit (11,1-34). Ipsi quoque Aaron frater et Maria soror Moysis contra eum insurrexerunt et a Deo puniti sunt (12,1-15).
3. Ex deserto Pharan missi sunt duodecim exploratores ad terram promissam considerandam (13,1-26), qui reduces omnes, exceptis Iosue et Caleb, narratione sua novas murmurationes populi excitarunt (13, 27-14,9) : quapropter iratus Deus decretum tulit, ut omnes, qui viginti annis maiores erant nati, exceptis Iosue et Caleb in deserto morerentur (14,10-39). Quum autem invito Deo Israelitae terram promissam ingredi vellent, caesi sunt ab Amalecitis (14,40-45).

ALTERA PARS (15,1-19,22) *pauca dumtaxat ex diuturna generationis reiectae peregrinatione refert.*

1. Atque primum quidem locum tenent leges nonnullae de libamentis faciendis, de primitiis Deo separandis, de peccatis per ignorantiam aut per superbiam commissis, de poena mortis in eos, qui sabbathum violant (15,1-41).
2. Sequitur narratio rebellionis Core, Dathan et Abiron, qui sacerdotium ambierunt, interitusque eorum (16,1-50); miraculo ostendit Dominus se Aaronem elegisse sacerdotem (17,1-13).
3. Adduntur leges aliae de officiis sacerdotum et levitarum et de eorum parte in sacrificiis et primitiis (18,1-32), sicut etiam de praeparanda et adhibenda aqua lustrali (19,1-22).

TERTIA PARS (20,1-36,13) *historiam itineris a mense primo ad undecimum anni quadragesimi* perducit.

1. Primo mense anni quadragesimi congregatis iterum in Cades Israelitis moritur Maria, soror Moysis; murmuranti populo aqua de rupe datur, Moysi autem et Aaroni dubitantibus ingressus in terram promissam negatur (20,1-13).
2. Quum Edomitae transitum per terram suam negarent, Israelitae longo itinere montes idumaeos circumire coguntur, usque dum prope fines Amorrhaeorum et Moabitarum perveniant. Quo in itinere moritur Aaron, et populus ob defatigationem murmurans serpentibus immissis punitur (20,14-21,20).
3. Amorrhaeorum terra occupatur; Moabitae Israelitas Balaami maledictionibus perdere frustra conantur, quum Balaam iis benedicere a Deo

cogatur; Madianitae autem eos ad idololatriam seducunt (21,21-25,18).

4. Iterum numerantur tribus atque iuxta hunc censum terra promissa inter illas distribui iubetur; simul Iosue Moysi successor a Deo eligitur (26,1-27,23).
5. Leges variae de sacrificiis (28,1-15), sollemnibus festis (28,16-29,39), votis (30,1-17) repetuntur et complentur.
6. Caesis Madianitis terra trans Iordanem occupata tribubus Ruben et Gad ac dimidiae tribui Manasse attribuitur (31,1-32,42).
7. Mansiones filiorum Israel in deserto ab eorum exitu ex Aegypto usque ad eorum adventum in planitiem Moab enumerantur (33,1-49).
8. Chanaanitae exterminari iubentur (33,50-56) et regulae de terra inter tribus et familias distribuenda praescribuntur (34,1-36,13).

6. — Deuteronomium a nobis, מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה a rabbinis quintus Pentateuchi liber vocatur, « quia post acceptam in tabulis scriptam legem Moyses veluti *secundam legem* (δεύτερον νόμον) sermones huius libri ex divino praecepto Israelitis promulgavit »[1], vel rectius quia legum in superioribus libris iam promulgatarum est repetitio, explanatio, inculcatio. Sicuti enim Genesis totius Pentateuchi est prologus eum in finem praecipue conscriptus, ut Israelitis magnam Dei caritatem, qua illos ex mera gratia prae omnibus reliquis gentibus ad conservandam genuinam revelationem elegit, vividius ob oculos poneret atque hac ratione eos efficacius ad leges divinitus traditas observandas incitaret, ita Deuteronomium eiusdem operis est epilogus, qui quidem « summariam quandam repetitionem continet eorum, quae in libris Exodi Levitici Numerorum sive gesta sive praecepta referuntur »[2], ea vero ita disponit atque digerit, ut efficacissimam ad Legem observandam exhortationem efforment. Namque si ultima eius capita (*Deut.* 31-34), quae, quum postrema Moysis fata eiusque mortem narrent, haud dubie saltem ex parte ab altero scriptore operi iam terminato addita sunt, seponimus, Deuteronomium tribus concionibus constat, quas legislator primo die ultimi mensis anno quadragesimo post exitum ex Aegypto coram filiis Israel congregatis habuit. In quibus et argumenta proponit, quae populum, ut Legem toto corde amplectatur, permovere potuerunt, beneficia nimirum innumera a Deo, malignitate eorum non attenta, eis iam tributa et non minora fidelibus Dei servis promissa[3], et Legem ipsam iam promulgatam, paucis novis praeceptis additis, paraenetica forma repetit. Summum argumentum haec Deuteronomii analysis exhibet.

1. *Ps. Athan.* Synops. S. S. 9. (M. 28, 308).
2. *Theodoret.* Quaest. in Deuteron. 1. (M. 80, 401).

3. Cfr *S. Chrys.* Synops. S. Script. (M. 56, 334) : « Quasi summatim priora omnia exponit Moyses, in memoriam illis revocans *et Dei bonitatem et nequitiam ipsorum.* »

In brevi PROLOGO (1,1-5) concionum argumentum innuitur (1,1-2) tempusque et locus, quo habitae sunt, definiuntur (1,3-5).

CONCIO PRIMA (1,6-4,40) totius exhortationis prooemium quoddam est; *integra* enim *in Dei beneficiis commemorandis versatur.*

1. Longae ac diuturnae peregrinationis praecipuos eventus in memoriam auditoribus revocans luce clarius ostendit, quam bonum, misericordem, longanimem sese Deus erga populum exhibuerit, sed simul quoque quam iustum et severum iudicem contra obstinatos peccatores (1,6-3,29);
2. Unde sua sponte deducitur conclusio, foedus cum Deo initum fideliter esse servandum neque eius Legi quidquam esse addendum nec ab ea quidquam detrahendum (4,1-40).

Interiectis paucis versibus de oppidis refugii in terra trans Iordanem constitutis (4,41-49),

CONCIO SECUNDA (5,1-26,19) *totam foederis oeconomiam* duabus partibus, altera generali, altera speciali, *repetit.*

I. *In parte generali* (5,1-11,32)

1. decalogus repetitur et rationes indicantur, quibus permoti Israelitae a Deo petierunt, ut per Moysen mediatorem ad ipsos loqueretur legesque suas promulgaret (5,1-33).
2. Primum deinde mandatum explicatur et inculcatur : verum scilicet Deum solum colendum esse, atque ut idololatriae periculum avertatur, nullam cum gentibus societatem contrahendam, sed earum aras delendas esse (6,1-7,26).
3. Ut primum et maximum mandatum mentibus profundius inculcet, beneficia et poenas, quibus in desertum affecti sunt, iterum commemorat et futuras de Chanaanitis victorias praedicit simul monens, ne eas sibi ipsis suaeque virtuti sed soli Deo attribuant (8,1-11,12).
4. Demum Legem observantibus benedictio, eam transgredientibus maledictio indicitur (11,13-32).

II. In *parte speciali* (12,1-26,19) praecipua populi officia commendantur.

1. Et quidem primum *relate ad Deum* (12,1-16,17),
   a.) cui cultus exhibendus est in loco ab ipso electo et modo praescripto (12,1-32);
   b.) cui tam firmiter adhaerere debent, ut nec per pseudoprophetam vera praedicentem nec per proximos et parentes averti ab eo se sinant, sed omnes potius seductores arceant et idololatras anathemate puniant (13,1-18);
   c.) cuius praecepta de ciborum distinctione et de decimis persolvendis, de remissione septimi anni, de consecrandis primogenitis accurate sunt observanda (14,1-15,23);
   d.) in cuius honorem tria maiora festa statis diebus sunt celebranda (16,1-17).

2. Ab officiis erga Deum implendis descendit ad *officia erga publicos Dei vicarios* implenda (16,18-18,22), id est
   a.) in vita civili erga iudices (16,18-17,13) et reges futuro tempore constituendos (17,14-20);
   b.) in vita religiosa erga sacerdotes (18,1-8) et erga prophetas (18,9-22).
3. Tertio loco veniunt *officia erga proximos* (19,1-22,30) et quidem
   a.) relate ad eorum vitam, qua occasione ea commemorantur, quae in bellis observanda sunt (19,1-21,23),
   b.) relate ad eorum bona externa variasque relationes, quae virum inter et mulierem intercedunt (22,1-30).
4. Demum varia praecepta inculcantur, quae *sanctitatem et munditiem totius populi* attingunt: de non admittendis indignis in populum sanctum, de munditie servanda, de usura vitanda, de votis solvendis, de libello repudii, de misericordia erga debitores, operarios, pauperes exercenda, de iustitia in iudiciis servanda, de primitiis et decimis persolvendis (23,1-25,15) atque brevi exhortatione concioni finis imponitur (26,16-19).

Concio tertia (27,1-30,20), quae totius exhortationis epilogus quidam est, iterum tota *in argumentis afferendis versatur, quibus Israelitae ad Legem observandam incitentur*.

1. Incipit igitur a praecepto, ut Iordanem transgressi Legem lapidibus inscribant atque in montibus Garizim et Hebal collocati benedictiones erga Legis observatores et maledictiones contra eius transgressores pronuntient (27,1-26).
2. Hinc occasionem arripit Moyses, ut multiplicia bona, quae Legis observationem sequantur, et graves poenas, quas ob eius transgressionem Deus populo sit immissurus, iterum satis fuse exponat (28,1-68).
3. Demum bonitatem divinam erga populum exaltans magna cum vi omnes adhortatur, ut Deo suo fideles adhaereant (29,1-30,20).

Ultima capita historica (31,1-34,12) referunt

1. Moysen sibi suffecisse Iosuen (31,1-8), Legem scripsisse eamque in tabernaculo foederis reponi iussisse, ut sit ibi in testimonium contra Israel (31,9-30);
2. addunt ultimum canticum, quo Moyses beneficia divina denuo celebrat populique ingratitudinem castigat (32,1-52),
3. benedictionem duodecim tribuum (33,1-29),
4. atque brevem relationem de Moysis morte, qui terram promissam vidit quidem, sed in eam non intravit (34,1-12).

§ 2. — *Variae sententiae de Pentateuchi origine.*

7. — Pentateuchum totum, solis ultimis Deuteronomii capitibus et nonnullis glossis interpretamentisque exceptis, uni Moysi auctori attribuendum esse, usque ad saeculi elapsi finem unanimis erat Iudaeorum

et Christianorum persuasio; atque in tota retro antiquitate paucissimos invenimus, qui de hac sententia dubitaverint.

Merito enim primorum saeculorum haereticos omittimus, qui cum Nazaraeis, Ptolemaeo Valentini discipulo, Manichaeis aliisque ob suam ab Antiquo Foedere aversionem non tam mosaicam Pentateuchi, quam divinam Legis israeliticae originem negabant [1], ac multo magis Bogomilos, mediae aetatis haereticos, qui Pentateuchum « ad diaboli mentem conscriptum » (κατ' ἐπινοίαν τοῦ σατανᾶ συγγραφέντα) dicebant [2]. Praeter *Celsum* igitur, quem complures Pentateuchi auctores admisisse suspicatur Origenes [3], primis Ecclesiae saeculis solum *Ps. Clementinarum* auctorem reperimus, qui Legem Dei per Moysen septuaginta senibus ore traditam, post Moysis autem mortem literis mandatam esse ex eo demonstrare voluit, quod in libri fine mors legislatoris ipsius iam sit relata [4].

Media aetate Iudaei quidam, *R. Isaac b. Salomon* (saec. 9.), *Abenesra* (saec. 12) nonnullas pericopas (*Gen.* 12,6; 22,14; 36,31 sqq.; Deuteron. 34) Moysi abiudicarunt et ab iuniore manu operi mosaico insertas vel additas censuerunt. Quos secutus *Carlostadius* thesin statuit « defendi posse Moysen non fuisse scriptorem quinque librorum, quoniam sepulto Moyse filum orationis idem videmus, non eundem Moysen; ridiculum sane fuerit, defunctum Moysen haec verba locutum esse: Mortuus est Moyses iubente Deo et sepelivit eum in terra Moab et non cognovit homo sepulcrum eius. Isthaec et cetera, quae sequuntur, nemo nisi plane dementissimus Moysi velut auctori tribuat » [5]. Atque simili modo *Andreas Masius*, optimus libri Iosue interpres catholicus, « Moysis opus, quod vocant πεντάτευχον, longo post Moysen tempore interiectis saltem hic illic verborum et sententiarum clausulis veluti sarcitum atque omnino explicatius redditum esse » bonis coniecturis demonstrari asseruit; scilicet a librariis iunioribus pro vetustis et obsoletis locorum nominibus alia recentiora, quibus rerum gestarum memoria melius conservaretur, inserta atque glossas nonnullas explicationis causa additas esse opinatus est [6]. Quae sententiae cum communi antiquorum traditione satis facile componuntur; neque enim pauci sunt catholici interpretes saec. 16. et 17., qui minores glossas vel pericopas Pentateucho insertas esse concedunt, totius tamen operis mosaicam originem cum Patribus defendunt.

Verum longius saec. 17. a veritatis tramite aberrari coeptum est. *Thomas Hobbes* enim Pentateuchum « potius de Moyse quam a Moyse scriptum » esse censet, quia nonnulla (*Deut.* 34; *Gen.* 12,6; *Num.* 21,14) post Moysis aetatem conscripta esse constet; ipsi tamen Moysi « librum legis » i. e. Deuteron. 11-27 attribuit [7]. *Isaac Peyrerius* quoque quum propter aliquos versiculos, qui aetatem Moyse iuniorem

proderent, atque ordinis defectum, tum propter facta nonnulla, quae cum historia vera pugnare putavit, Moysi opus abiudicavit; eum Annales quidem edidisse de exitu ex Aegypto et peregrinatione in deserto illisque etiam priorum temporum (immo ipsius, quam somniavit, praeadamiticae aetatis) historiam praemisisse, at magnum illud mosaicum opus hodie esse deperditum et Pentateuchum ieiunum authenticorum Annalium esse compendium [8]. *Baruch Spinoza* textibus ab Abenesra Moysi abiudicatis alios addidit; monuit quoque in toto opere de Moyse semper tertia persona fieri sermonem; unde Pentateuchi, uti reliquorum librorum historicorum, formam hodiernam Esdrae deberi contendit, quem tamen morte, quominus operi ultimam manum imponeret, impeditum esse coniecit [9]. *Ioan. Clericus* non tantum Pentateuchum (ob *Gen.* 12,6; 14,14; 35,21 similesque textus, ob scientiam geographicam, quae *Gen.* 2,11; 10,1 sqq. sese prodat aliasque rationes eiusdem generis) Moysi abiudicavit, sed (mirabile dictu) eum sacerdoti illi auctori attribuit, quem destructo regno Israel Asarhaddon Samariam misit, ut colonos assyriacos doceret legitima Dei terrae (4 *Reg.* 17, 27 sqq.) [10]. Demum *Antonius van Dale* recentissimis rationalistis praelusit; etenim Pentateuchum « ab Esra ceterisque prophetis tum ex ipsa Lege Moysi tum ex reliquis libris propheticis in ista memoratis, forsan et ex aliis tunc adhuc exstantibus divino instinctu adornatum » esse definivit [11]. Quibus acatholicis saec. 17. scriptoribus unus adnumerandus est eiusdem aetatis catholicus auctor, *Rich. Simon* Congr. Orat., qui leges inter, quae a Moyse scriptae sint, et historias, quas scribae publici literis mandare soliti sint, distinguens fuse ostendere conatur Moysen integri Pentateuchi auctorem non fuisse [12].

1. *S. Epiph.* haer. 18, 1 (M. 41, 257): « (*Nazaraeorum* secta), quum israelitica e gente profecta sit, Iudaeorum in omnibus dogmata complectitur... Ac quum veteres illos Patriarchas, de quibus in Pentateucho mentio fit, approbet, qui ab Adam usque ad Moysen insigni pietate floruerunt,... Pentateuchum nihilominus ipsum repudiat; Moysen tamen agnoscit eumque legem accepisse credit, at non hanc, sed aliam quandam ». — *Idem* haer. 33, 4 (M. 41, 560) ex *Ptolemaei* ep. ad Floram: « Imprimis igitur sciendum est, universam illam legem, quae quinque Moysi voluminibus continetur, non ab uno legislatore esse profectam, sed admista quaedam hominum mandata esse, ut quemadmodum Salvator ipse docuit trifariam omnis lex sit distributa. Quaedam enim ad ipsum Deum eiusque sanctiones pertinent; alia Moysi tribuenda sunt, non quidem quatenus aliquid a Deo illius interventu decretum est, sed quatenus per sese ac suapte sponte nonnulla constituit; aliorum denique seniores, qui in populo erant, auctores exstiterunt ac primi illi privata quaedam praecepta inserere ausi sunt ». — *Idem* haer. 66, 42 (M. 42, 92): *Manes* « duo testamenta sibi invicem esse contraria defendit, ac Deum illum, qui in Lege sit locutus, ab Evangelii auctore diversum, ideo illum principem appellat, alterum autem Filium, et Patrem nominat suum bonum Deum ».

2. *Euthym. Zigab.* Panopl. 27, 1 (M. 130, 1292).

3. *Orig.* c. Cels. IV. 42 (M. 11, 1097) : « Tum putat a Moyse, qui haec (sc. historiam diluvii) scripsit, adulteratam graecam Deucalionis historiam : si tamen harum rerum scriptorem fuisse Moysen existimat, et non potius *plures alios*. Hoc enim indicant haec eius verba : Qua in re nihil *agunt*, quam depravare et interpolare Deucalionis historiam, et ista alia : Neque enim *putabant*, opinor, haec in lucem esse proditura ».

4. *Ps. Clement.* hom. 3,47 (M. 2,141) : « Respondit Petrus : Dei lex per Moysen septuaginta viris sapientibus absque scripto data est, ut ceteris traderetur atque per successionem observari posset. Post Moysis vero assumtionem scripta est ab aliquo, sed non a Moyse. In ipsa enim Lege scriptum est : Et mortuus est Moyses et sepelierunt eum prope domum Phogor. Potuitne mortuus Moyses scribere : mortuus est Moyses » ?

5. *Carolstadii* de canon. script. (ed. *Credner.* 1847. p. 369).

6. *A. Masii* Comm. in Iosue (*Migne* Curs. compl. Script. 7,853).

7. *Thom. Hobbes* Leviathan 33. (Londini 1653).

8. *Is. Peyrerii* Systema theologicum ex Praeadamitarum hypothesi IV. 1. 2. (Amstelod. 1655. p. 125 sqq.). Eadem fere, ac moderni « critici », argumenta contra mosaicam Pentateuchi originem iam affert.

9. *Bar. Spinoza* Tractatus theol. polit. c. 8 sq. (Hamburg 1670).

10. *I. Clerici* Sentiments de quelques théologiens de Hollande. Lettre 6. (Amsterd. 1685); at opinionem suam in Comm. in Pentat. (Diss. 3. 1693) retractavit.

11. *Anton. van Dale* Dissertationes de origine et progressu idololatriae. Amstelodami 1693. p. 71. A Stephano Morino hac de quaestione impugnatus sententiam suam fusius explicavit duabus epistolis ad Morinum datis. l. c. p. 712 sqq. 737 sqq. Ultimo in loco etiam *S. Hieron.* c. Helvid. I. 7 (M. 23, 190) in auxilium vocat, quemadmodum iam Masius fecerat. At S. Hier., si in loco allegato dicit : « sive Moysen dicere volueris auctorem Pentateuchi, sive Esdram eiusdem *instauratorem* operis, non recuso », procul dubio mosaicam libri originem non negat, sed ad illam sententiam alludit, quam nonnulli Patres ex 4. Esdrae libro hauserant, sc. libros sacros omnes in exsilio babylonico deperditos ab Esdra divinitus esse restitutos.

12. *Rich. Simon.* Histoire crit. du Vieux Testament. Roterdam 1685. I. 2. 5 etc. (p. 17 sqq.; 31 sqq.).

8. — Paucos admodum ex protestanticis, ex catholicis interpretibus multo pauciores asseclas invenerant illae sententiae, usque dum circa elapsi saeculi finem scepticismus philosophicus et rationalismus biblicus in scholis protestanticis praevalere coepissent. Quamprimum enim velut principium per se evidens statuebatur, nec miracula fieri nec futura praedici posse, atque omnis revelatio supranaturalis a limine velut absurda respuebatur, praeprimis illi libri erant impugnandi, qui quam plurima miracula et vaticinia referebant, supranaturalem revelationem promulgabant, per ocularem illorum miraculorum testem scripti esse dicebantur. Quapropter, ut testimonium gravissimum, quod Pentateuchus revelationi divinae ferebat, e medio tolleretur, universale ac violentum bellum in mosaicam eius originem exarsit; atque eo usque res hodie venerunt, ut inter modernos interpretes protestanticos paucissimi inveniantur, qui Moysi integrum Pentateuchum attribuere audeant, adversariorum autem plures fere sint sententiae

diversae, quam capita. Vix enim non maiore cum ardore, quam Novi Testamenti interpretes « critici » in Evangeliis discerpendis et dilacerandis insudant, Veteris Testamenti interpretes in Pentateucho discerpendo ingenia sua vexant, nec quisquam inter « eruditos interpretes » locum meretur, nisi quid novi de librorum istorum origine statuerit; maiore autem celebritate gaudet, qui ea, quae ipse statuit, ipse destruxit et secundam vel tertiam novam hypothesin promulgavit. Non minus inutile, quam difficile et taediosum onus in nos susciperemus, si completum errorum, qui nostro saeculo a « criticis » de Pentateuchi origine propositi sunt, catalogum contexere eorumque historiam scribere vellemus. Praecipuas dumtaxat hypotheses rationesque graviores, quibus authentia librorum mosaicorum impugnatur, paucissimis verbis enarrabimus illasque sententias, quae hodie magis sunt propagatae, explicabimus et quantum satis est in sequentibus paragraphis refutabimus.

Circa medium saec. **18.** *Ioannes Astruc*, medicus parisiensis, ut mosaicam Geneseos originem facilius defenderet, varia documenta antiquiora a Moyse in illa scribenda adhibita immo in illam esse recepta coniecerat; praeter decem minora distinxerat duo maiora, quorum unum ex nomine *Elohim* constanter adhibito *elohisticum*, alterum ob constantem nominis *Iehovah* usum *iehovisticum* nominaverat [1]. Quae coniectura ab Eichhorn [2] aliisque eruditius accuratiusque explicata fundamentum praecipuum constituit omnium modernarum hypotheseon de Pentateuchi origine.

1. *Jean Astruc* Conjectures sur les mémoires originaux dont il parait que Moise s'est servi pour composer la Genèse (Bruxelles) 1773. — Quoniam nomen divinum יהוה non suis, uti decuit, sed vocabuli אֲדֹנָי vocalibus a Massorethis instructum esse constat, genuinam eius pronuntiationem יַהְוֶה (*Iahve*) retinere malumus, ideoque nomina *Iahvista*, *opus iahvisticum* etc. posthac usurpabimus.

2. *I. G. Eichhorn* Urgeschichte. 2. Theil. (Repertorium für bibl. Literatur. Leipzig 1779. IV. p. 173 sqq.); Ueber Mosis Nachrichten von der noachischen Fluth (Repert. V. p. 185 sqq.). Cfr quoque *Eichhorn*'s Urgeschichte herausgeg. von *I. Ph. Gabler* Altdorf 1793. II. 2. p. 10 sqq. — Astruc et Eichhorn mosaicam Pentateuchi originem non negant, in eo autem differunt, quod Eichhorn historiam a Moyse narratam pro meris mythis poeticis et philosophicis habuit, Astruc vero eius veritatem admisit.

9. — Astruc et Eichorn in sola Genesi documenta diversa invenerant; quum enim ex nominibus divinis documenta sua distinguerent, inde autem ab Exod. 6. nomina haec promiscue adhiberi viderent, reliquum Pentateuchum a Moyse teste oculari conscriptum esse censuerunt. Ineunte autem saeculo nostro *De Wette* etiam Deuteronomium a quatuor prioribus libris differre monuit, atque primus *Ewald* in in-

tegro Pentateucho varia documenta invenit; quae sententia ab eius sequacibus ad librum Iosue quoque extensa est [1]. Quapropter moderni « critici » non in Pentateuchi, sed in Hexateuchi originem inquirere solent; non enim Moysis mortem, sed terrae promissae occupationem docent aptam esse magni illius operis historici clausulam [2].

Tres autem de illius origine propositae sunt hypotheses. Prima est illa ab Astruc indicata, quae olim varia opera separata exstitisse atque ab iuniore manu coniuncta et in hodiernum Pentateuchi ordinem redacta esse tenet (*documentorum hypothesis,* Urkundenhypothese). Quot eiusmodi documenta exstiterint, quandonam sint exarata, a quo et quando in unum corpus sint coniuncta, inter hypotheseos huius patronos non convenit. *Dav. Ilgen* primus duos Elohistas et unum Iahvistam statuit, quorum opera in Genesi distinxit, *Gramberg* duo opera sufficere putavit, *Hupfeld* ad Genesim componendam iterum Iahvistam et duos Elohistas requisivit [3] etc.

Documenta autem haec alii in minuta fragmenta discerpserunt, quae variis temporibus composita aut notas genealogicas, aut singula facta historica, aut longiores narrationes, aut leges etc. continuisse atque demum a compilatore quodam in Pentateuchum esse compacta docuerunt (*fragmentorum hypothesis,* Fragmentenhypothese). Systematis pater est *I. S. Vater,* qui pauca quidem ex illis fragmentis a Moyse conscripta esse aut conscribi potuisse non negavit, alia autem aetati davidicae et salomonicae, alia iuniori tempori attribuit, atque eorum collectionem circa exsilium babylonicum factam esse coniecit. A quo non multum abluserunt *De Wette*, qui tamen postea sententiam suam mutavit, *Gesenius*, aliique, dum *Volney* iam Iosiae tempore ab Helcia sacerdote (4 *Reg.* 22) Pentateuchum ex fragmentis illis compositum esse voluit [4].

Verum quum nimis esset clarum, fortuita et ut ita dicamus mechanica documentorum vel fragmentorum conglutinatione Pentateuchum nostrum exoriri non potuisse, novum systema invectum est, quod unum documentum primitivum statuit ab uno vel pluribus iunioribus scriptoribus auctum, completum atque demum in modernam Pentateuchi vel potius Hexateuchi formam redactum (*supplementorum hypothesis*, Ergänzungshypothese). Secundum *Ewald,* hypotheseos huius auctorem, primitivum illud documentum erat elohisticum, quippe quod usque ad factum *Exod.* 6 relatum solo nomine Elohim usum sit, at ex antiquioribus libris iam nonnulla receperat. Paullo post exortum est aliud opus iahvisticum, quod ipsum quoque nonnulla ex aliis libris recepit. Demum venit tertius auctor qui primitivo operi elohistico partes operis iahvistici apte inseruit, nonnulla proprio Marte elaborata aut ex aliis scriptis fontibus desumta adiecit atque hac ratione no-

strum Pentateuchum confecit [5]. Hypothesis haec a *Tuch*, *Bleek* aliisque vario modo est exculta atque explicata [6]; hodie autem cum prima hypothesi a plerisque ita coniungitur, ut complura documenta primitiva statuantur; sed de documentorum numero, origine, aetate moderni « critici » non minus dissentiunt, quam de diasceuastarum vel redactorum numero et aetate. Quantus sit eorum dissensus, clarius apparebit, si recentiora quaedam systemata adumbraverimus.

1. *De Wette* Beiträge zur Geschichte des A. T. I. II. 1806 sq. — *Ewald* in Studien u. Kritiken 1831. p. 602 sq.

2. Cfr. ex. gr. *Wellhausen* Prolegomena zur Geschichtè Israels. Berlin 1883. p. 6. « Die fünf Bücher Mosis gehören mit dem Buche Iosua zusammen, indem nicht der Tod Mose's, sondern vielmehr die Eroberung des verheissenen Landes den wahren Abschluss zu der Erzvätergeschichte, der Ausführung aus Aegypten und der Wüstenwanderung bildet : man redet also literarisch richtiger vom Hexateuch als vom Pentateuch ». Librum Iosue cum Pentateucho coniungunt *Ewald*, *Knobel*, *Schrader*, *Nöldeke*, *Dillmann*, *Bleek*, *Kuenen*, *Reuss* etc. Cfr *infra* 55.

3. *Dav. Ilgen* (Urkunden des Jerusalemischen Tempelarchivs in ihrer Urgestalt. Halle 1798) *septemdecim* documenta a *tribus* scriptoribus elaborata in sola Genesi ita coniuncta esse voluit, ut diasceuastes vix quidquam mutaverit. — *Gramberg* Libri Geneseos secundum fontes rite dignoscendos adumbratio nova. Lipsiae 1828. — *Hupfeld* (Die Quellen der Genesis und die Art ihrer Zusammensetzung. Berlin 1853) tria admittit separata et completa opera, quae plerumque quidem ad verbum usque a redactore in unum corpus sint coniuncta, interdum tamen correcta et mutata.

4. *I. S. Vater* (Commentar über den Pentat. Halle 1802-1805) III. p. 431 sqq. demonstrare conatur, varia fragmenta in toto Pentateucho distingui posse; p. 466 sqq. fragmenta illa diversis auctoribus deberi; p. 506 sqq. collectorem quendam illa chronologico ordine disposuisse. — *Gesenius* de Pentat. Samaritani origine. Halae 1815. — *Volney* Recherches nouvelles sur l'histoire ancienne. 1820. — *Hartmann* Hist. krit. Forschungen über die Bildung, das Zeitalter und den Plan der fünf Bücher Moses. Rostock 1831.

5. *Ewald* in Studien u. Kritiken. 1831. p. 603-605.

6. *Tuch* Commentar über die Genesis. Halle 1838. p. XXX sqq.; *Bleek* de libri Geneseos origine etc. Bonnae 1863; *Eiusd.* Einleitung in das A. T. Ed. 3. p. 238 sqq.; Ed. 4 p. 61 sqq. etc.

10. — Inter modernos rationalistas nemo frequentius, quam *G. H. I. Ewald*, opinionem suam de Pentateuchi origine mutavit. Postquam enim supplementorum hypothesin invexit, paullatim cum ea documentorum systema coniungere coepit numerumque auctorum redactorumque, quibus in conscribendo opere partem attribuit, continuo auxit, ita ut tandem innumeris fere indigeret. Primum autem opus, cuius partes in nostro Pentateucho superessent, tempore mosaico, ultimum aetate regis Iosiae exortum esse coniecit.

Ab ultima eius opinione *A. Knobel*, quamvis tot auctoribus non indigeat, haud multum abludit. Iuxta eum enim Saulis tempore sacerdos quidam ad theocratiam defendendam *opus historicum et legale* (hodierni Pentateuchi fundamentum, Grundschrift) composuit, in quo, nomine Elohim adhibito,

historiam a creatione mundi usque ad Iosuae mortem narravit religiosasque maxime ac sacerdotales leges collegit, pro fontibus praeter traditionem oralem scriptis quibusdam antiquioribus (catalogis stationum *Num.* 33 et oppidorum singulis tribubus datorum *Ios.* 13-21, etc.) usus. Iamvero aetate Davidis *liber bellorum*, opus iahvisticum multas narrationes et nonnullas leges continens, et aetate Salomonis *liber iusti*, (ס' הישר), qui cum legibus poemata nonnulla (2 *Sam.* 1,18 sqq.) complectebatur, exorti sunt. Quae duo opera, quorum prius sub rege Iosaphat, alterum sub initium assyriaci exsilii *novis editionibus emendatis et auctis* prodierunt, a Iahvista tempore regis Ezechiae ita cum primo opere elohistico sunt connexa, ut novum opus nasceretur, quod primis quatuor libris pentateuchicis, ultimis Deuteronomii capitibus et libro Iosue constabat. Sed vix terminatum hoc opus oblivioni est datum, usque dum Iosiae tempore Helcias sacerdos illud casu in templo reperiret ac Deuteronomii maiore parte (*Deut.* 1-30) paucisque l. Iosue versibus insertis Hexateuchum conficeret [2].

Quatuor scriptoribus pro decem, quibus Knobel indiget, *E. Schrader* contentus est. Quorum primus, *Annalista*, sacerdos, ut videtur, in regno meridionali, primis Davidis annis ea fere, quae Knobel in suo opere historico et legali invenit, collegisse, plures tamen leges addidisse dicitur, ita ut paene completa legislatio levitica ei debeatur. Brevi post regni divisionem (intra an. 975. et 950.) auctor *theocraticus* in regno septemtrionali simile opus historicum et legale composuit, quod Knobelii libris bellorum et iusti quasi respondet atque similiter historiam usque ad davidicam aetatem perduxit. Uterque scriptor praeter traditionem oralem antiquiora scripta, quae partim adhuc distingui possint, adhibuit, aeque atque tertius auctor *propheticus*, qui ex traditionibus oralibus et scriptis inter an. 850. et 800. alia collegit et cum operibus theocratico et annalistico ita coniunxit, ut maior Hexateuchi pars exoriretur, cum solum Deuteronomium defuit. Quod tandem *deuteronomicus*, vir Ieremiae tempore vivens eique perfamiliaris, circa a. 630 ita adiecit, ut nonnulla in duobus prioribus libris maioris conformitatis gratia mutaret. Exeunte demum exsilio babylonico liber Iosue a reliquis libris separatus, Pentateuchus autem per Esdram populo promulgatus est [3].

Praeter redactores aliquos *A. Dillmann* ad Hexateuchum componendum quinque scriptores requirit, *duos Elohistas*, quos siglis *A* et *B* discernit, *Iahvistam* (*C*), *Deuteronomistam* (*D*) et auctorem legum illarum, quae *Lev.* 17-26 leguntur et ab aliis quidem leges de sanctitate, a Dillmann autem, quia prope Sinai sint lata, *sinaitica* vocantur (*S*). Porro *B* ante medium saec. 9., *A* circa a 800., *C* circa a. 750. scripsisse eorumque opera c. a. 600. inter se esse copulata statuit; Deuteronomium vero sub Iosia exortum tempore exsilii tribus illis operibus in unum coniunctis esse adiectum, ac demum sinaiticum opus, ex quo *A* iam nonnulla receperat, brevi ante Esdram insertum, librum Iosue autem a Pentateucho separatum [4].

1. In primo suo opere (Die Compos. der Genesis. 1823) *Ewald* documentorum ac fragmentorum hypotheses impugnavit, sed a. 1831 (Stud. u. Krit. p. 596) Pentateuchum iam coepit dilacerare. Ultimum suum systema exposuit in sua Gesch. des Volkes

Israel. 2. 1851-53 (I. p. 80 sqq. II. p. 19 sqq.) et aliquantulum mutatum in eiusdem operis edit. 3. (1864-65). Mirum est, quanta cum certitudine, continuis suis mutationibus non obstantibus, quum maiores librorum partes, tum singulos quoque versus, immo versuum particulas inter multos suos scriptores distribuat.

2. *A. Knobel* Die Bücher Numeri, Deuteronomium, Iosue erklärt. 1861. p. 597-606 (Kurzgefasstes exeget. Handb. XIII).

3. *Eb. Schrader* in *de Wette* Einleitung. Ed. 8. 1869. p. 312-25. Teste *Strack* (Herzog P. R. E. Ed. 2. XI. p. 444) suam opinionem etiam 1882. retinuit.

4. *A. Dillmann* Die Genesis erkl. 1882. p. IX sqq.; Exodus u. Levit. 1880. p. VI sq.; Numeri, Deuter., Iosue 1886. p. 593 sqq.

Viri, quorum systemata hucusque adumbravimus, licet in scriptorum redactorumque numero et aetate definiendis et in Pentateuchi pericopis inter eos distribuendis multum inter se dissentiant, in eo tamen conveniunt, quod Deuteronomium recentissimam Pentateuchi partem, antiquissimam vero documentum illud habeant, quod a creatione mundi incipiens legislationem intermediorum librorum tradidisse dicitur atque ab aliis liber originum vel opus Elohistae I. aut Annalistae etc. vocatur; praeterea plerique ex eis etiam totum Pentateuchum (vel Hexateuchum) ante exsilium terminatum fuisse concedunt. Quae placita, si pro veris constarent, ad divinam humanamque Pentateuchi auctoritatem convellendam iam sufficerent; at recentissimi « critici » novum, quo eam penitius destruerent, systema excoluerunt, eisdem, quibus eorum antecessores, principiis nixi. Ineunte iam saeculo nostro *de Wette* dubitationem moverat, num legislatio, quae mosaica vulgo diceretur, exsilio esset antiquior; qua in via progressi a. 1835. *W. Vatke* et *F. C. L. George* Deuteronomium Iosiae tempore et quidem ante legislationem intermediorum librorum prodiisse declararunt [5]. Quae opiniones tum quidem oblivione mox obrutae, ultimis autem his decenniis a *K. H. Graf, A. Kuenen, Ed. Reuss, B. Stade, J. Wellhausen, C. H. Cornill, S. R. Driver* [6] aliisque multis ad novam vitam resuscitatae variisque modis excultae, hodie inter « criticos » ita praevalent, ut aliquos iam ex « orthodoxis » protestantibus ad suas partes traxerint. Quare paucas novi systematis formas hic adumbrare visum est.

Iuxta *Jul. Wellhausen*, qui inter suos tantopere eminet, ut ab eo novum systema denominari soleat, decalogus antiquissima quidem Pentateuchi pars, at Moyse recentior est. Hexateuchum autem ex tribus potissimum operibus, quae ipsa tamen ex aliis antiquioribus coaluerint, conglutinatum esse docet; sua quippe sponte *Deuteronomium* a reliquis secerni ac separari partibus, in quibus duo elementa vel potius duo opera, unum legale et alterum historicum, satis facile distinguantur; legale enim opus, etsi a narranda creatione incipiat, pauca tantum historica referre, quibus leges introducat et colliget (aliorum igitur operi Originum vel Annalistae etc. respondet, novo tamen nomine *liber quatuor foederum* [*A*] et *codex sacerdotalis* [*PC* i. q. Priester-Codex seu *P*] vocatur [7]); historicum vero opus, quod praeter *Exod.* 20-34 et 34 leges non continuerit, duobus antiquioribus scriptis, uno iahvistico et uno elohistico, iam pridem ita coaluisse, ut inter se nondum accurate distingui possint (unde literis *JE* velut iahvistico-

elohisticum vel iehovisticum designatur). Ultimum hoc opus deinde (*IE*) brevi ante regni septemtrionalis finem esse consutum statuit, Deuteronomii maiorem partem (*Deut.* 12-26) sub rege Iosia prodiisse, codicem vero sacerdotalem (*P*) tempore exsilii paullatim esse exortum; ad Ezechielis quippe exemplum, qui ritualia quaedam praecepta in templo destructo olim observata in ultimis suis capitibus tradidisse asseritur, alios alias similes leges collegisse atque hac ratione natum esse librum, qui totam intermediorum librorum legislationem complecteretur. Interea etiam Deuteronomium esse auctum et completum ac simul nescio a quo et quare cum *IE* connexum; Esdram autem huic operi conglutinato codicem sacerdotalem inseruisse ac demum una cum Nehemia a. 444. totum Pentateuchum velut opus a Moyse ipso conscriptum Iudaeis promulgasse; Pentateuchum ergo non antiqui populi Israel legem sacram exhibere sed potius legem illius societatis religiosae Iudaeorum, quae regnis Israel et Iuda per Assyrios et Chaldaeos plane deletis in Palaestina permittentibus Persarum regibus sese formavit.

Cum Wellhausen in omnibus fere *B. Stade* consentit, ab eo autem *E. Reuss* aliquantum recedit, quum non ante Alexandri M. aetatem Pentateucho ultimam impositam esse manum definiat. Ceterum ipse quoque nihil in toto Pentateucho Moysi deberi, sed antiquissimam partem, « quae libro foederis » (*Exod.* 21-23) et « secundo decalogo » (*Exod.* 34,11-26) (a) constituatur, tempore regis Iosaphat circa a. 850. editam esse tenet; circa finem illius saeculi auctorem iahvisticum (*I*) historiam israeliticam usque ad Palaestinae occupationem narrasse, sed eius opus iam mox cum simili antiquiore per Elohistam quendam edito (*E*) ita in unum esse conflatum (*IE*), ut hodie in plerisque aegre distinguantur; Deuteronomium (*D*) porro ante a. 18. Iosiae confictum ac brevi ante exsilium operi *IE* assutum esse; demum post a. 458. codicem sacerdotalem compositum esse atque Esdram et Nehemiam a. 444. hunc solum populo promulgasse; nam non nisi tempore intermedio inter Nehemiam et Alexandrum M. codicem *P*, aliis haud paucis praeceptis interim auctum, cum opere *IED* ad Pentateuchum et l. Iosue formandos coniunctum esse [8].

Wellhausen et Reuss iam auctores suos (*IEDP*) antiquioribus scriptis usos esse coniecerunt; quam coniecturam recentissimi « critici » cum *A. Kuenen* ita excoluerunt, ut vix non ad fragmentorum hypothesin reverti voluisse videantur [9]. Exempli gratia *C. H. Cornill* [10] ad antiquissimum suum documentum (*I*) componendum tres requirit scriptores, quorum primus (I^1) diluvium ignoraverit, alter (I^2) illud velut rem praecipuam narraverit, tertius (I^3) utriusque narrationes ita coniunxerit, ut secundum magis sit

(*a*) Quam temere « critici » *Exod.* 34,11-26 pro « secundo decalogo » habeant, clare dissensus docet, quo pro suo quisque arbitrio decem praecepta illis versibus contineri statuunt. En exempla quaedam :

	Praec. I.	II.	III.	IV.	V.	VI.	VII.	VIII.	IX.	X.
Hitzig :	vv. 12-16.	17.	18.	19 sq.	21.	22.	23 sq.	25.	26ª.	26ᵇ.
Bertheau :	v. 18.	19 sq.	21.	22ª.	22ᵇ.	23 sq.	25ª.	25ᵇ.	26ª.	26ᵇ.
Kayser :	vv. 11-16.	17.	18.	19 sq.	21.	22.	23 sq.	25.	26ª.	26ᵇ.
Wellhaus. :	vv. 14-16.	17.	18.	19 sq.	21.	23 sq.	25ª.	25ᵇ.	26ª.	26ᵇ.

secutus; totum autem opus (*I*) terminatum putat circa a. 850. Ad opus *E* deinde producendum ei sufficiunt duo viri, quorum prior (E^1) circa a. 750. in regno septemtrionali illud condiderit, alter (E^2) circa a. 650. illud regno meridionali adaptaverit, ita ut brevi post 650. redactor quidam iahvisticus (R_i) opera *I* et *E*, nonnullis omissis et mutatis et additis, in unum corpus (*IE*) confundere potuerit. Explicatu longe difficiliorem Cornill censet originem quum Deuteronomii (*D*) tum codicis sacerdotalis (*P*); in *D* enim scribendo et redigendo et cum IE connectendo quam plurimos partem aliquam habuisse vult [11], sed vix pauciores in P producendo, quippe quod opus toti cuidam scribarum scholae debeatur, quae in Babylonia praecipuam eius partem intra an. 570. et 458. exaraverit. Praecipuam vero hanc partem, quam Esdras a. 444. Iudaeis palaestinensibus velut legem Domini promulgaverit, ex duobus potissimum documentis conflatam dicit, quorum unum (P^1) praecepta ritualia a sacerdotibus collecta, alterum (P^2) historiam quandam continuerit de religiosarum institutionum (sabbathi, distinctionis ciborum, circumcisionis etc.) origine; his tamen maioribus multa minora, quae siglo P^x designanda sint, quia singula suis auctoribus (P^3. P^4. P^5. etc.) non amplius possint attribui, partim iam ante Esdram, partim post Esdram esse intermixta. Circa idem tempus, quo codex sacerdotalis colligi coeptus est, iuxta Cornill etiam D auctum terminatumque et per redactorem ultimum (R^d) cum IE connexum est; P autem cum IED intra a. 440. et 400. copulatus est per redactorem (R^p), qui pro genuino hodierni Pentateuchi auctore habendus sit, quia in IED, ut omnia accuratius consonent, haud pauca mutaverit. Neque tamen omnes hi scriptores et redactores viro docto sufficiunt, siquidem non tantum in *I* et *E* et *P* ex aliis fontibus scriptis nonnulla esse transumta, sed etiam post a. 400. ex aliis fontibus specialibus nonnulla Pentateucho terminato inserta esse detexit, ita ut vix primorum Ptolemaeorum aetate toti operi ultima manus sit imposita.

5. *W. Vatke* Die bibl. Theologie. 1835; *I. F. L. George* Die älteren jüdischen Feste. mit einer Kritik der Gesetzgebung des Pentateuch. 1835.

6. *K. H. Graf* Die geschichtlichen BB. des A. T. 1866; *eiusdem* dissertationes in *Merx* Archiv für Erforschung des A. T. 1867-69. — *A. Kuenen* De Godsdienst van Israel 1869. *eiusdem* Hist. crit. onderzoek van het ontstaan... van de boeken etc. Ed. 2. I. II 1885-89; et Bijdragen tot de crit. van Pentat. en Iosue (Theol. Tijdschr. XI-XVIII 1877. sqq.). — *Ed. Reuss.* L'histoire sainte et la loi. 1879; *eiusdem* Gesch. des A. T. 1881. — *Jul. Wellhausen* Zur Composition des Hexat. 1876-77; ed. 2. in Skizzen u. Vorarbeiten II. 1885; *eiusdem* Prolegomena zur Gesch. Israels. 1883; cfr etiam *Bleek-Wellhausen* Einl. ins A. T. Ed. 4. 1878. p. 177 sqq. — *B. Stade* Gesch. des Volkes Israel. I. 1888. — *C. H. Cornill* Einl. ins A. T. Ed. 3. 1896. — *S. R. Driver* An Introd. to the literature of the O. T. Ed. 3. 1892. p. 1-150; idem opus iuxta ed. 5. germanice translatum a *I. W. Rothstein*. 1896. p. 1-170 etc.

7. Nomen « liber *quatuor* foederum » ineptum est, quoniam tria tantum foedera in toto Pentateucho commemorantur. — Hic iam monuisse iuverit, a Wellhausen aliisque codicem sacerdotalem « *audaci falsario* » attribui, qui se Moysen fingens omni arte fraudem occultaverit, ut suum opus velut mosaicum populo obtruderet. A Deuteronomii tamen et operis IE auctoribus Wellhausen suspicionem fraudis

avertere conatur, quia de Moyse semper tertia persona loquantur seseque aperte a Moyse distinxerint (Proleg. p. 10. 39. 40. 168 etc.; cfr etiam *Driver Rothst.* l. c. p. 93 sq.); sed *Cornill* (Einl. Ed. 3. p. 30) aliique sinceriores audacioresque Deuteronomium quoque « fraudatori » attribuere non dubitant.

8. *Ed. Reuss* iam inde ab a. 1834. praecipuas systematis theses in praelectionibus discipulis suis tradidit, typis autem eas vulgare ausus non est ante a. 1879 (cfr L'histoire sainte, p. 23 sq.; Gesch. des A. T. Vorr.); totum systema iam a. 1834 hac thesi complexus est : « *Legem praecesserunt prophetae et utrisque Psalmi sunt recentiores* » (Gesch. d. A. T. p. VII).

9. Egregie unus ex antesignanis « criticorum », *A. Klostermann* (Der Pentateuch. 1893. p. 117) temeritatem irridet iuniorum suorum collegarum, qui novos semper in Pentateucho fontes detegentes innumera nova sigla, quibus eos designent, cudunt : « Ich trete, inquit, in den schärfsten Gegensatz zu der modernen Pentateuchforschung, welche uns zu erzählen weiss, dass es eine aus zwei Urschriften durch einen Dritten zusammengefügte Schrift *IE* und eine andere *D* gegeben hat, die dann ein Fünfter vermahlte, gleichwie die früher getrennt existierenden, jüngeren Schriften *Q* und *P* von einem Achten copuliert seien, und dass endlich die Kinder dieser Ehen I E D und Q P von einem Elften verbunden worden seien, den heutigen Pentateuch zu erzeugen. *Die allerneueste Wissenschaft ist freilich mit dieser bunten Fülle an die Formeln der Chemie gemahnender Buchstaben noch lange nicht zufriedem, sondern zerlegt einen jedem von ihnen noch wieder in verschiedene Nummern und wird darin auch fortfahren müssen, bis jeder Vers und Verstheil seine Chiffre erhalten hat, und wir vor der ungeheueren Entdeckung stehen, dass der Pentateuch, wie jedes alte durch einseitige Textüberlieferung auf uns gekommene Schriftstück, aus einer Mehrheit von Satzen besteht, von denen jeder darauf geprüft sein will, ob er richtig uberliefert worden sei* ».

10. Cfr *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 18-79. ubi non minus confuse quam diffuse systema suum exponit, in omnibus fere placita *A. Kuenen* secutus.

11. Quot quidem viri in Deuteronomium scribendum et componendum operam suam contulerint, *Cornill* (l. c. p. 23-33) clare non dicit; ingentem autem eorum numerum fuisse, ex eo concludere licet, quod sententias a *C. Steuernagel* (Der Rahmen des Deuteron. 1894; Die Entstehung des deuteron. Gesetzes 1896) propositas diserte approbet. Nam quatuor saltem vel quinque auctoribus Cornill ad prima undecim capita producenda indiget, multo plures autem Steuernagel requirit ad Deut. 12,1-26,19. Nam iuxta eum haec pars ex duobus legum codicibus coaluit, qui siglis *Pl* et *Sg* distinguuntur, quia in priore populus numero plurali, in altero autem singulari compelletur; atqui codex *Pl* ex quinque antiquioribus libris est conflatus inter quos primum locum « fons seniorum » (Aeltestenquelle) tenuit, qui ipso iterum ex quatuor diversis opusculis velut capitibus confluxit; quot vero opera in codice *Sg* coniuncta sint, definiri non posse, quia ultimus eius redactor fontes suos liberius tractaverit; certum tamen esse, eum variis esse usum ac praesertim « fonte seniorum » aut quatuor opusculis, ex quibus est exortus. Porro opuscula haec omnia ab a. 700. ad a. 650. scripta et per varios redactores connexa esse; tunc « librum legis » hunc (sc. *Deut.* 12-26) in templo esse depositum ac tandem a. 623. velut antiquam legem regi Iosiae oblatum (cfr *Driver-Rothst.* l. c. p. 121 sqq.). Porro in *Deut.* 27. uti in 28, ac reliquis capitibus Cornill varias manus distingui asserit. Sed quemnam eiusmodi insanias referre non piguerit?

Inter acatholicos, qui « orthodoxorum » nomine gloriantur, *Fr. Delitzsch*, ab initio quidem Pentateuchum per Iosuen terminatum esse tenuit, postea

vero, etsi *legislationis* divinam et mosaicam originem profiteretur, in Pentateuchi analysi cum Wellhausen et Reuss fere consensit atque de fontium aetate tantum cum illis disputavit, Deuteronomium post Salomonem sed ante Iosiam, codicem sacerdotalem post Iosiam sed ante exsilium conscriptum esse asserens; nihilominus dubitavit, num totus Pentateuchus eo tempore, quo adornata est versio alexandrina, iam hodiernam suam habuisset formam [12]. Eandem viam ingressus *Ed. Koenig* antemosaica quaedam (*Gen.* 14; plura ex Gen. 49 etc.) et haud pauca mosaica (tum legalia, uti *Exod.* 20,1-17; 20,22-23,33; 34,10-26 etc., tum poetica uti *Exod.* 17,1-21; *Num.* 6,24 sqq. etc.) in Pentateucho adesse tenet, at eadem fere cum Wellhausen documenta agnoscit cum eoque censet, P non nisi post *JE* atque *D* tempore exsilii esse finitum, quin etiam verisimile habet, Esdram ante reditum suum ex Babylonia documenta collegisse apteque disposuisse, ita ut ipse proprie sit Pentateuchi auctor [13]. Non tam longe progreditur *H. L. Strack*; eosdem enim fontes cum « criticis » distinguit, sed systematis consectaria effugere conatur, quatenus eorum aetatem aliter definiens Pentateuchum iam ante exsilium fuisse completum non tam demonstrat, quam velut probabile admittit [14].

Coronidis gratia, ut accuratius appareat, quo effrena « criticorum » licentia rem perduxerit, addamus, iuxta *L. Seinecke* Deuteronomium non ante an. 320-250 et Leviticum non ante a. 164. scribi potuisse, iuxta *Maur. Vernes* autem omnes Vet. Test. libros a 3. ad 1. saec. per scribas iudaicos esse compositos [15].

12. *Fr. Delitzsch* Pentat. - krit. Studien; Urmosaisches im Pentat. (Luthardt Zeitschr. für christliche. Wissenschaft. 1880. 1882).

13. *Ed. König* Einleitung in das A. T. 1893 (p. 180 sqq. 241).

14. *H. L. Strack* Einleitung in das A. T. Ed. 4. 1895 (p. 40-59).

15. *L. Seinecke* Geschichte des Volkes Israel. II. 1884; — *M. Vernes*. Les résultats de l'exégèse biblique. 1890; Essais bibliques. 1891. etc.

Sat magna igitur est « criticorum » systematum de Pentateuchi origine varietas, ut facile unusquisque inveniat, quo delectetur. Neque deerit, ad quem appellet, sive pauciores (duos vel tres etc.) sive plures (septem vel octo etc.) sive innumeros Pentateuchi auctores et redactores fuisse statuerit. Similiter eum terminatum asserere poterit aut tempore Iosuae (cum *Del.* 1872.), aut aetate unius ex primis regibus vel Saulis (cum *Staehelin*) vel Davidis (cum *Bleek*) vel Salomonis (cum *Tuch*), aut ultima regum aetate vel sub Iosia (cum *Knobel*) vel brevi ante exsilium (cum *Schrad. Strack*), aut durante exsilio vel ante Esdram (cum *Dillm.*) vel per Esdram (cum *Koenig*), aut post exsilium vel inter Nehemiam et Alexandrum M. (cum *Reuss*) vel primorum Ptolemaeorum (cum *Del.* 1881. et *Cornill*) vel Machabaeorum aetate (cum *Seinecke*). Item latissimus per totam historiam israeliticam ab Abraham usque ad Machabaeos ei patet campus in singulorum documentorum aetate definienda, si idem documentum (*Gen.* 14) ab aliis (*Koenig* etc.) ante Moysen, ab aliis (*Wellh.*, *Cornill* etc.) diu post exsilium conscriptum dici viderit. Neque timebit, ne in certis partibus vel particulis scriptori at-

avertere conatur, quia de Moyse semper tertia persona loquantur seseque aperte a Moyse distinxerint (Proleg. p. 10. 39. 40. 168 etc.; cfr etiam *Driver Rothst.* l. c. p. 93 sq.); sed *Cornill* (Einl. Ed. 3. p. 30) aliique sinceriores audacioresque Deuteronomium quoque « fraudatori » attribuere non dubitant.

8. *Ed. Reuss* iam inde ab a. 1834. praecipuas systematis theses in praelectionibus discipulis suis tradidit, typis autem eas vulgare ausus non est ante a. 1879 (cfr L'histoire sainte, p. 23 sq.; Gesch. des A. T. Vorr.); totum systema iam a. 1834 hac thesi complexus est : « *Legem praecesserunt prophetae et utrisque Psalmi sunt recentiores* » (Gesch. d. A. T. p. VII).

9. Egregie unus ex antesignanis « criticorum », *A. Klostermann* (Der Pentateuch. 1893. p. 117) temeritatem irridet iuniorum suorum collegarum, qui novos semper in Pentateucho fontes detegentes innumera nova sigla, quibus eos designent, cudunt : « Ich trete, inquit, in den schärfsten Gegensatz zu der modernen Pentateuchforschung, welche uns zu erzählen weiss, dass es eine aus zwei Urschriften durch einen Dritten zusammengefügte Schrift *IE* und eine andere *D* gegeben hat, die dann ein Fünfter vermählte, gleichwie die früher getrennt existierenden, jüngeren Schriften *Q* und *P* von einem Achten copuliert seien, und dass endlich die Kinder dieser Ehen I E D und Q P von einem Elften verbunden worden seien, den heutigen Pentateuch zu erzeugen. *Die allerneueste Wissenschaft ist freilich mit dieser bunten Fülle an die Formeln der Chemie gemahnender Buchstaben noch lange nicht zufriedem, sondern zerlegt einen jedem von ihnen noch wieder in verschiedene Nummern und wird darin auch fortfahren müssen, bis jeder Vers und Verstheil seine Chiffre erhalten hat, und wir vor der ungeheueren Entdeckung stehen, dass der Pentateuch, wie jedes alte durch einseitige Textüberlieferung auf uns gekommene Schriftstück, aus einer Mehrheit von Sätzen besteht, von denen jeder darauf geprüft sein will, ob er richtig überliefert worden sei* ».

10. Cfr *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 18-79. ubi non minus confuse quam diffuse systema suum exponit, in omnibus fere placita *A. Kuenen* secutus.

11. Quot quidem viri in Deuteronomium scribendum et componendum operam suam contulerint, *Cornill* (l. c. p. 23-33) clare non dicit; ingentem autem eorum numerum fuisse, ex eo concludere licet, quod sententias a *C. Steuernagel* (Der Rahmen des Deuteron. 1894; Die Entstehung des deuteron. Gesetzes 1896) propositas diserte approbet. Nam quatuor saltem vel quinque auctoribus Cornill ad prima undecim capita producenda indiget, multo plures autem Steuernagel requirit ad Deut. 12,1-26,19. Nam iuxta eum haec pars ex duobus legum codicibus coaluit, qui siglis *Pl* et *Sg* distinguuntur, quia in priore populus numero plurali, in altero autem singulari compellatur; atqui codex *Pl* ex quinque antiquioribus libris est conflatus inter quos primum locum « fons seniorum » (Aeltestenquelle) tenuit, qui ipse iterum ex quatuor diversis opusculis velut capitibus confluxit; quot vero opera in codice *Sg* coniuncta sint, definiri non posse, quia ultimus eius redactor fontes suos liberius tractaverit; certum tamen esse, eum variis esse usum ac praesertim « fonte seniorum » aut quatuor opusculis, ex quibus est exortus. Porro opuscula haec omnia ab a. 700. ad a. 650. scripta et per varios redactores connexa esse; tunc « librum legis » hunc (sc. *Deut.* 12-26) in templo esse depositum ac tandem a. 623. velut antiquam legem regi Iosiae oblatum (cfr *Driver-Rothst.* l. c. p. 121 sqq.). Porro in *Deut.* 27. uti in 28. ac reliquis capitibus Cornill varias manus distingui asserit. Sed quemnam eiusmodi insanias referre non piguerit?

Inter acatholicos, qui « orthodoxorum » nomine gloriantur, *Fr. Delitzsch*, ab initio quidem Pentateuchum per Iosuen terminatum esse tenuit, postea

vero, etsi *legislationis* divinam et mosaicam originem profiteretur, in Pentateuchi analysi cum Wellhausen et Reuss fere consensit atque de fontium aetate tantum cum illis disputavit, Deuteronomium post Salomonem sed ante Iosiam, codicem sacerdotalem post Iosiam sed ante exsilium conscriptum esse asserens; nihilominus dubitavit, num totus Pentateuchus eo tempore, quo adornata est versio alexandrina, iam hodiernam suam habuisset formam [12]. Eandem viam ingressus *Ed. Koenig* antemosaica quaedam (*Gen.* 14; plura ex Gen. 49 etc.) et haud pauca mosaica (tum legalia, uti *Exod.* 20,1-17; 20,22-23,33; 34,10-26 etc., tum poetica uti *Exod.* 17,1-21; *Num.* 6,24 sqq. etc.) in Pentateucho adesse tenet, at eadem fere cum Wellhausen documenta agnoscit cum eoque censet, P non nisi post *JE* atque *D* tempore exsilii esse finitum, quin etiam verisimile habet, Esdram ante reditum suum ex Babylonia documenta collegisse apteque disposuisse, ita ut ipse proprie sit Pentateuchi auctor [13]. Non tam longe progreditur *H. L. Strack;* eosdem enim fontes cum « criticis » distinguit, sed systematis consectaria effugere conatur, quatenus eorum aetatem aliter definiens Pentateuchum iam ante exsilium fuisse completum non tam demonstrat, quam velut probabile admittit [14].

Coronidis gratia, ut accuratius appareat, quo effrena « criticorum » licentia rem perduxerit, addamus, iuxta *L. Seinecke* Deuteronomium non ante an. 320-250 et Leviticum non ante a. 164. scribi potuisse, iuxta *Maur. Vernes* autem omnes Vet. Test. libros a 3. ad 1. saec. per scribas iudaicos esse compositos [15].

12. *Fr. Delitzsch* Pentat. - krit. Studien; Urmosaisches im Pentat. (Luthardt Zeitschr. für christliche. Wissenschaft. 1880. 1882).

13. *Ed. König* Einleitung in das A. T. 1893 (p. 180 sqq. 241).

14. *H. L. Strack* Einleitung in das A. T. Ed. 4. 1895 (p. 40-59).

15. *L. Seincke* Geschichte des Volkes Israel. II. 1884; — *M. Vernes*. Les résultats de l'exégèse biblique. 1890; Essais bibliques. 1891. etc.

Sat magna igitur est « criticorum » systematum de Pentateuchi origine varietas, ut facile unusquisque inveniat, quo delectetur. Neque deerit, ad quem appellet, sive pauciores (duos vel tres etc.) sive plures (septem vel octo etc.) sive innumeros Pentateuchi auctores et redactores fuisse statuerit. Similiter eum terminatum asserere poterit aut tempore Iosuae (cum *Del.* 1872.), aut aetate unius ex primis regibus vel Saulis (cum *Staehelin*) vel Davidis (cum *Bleek*) vel Salomonis (cum *Tuch*), aut ultima regum aetate vel sub Iosia (cum *Knobel*) vel brevi ante exsilium (cum *Schrad. Strack*), aut durante exsilio vel ante Esdram (cum *Dillm.*) vel per Esdram (cum *Koenig*), aut post exsilium vel inter Nehemiam et Alexandrum M. (cum *Reuss*) vel primorum Ptolemaeorum (cum *Del.* 1881. et *Cornill*) vel Machabaeorum aetate (cum *Seinecke*). Item latissimus per totam historiam israeliticam ab Abraham usque ad Machabaeos ei patet campus in singulorum documentorum aetate definienda, si idem documentum (*Gen.* 14) ab aliis (*Koenig* etc.) ante Moysen, ab aliis (*Wellh.*, *Cornill* etc.) diu post exsilium conscriptum dici viderit. Neque timebit, ne in certis partibus vel particulis scriptori at-

tribuendis solus erret, si satis frequenter aliquid ab aliis Iahvistae, ab aliis Elohistae etc. adscribi animadverterit [16]. Ubi vero anceps, cui versus addicendus sit, haeserit, aut ad novum fontem specialem vel redactorem quendam provocare aut novis terminis technicis suam opinionem cohonestaturus asserere poterit, illo in loco Iahvistam « studiose imitatum vel ex parte sectatum esse » Elohistam, « aut colorem elohisticum adhibuisse », aut « fundamento Elohistico suum aedificium superstruxisse », aut « marginem vel subscriptionem Elohistae retinuisse » etc. [17].

Nisi de re summi momenti ageretur, gravitas, qua viri eruditi post diuturnum ac diligens studium systemata eiusmodi in medium afferunt, solum risum provocaret; tanta enim cum certitudine suum quisque novum proponit, ut rem aliter esse non posse iurares, atque inexorabili iudicio ex doctorum interpretum numero te excludent, quamprimum eorum hypotheses reiicere aut argumenta, quibus firmari dicuntur, impugnare aut ex systematum multiplicitate et contradictionibus ad fundamenti, cui superstruuntur, inutilitatem et imbecillitatem concludere ausus fueris [18].

16. Ex. gr. *Gen.* 6,1-8 Iahvistae ab *Hupf.*, partim Iahvistae partim Elohistae a *Schrad.*, nec Iahvistae, sed fonti speciali a *Del.* tribuitur; *Gen.* 7,3 Elohistae datur a *Tuch*, Iahvistae a *Noeld.*, *Wellh.* aliisque; *Gen.* 49. iterum Elohistae a *Tuch* et *Ew.*, Iahvistae ab *Hupf.*, partim scriptori antemosaico a *Koenig* etc.

17. Cfr de his similibusque effugiis a *Del. Schrad.* etc. frequenter adhibitis *Knabenbauer* Stimm. a. M. Laach. 1873. IV. p. 364; *Flunk* Innsbr. Zeitschr. f. kath. Theol. 1885. p. 603 etc.

18. Non nisi a « viro plane indocto » multitudinem fontium, ad quos « critici » confugere coguntur, innumerasque eorum dissensiones et contradictiones pro argumentis afferri, quibus systematum fundamentum inane ac debile esse demonstretur, inter alios etiam *Strack* (Herzog P. R. E. Ed. 2. XI. 1883. p. 442) asserere non dubitat, quasi « viro vere docto » multitudo et varietas et contradictio opinionum esse posset argumentum veritatis, quae una sola est. Frequentius tamen « critici », ut se veram viam tenere ostendant, ad consensum provocant, ad quem iam pervenerint (l. c. p. 443). At consensum, si quis adest, ex eo facile explicari non vident, quod iuniores, novo examine non instituto, praedecessorum placita caeci sequentes velut rem per se evidentem cum eis admittant, Pentateuchum ex variis documentis esse coagulatum, in quorum dumtaxat numerum, aetatem, indolem sit inquirendum. Neque ex erronea quoque sententia, si pro principio statuitur, consensum quendam non tantum posse sed debere exoriri satis considerant. De reliquo consensum, si quaeritur, quomodo tandem et quando et per quem vel quos Pentateuchus sit natus, non in multis, sed in paucissimis adesse, evidenter ex tabulis apparet, quae ab uno ex « criticis », *H. Holzinger*, operi suo (Einleitung in den Hexateuch. Freiburg 1893.) adiectae quatuordecim praecipua systemata « critica » recensent. Consensus solus adest in negatione unitatis et antiquitatis Pentateuchi; quare etiam unus ex primis systematis wellhausiani inventoribus, *W. Vatke*, in opere posthumo (Einl. ins A. T. herausgeg. von Preuss. 1886. p. 269) ut iuvenum animos dissensionibus « criticorum » turbatos consoletur, nihil aliud afferre potest, nisi « in distinctione et reiectione (Ausscheidung) partium elohisticarum » (earum scil. quae « fraudatori » debeantur) fere cunctos consentire; mira profecto consolatio!

11. — Argumenta demum, quibus « critici » Pentateuchum ex variis

documentis per varios scriptores decursu saeculorum exaratis coaluisse demonstrare conantur, haec fere sunt. Primum ac praecipuum semper eis diversorum nominum divinorum usus praebet. Licet enim hodie plerique illud non multum habere roboris concedant, quoniam divina nomina haud raro a iuniore manu sint mutata et unum saltem admittendum sit documentum, quod nominibus illis promiscue utatur, omnes tamen primo in loco, quando de documentorum distinctione agitur, divina nomina in medium afferunt. — Ad quod debile fundamentum corroborandum moderni alia munimenta addunt. Ac primum quidem in partibus elohisticis et iahvisticis diversas voces dicendique formulas adhiberi ac diversum esse stylum sibi persuadent, quamvis alibi frequenter profiteantur, ex textu massorethico plane non constare, quid auctor ipse scripserit[1]. Diversas deinde illis in partibus cogitandi sentiendique rationes reperiri addunt, uti diversas quoque opiniones quum religiosas tum historicas. — Quo nondum contenti in narrationibus legibusque repetitiones et contradictiones innumeras inveniunt, quae non nisi diversis scriptoribus deberi possint; ac similiter ex eo, quod haud raris in locis idearum nexum et contextum laxum esse aut omnino desiderari arbitrantur, ad diversos auctores concludunt. — Tandem titulos clausulasque frequentes adesse monent, quibus diversorum scriptorum particulae inchoentur aut terminentur; attamen hoc argumentum ab iis maxime excultum, qui totum Pentateuchum minutis fragmentis constare somniarunt, hodie fere negligitur.

Iamvero ut ordine procedamus, praeprimis mosaicam Pentateuchi originem historicis argumentis certis stabiliemus (§ 3) et a praecipuis obiectionibus vindicabimus (§ 4); illa deinde, quibus operis unitas impugnatur, exacto iudicio examinabimus (§ 5), demum quid de antiquitate legislationis, quae in Deuteronomio et in « criticorum » codice sacerdotali continetur, sentiendum sit ostendemus (§ 6).

1. De hac « criticorum » secum ipsis pugnantium ratione argumentandi fuse agit *A. Klostermann* Der Pentateuch. 1893. p. 1-54.

§ 3. — *De mosaica Pentateuchi origine.*

12. — Adversus errores omnes, quos enumeravimus, primo loco stabiliemus, *Moysen quinque illorum librorum, qui inde ab antiquissimis temporibus ei auctori sunt attributi, revera auctorem esse*[1]. Verum ut adversariorum cavillationes facilius praecaveamus, explicemus oportet, quo sensu mosaica Pentateuchi origo intelligenda sit.

Atque 1. quidem per se evidens est, nos Moysen auctorem Pentateuchi esse defendentes nec negare nec asserere, iam ante eum non-

nulla ex iis, quae refert, literis esse consignata eumque praesertim in Genesi scribenda antiquiora documenta adhibuisse vel etiam in opus suum transumsisse. Neque enim, ut aliquis historici operis auctor esse iure dicatur, ullo modo requiritur, ut omnia primus scripserit; nemo profecto historiarum romanarum auctorem esse Livium negaverit, sive quia antiqua documenta, quae invenit, in eas inseruit, sive quia non pauca ex Polybii aliorumque operibus in eas transtulit. Is iure merito totius operis auctor habetur, qui eius consilium et finem mente concepit, historiae partes praecipuas et integras conscripsit, illaque, quae forte aliunde hausit, consilio finique suo ita accommodavit, ut illa revera sua faceret[2]. Quemadmodum enim auctor 2 Mach. Iasonis Cyren. opere usus est, aut S. Lucas fontes scriptos adhibuisse a multis (etsi parum recte, opinor) creditur, ita profecto etiam Moyses eos adhibere potuit; revera nonnulla in Genesi singularem antiquitatis colorem prae se ferunt (Gen. 10, 14, 23 etc.), nec quidquam impedit, quominus Moysen ea ex antiquiore documento in suum opus transtulisse dicamus.

Neque 2. mosaicam Pentateuchi originem defendentes omnia et singula, quae hodie in textu hebraico leguntur, a Moyse profecta esse asserimus. Communem enim antiquorum librorum sortem non effugit, ita ut sat multis naevis oscitantia librariorum invectis hodie scateat, atque fieri quoque potuit et haud dubie factum est, ut lingua eius antiquior ad iunioris aetatis linguam accommodaretur nominibusque obsoletis usitatiora substituerentur[3]. Neque mosaicam librorum originem negamus, si glossas nonnullas explicationis vel elucidationis gratia insertas esse concedimus (id enim in iunioribus quoque libris factum esse antiquiores plerique admittunt[4]), aut si eis terminatis nonnulla a iuniore scriptore inspirato adiecta esse asserimus; quo illa maxime spectant, quae in fine Deuteronomii de Moysis morte traduntur et ab omnibus fere interpretibus, etsi mosaicam Pentateuchi originem acriter defendant, Iosuae vel Esdrae auctori attribuuntur[5].

Quibus praemissis mosaicam Pentateuchi originem quinque argumentis demonstrabimus, quorum tria priora directe probabunt Moysen eius esse auctorem, duo altera, quamquam directe et proxime nihil nisi mosaica aetate eum exortum esse evincunt, prioribus tamen confirmandis et corroborandis non parum inserviunt.

1. Ex catholicis operibus cfr Introductiones a *Herbst*. ***Welte***, *Scholz*, *Lamy*. *Ubaldi*, *Vigouroux*. *Kaulen* (Ed. 3. 1893. p. 191 sqq.) editas ac praesertim ***W. Smith*** The Pentateuch in its autorship (Dublin 1868. I. p. 10-377), ***I. Knabenbauer*** Der Pentateuch u. die Kritik (Stimmen a. Maria Laach 1873. IV.), I. ***P. Martin*** De l'origine du Pentat. (Introd. à la critique générale de l'A. T. 1887. sqq.) etc. — Ex acatholicis praeter opera notissima a *F. H. Ranke*, *F. W. Hengstenberg*, *H. A. Haevernick*,

C. F. *Keil* inde ab a. 1834. edita omnino etiam recentiora quaedam conferri merentur, ac praesertim *W. H. Green* The higher Criticism of the Pentat. 1895; *eiusdem* Die Feste der Hebräer in ihrer Beziehung zur Kritik (germ. 1894) variaeque eius dissertationes in The Presbyterian Review, etc.; *Lex mosaica* or the Law and the higher Criticism ed. by *F. French* (London 1894); *Ed. Rupprecht* Das Rärtel des Fünfbuches Mose u. seine Lösung (4 voll. 1894-97); *Fr. Hommel* Die altisraelitische Ueberlieferung in inschriftlicher Beleuchtung (München 1897) etc.

2. Confer *Smith* l. c. p. 21 sq. : « Although Moses reduced the Pentateuch to writing, we are not to suppose, that he was *the original author* of everything in it. Former generations, far back in antiquity, had naturally written down and preserved the records of past events. Joseph, Jacob, Isaac and Abraham had probably contributed their share to patriarchal literature; and Moses was, no doubt, disposed to avail himself of all the aids within his reach, and of all the sources of information at his command. So that, besides personal observation, we might expect him to use, with due caution, the current traditions of his time, popular songs, monuments, registers, genealogies, narratives, biographies and histories. It would be no matter for astonishment, if we found him incorporating with his own original materials documents from elsewhere, adapting, curtailing, extending, translating, as Livy does whole pages of Polybius without acknowledgment; or interweaving them with his own narrative, or with each other, as Mac Cabe does with the ancient chroniclers of England... Who knows but that it may be reserved for some future age to descend into the vaults of Hebron, to behold the very mummy of Jacob, and in a mouldering papyrus-leaf to trace some document with which we have been familiar in Genesis? »

3. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. 255 (infra); *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 53; *Flunk* in Kirchenlexicon. Ed. 2. IX. p. 1794. etc.

4. Iuxta *Corn. a Lap.* probabiliter 2 *Esdr.* 12,11 non est scriptus a Nehemia sed post eius mortem ab alio scriptore hagiographo insertus; iuxta *Agellium Ps.* 50,19 20 a posteriore quodam scriptore sunt additi etc.

5. Cfr *Bonfrer.* in *Deut.* 34,5. — Assentiri tamen non possumus *Cornelio a Lap.* (in Pentat. Arg.) asserenti : « Adverte Mosen Pentateuchum simpliciter conscripsisse per modum diarii vel Annalium; Iosuen tamen vel aliquem similem eosdem hos Mosis annales *in ordinem digessisse, distinxisse et sententias nonnullas addidisse et intexuisse* ». Neque B. Pererii S. I. (Comment. in Genesim. Coloniae 1606. p. 3) nobis probatur opinio : « Placet etiam mihi, inquit, eorum sententia, qui existimant hoc Pentateuchum longo post Moysen tempore interiectis multifariam verborum et sententiarum clausulis veluti sarcitum et explicatius redditum et ad continuandam historiae seriem melius esse dispositum ». Quae si vera essent, nescio annon Iosue vel alius recentior scriptor rectius, quam Moyses, Pentateuchi auctor vocaretur. Ceterum rationalismo non favere antiquiorum interpretum sententias evidens est, quum semper supponant mutationes, quas admittunt, *ab inspiratis scriptoribus* esse factas. Hinc etiam plura, quam opus est, a iuniore manu Pentateucho addita esse censent; sed de hac quaestione infra tractabimus.

13. — I. Initium autem ab illo argumento facimus, quod omni exceptione maius omnibus, qui christiano nomine gloriantur, solum sufficere potest ac debet, nimirum a CHRISTI DOMINI N. TESTIMONIO[1]. Iudaeos enim Christi tempore unanimi consensu integrum illum, quem hodie habemus, Pentateuchum Moysi auctori attribuisse nemo negat : atqui tantum abest, ut communem hanc Iudaeorum persuasionem

Christus Dominus reprobaverit, ut eam disertis verbis approbaverit et confirmaverit. Quod ut clarius appareat,

1. ad illos textus evangelicos provocamus, in quibus Dominus de *libro Moysis*, de *Lege Moysis* loquitur. Procul enim dubio Dominus, si Sadducaeos interrogat : « De mortuis autem quod resurgant, non *legistis in libro Moysi* super rubum, quomodo dixerit illi Deus » etc., aut si discipulos docet : « necesse est impleri omnia, quae *scripta sunt in Lege Moysi* et Prophetis et Psalmis *de me* »[2], verbis suis alium sensum non attribuit, nisi eum, quo solo ab eius auditoribus intelligi potuerunt, nimirum « in libro, cuius auctor est Moyses ». Quibus vicini sunt textus illi, qui praecepta pentateuchica, quamvis divina habita sint, diserte Moysi attribuunt. Secundum Dominum N. *Moyses* « *praecepit* » leprosis mundatis, ut se sacerdotibus ostendant, *Moyses* « *permisit* » Iudaeis dare libellum repudii, *Moyses* « *dixit* » Honora patrem tuum, *Moyses* « *scripsit* » praeceptum de libello repudii, *Moyses* « *ostendit* » super rubum mortuos esse resurrecturos, *Moyses* « *dedit* » legem circumcisionis etc.[3]; atqui omnia vocabula illa ita sunt comparata, ut Pentateuchum a Moyse esse conscriptum necessario supponant.

2. Ne quis vero obiiciat, Dominum loquendi modo et persuasioni Iudaeorum sese accommodasse ea fere ratione, qua illi quoque, qui Homerum quendam unquam vixisse aut quidquam scripsisse negant, tamen formula « Homerus scripsit » uti solent, ad textum provocamus, qui omnem prorsus accommodationis suspicionem excludit. Iudaeis nimirum ipsum interficere volentibus ait Dominus : « Nolite putare, quia ego accusaturus sim vos apud Patrem ; est qui accusat vos, Moyses, in quo speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis et mihi : *de me enim ille scripsit.* Si autem *illius literis* (τοῖς ἐκείνου γράμμασι scriptis vel libris) non creditis, quomodo *verbis meis* credetis » (*Ioan.* 5,45 sqq.)? Totum Pentateuchum, quatenus sive verbis sive typis Domini adventum vitamque annuntiavit, hac sententia designari evidens est (cfr *v.* 39) neque minus certum est, eum totum Moysi auctori attribui. Nulla autem accommodationis suspicio adest; nam nudis verbis *Moyses* Iudaeos accusaturus esse asseritur, quia *suis ipsius libris* de Messia loquentibus credere noluerint; atqui si Moyses verus Pentateuchi auctor non esset sed erronee tantum eius auctor esset habitus, Dominus directe et immediate hunc errorem approbasset, id quod dicere impium est ac blasphemum[4].

3. Argumentum autem nostrum *Apostolorum et Evangelistarum loquendi modus confirmat.* Etenim Iacobus et Paulus, si « *Moysen legi* » dicunt, aut Paulus, si de *libro* loquitur, quem Moyses populo legit et deinde sanguine aspersit, aut sacri scriptores, si praecepta, vaticinia, narrationes, quae in Pentateucho leguntur, ad Moysen referunt[5], a

Domino certissime non erant edocti, libros istos Moysi auctori erronee attribui, sed potius in sua persuasione de mosaica eorum origine a Domino ipso erant confirmati.

1. *W. Smith.* (The book of Moses etc. p. 15-42) hoc argumentum plene et accurate exponit; multo diffusius at minus accurate ex acathol. *Ed. Rupprecht* (Des Rätsels Lösung. I. 1895. p. 39-80; 191-242); cfr etiam *Rawlinson* in *Lex mosaica* p. 44 sqq.

Adversarii aut plane illud repudiant, quia solis internis rationibus quaestio sit definienda (cfr iam *Davidson* Introd. to the O. T. 1862. I. p. 126), aut illud recusant ac deprecantur, quoniam Christo et Apostolis sit iniuriosum, quippe quorum auctoritas additione aliorum argumentorum vilipendatur, et quoniam haec quaestio, utpote critico-historica, ad theologos non sit deferenda (cfr *Strack* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XI. 441 et *eiusdem* Einl. i. d. A. T. Ed. 4. 1895. p. 23 sq.). — Quis acumen sagacitatemque « criticorum » non miretur, qui ad factum historicum originis libri alicuius cognoscendum ac probandum testibus, qui rem sciunt, non indigent sed solis internis libri characteribus quaestionem definire possunt! Contra Strack vero similesque « orthodoxos » acath. monemus, unum Christi Apostolorumque testimonium *Christianis* omnibus ad plenam faciendam rei fidem procul dubio sufficere posse ac debere, alia tamen argumenta aptissime adiungi, ut etiam *infideles ac rationalistae* de eadem convincantur, neque hac additione auctoritatem Christi Apostolorumque minui aut vilipendi, sed adversarios ad eam agnoscendam adduci. Porro quaestio de mosaica Pentateuchi origine nobis nequaquam est mere historico-critica, verum praeprimis dogmatica vel potius apologetica et polemica contra rationalistas, qui optime perspiciunt, cum mosaica Pentateuchi origine divinam illius ac totius quoque Veteris Test. auctoritatem intime esse connexam atque destructa hac auctoritate revelationem Novi Test. sua sponte ruere. Nam societas illa religiosa, quae mosaicum Pentateuchum tamquam Legem divinitus sibi datam venerabatur eique tota innitebatur, facta est mater Ecclesiae christianae; quicumque ergo Pentateuchum ex documentis nescio quomodo exortis vel potius per falsarios audacter confictis conflatum esse tenet, is cum iudaica illa societate etiam Ecclesiam reiicere debet, quippe quae non amplius a Christo fundata dici possit; quin etiam Christi, qui ad eiusmodi librum tamquam ad fontem veritatis appellavit, divinitatem totamque eius doctrinam negare cogitur (cfr *M. Flunk* Ergebnisse der negat. Kritik. Zeitschr. f. kath. Theol. 1885. p. 407). Itaque ad theologos multo magis quam ad historicos aut criticos quaestio haec pertinet.

2. *Marc.* 12,26; *Luc.* 24,44. Locutio *liber Moysis* per se triplici quidem sensu explicari potest : liber, cuius vel *titulus*, vel *praecipuum argumentum*, vel *auctor* Moyses est. Verum Pentateuchus nunquam titulo *Moysis* inscriptus est neque de Moyse eiusque vita potissimum tractat; sola ergo remanet tertia explicatio, quam tota quoque antiquitas semper tenuit.

3. *Matth.* 8,4 (et parall. *Marc.* et *Luc.*); 19,4-8 (et parall. *Marc.*); *Marc.* 7,10; *Luc.* 20,37; 24,27 (cfr *v.* 44); *Ioan.* 7,19. 22. 23.

4. *Davidson*, postquam totum argumentum repudiavit, illud etiam duplici ratione infirmare conatur (l. c. p. 17 sq.). Dominum enim et Apostolos illis in occasionibus *ad hominem* argumentatos esse obiicit; neque dissimiliter *Ed. König* (Einleitung 1893. p. 144) eos, quia artis criticae non essent magistri, obligatos non fuisse monet ad eiusmodi errorem Iudaeorum corrigendum. At argumenti ad hominem non adest vestigium ac simpliciter Dominus asserit : *Moyses vos accusabit*, *Moyses de me scripsit*. Magistro porro, etsi cunctos auditorum errores statim corrigere non teneatur, nunquam tamen ullum, ne levem quidem, diserte approbare licet, quin men-

dacii fraudisque reus fiat; quaestio autem de origine Pentateuchi, in quo se vitam habere credebant, Iudaeis levis non erat neque mere critica. — Deinde *Davidson* Dominum in rebus historicis et criticis, quia ad solam *humanam* eius scientiam pertinerent, a gentis suae aetatisque opinionibus dependisse, ergo errare potuisse, obiicit (« It should also be observed, that historical and critical questions could only belong to the sphere of his *human* culture, *a culture stamped with the characteristics of his age and country* »). Quam obiectionem a *Strack* (Einl. 1895. p. 24) velut probabilem adoptatam refutatione indignam habebit, quicumque in Christum, Dei Filium incarnatum credit, qui est via, veritas et vita nostra.

5. *Act.* 15,13; 2 *Cor.* 3,15; *Hebr.* 9,19 (*Exord.* 24,8); *Luc.* 2,22; *Ioan.* 4,17. 45; *Act.* 27,33; *Rom.* 9,15; 1 *Cor.* 9,9; *Hebr.* 7,14; 8,5 etc. — Nonnulla ex his testimoniis non universum quidem Pentateuchum, sed solam eius partem attingere non ignoramus; quoniam vero quam plurimi hodie nihil mosaici in universo Pentateucho agnoscunt, illa praetermittenda non duximus, praesertim quum testimoniis illis, si simul sumuntur, totum eius argumentum, *historicum*, *legale*, *propheticum*, Moysi auctori attribui apparet.

14. — II. Alterum argumentum IUDAEORUM TRADITIO IN SE IPSA CONSIDERATA nobis praebet, quippe quae omnibus conditionibus ita sit ornata, ut plenam fidem creare debeat. Nemo nisi demens ullo modo in dubium vocabit, quin Pentateuchus eadem, qua hodie, forma quinto vel saltem tertio ante Christum saeculo exstiterit atque apud Iudaeos, *quia* eum a Moyse Dei legato conscriptum credebant, maximo in honore fuerit. Etenim ineunte saec. 3. sub primis Ptolemaeis iam confecta est alexandrina Pentateuchi versio, nec quisquam Pentateuchum samaritanum aetate Alexandri M. habet iuniorem [1]. Eo igitur tempore ab omnibus Iudaeis erat receptus, neque eorum in varias terras dispersio neque eorum in varias sectas divisio hunc consensum sustulit aut minuit; eadem enim veneratione eum prosequebantur Pharisaei et Sadducaei, Samaritani et Esseni [2], Iudaei palaestinenses et hellenistae. Quanta autem haec veneratio fuerit, nobis testatur *Iosephus* : « Quum enim tot iam saecula effluxerint, inquit, nemo adhuc nec adiicere illis nec ab illis auferre aut in illis mutare quidquam est ausus. Sed omnibus Iudaeis statim ab ipso nascendi exordio hoc insitum atque innatum est... ut Dei haec esse praecepta credamus, iisdem constantes adhaereamus, eorundem causa, si opus fuerit, libentissime mortem perferamus » [3]. Iam vero profundam hanc Pentateuchi venerationem cum intima persuasione de mosaica eius origine coniunctam fuisse in eaque firmissimum suum fundamentum habuisse non minus est certum. Quemadmodum suo tempore Thalmudistae asserebant » Moysen scripsisse librum suum... Iosuen librum suum scripsisse et octo versus (de Moysis morte) in Lege » [4], ita Sadducaeis et Pharisaeis tempore Christi de mosaica eius origine persuasum erat. Atque illi, qui utpote graecis literis dediti ad communem hanc persuasionem addubitandam magis videri poterant inclinati, *Philo* et *Fl. Iosephus*, tantum abfuit,

ut eam reiicerent, ut vel ipsam suae mortis historiam Moysen literis mandasse assererent[5]. Philone antiquiorem scriptorem profanum inter Iudaeos non habemus, nihilominus autem persuasionem hanc multo antiquiorem esse facile demonstramus. Ethnici enim scriptores, *Alexander Polyhistor,* qui medio saec. 1. a. Chr. floruit, *Eupolemus,* saec. 2. scriptor a Polyhistore allegatus, *Hecataeus,* Alexandri M. amicus, si « Moysen legislatorem historiam rerum iudaicarum narrasse », primum « Iudaeis leges scripsisse » referunt[6], ea sine ullo dubio tradunt, quae a Iudaeis audierant. Igitur 4. saltem saeculo a. Chr. inter Iudaeos de mosaica Pentateuchi origine constitit[7].

Atqui haec tam antiqua, communis, constans persuasio in re tanti momenti non explicatur, nisi eam in facti veritate fundatam esse dicamus. Quis enim Iudaeis iam a saec. 7. in varias terras dispersis et in sectas dilaceratis persuasisset, libros recenter editos Moysen Dei legatum habere auctorem? Neque enim de libro qualicunque agebatur, quem authenticum aut spurium esse parum interfuit et de cuius auctoritate et genuinitate soli viri docti et eruditi disserunt; sed de libris, qui omnibus et singulis Iudaeis iugum gravissimum (*Act.* 15, 10) imponebant, ad quorum praecepta tota vita religiosa, civilis, privata erat ordinanda. Neque in controversia erat opus, quod naturali Iudaeorum iactantiae et superbiae blandiebatur, sed liber, qui humiles populi iudaici origines, primorum eius patrum facinora et flagitia, maiorum pervicaciam, obstinationem, crimina gravissima fideliter narrabat, atque, quod gravius est, ipsius populi futuram reprobationem haud obscure innuebat[8]. Maximum sane foret miraculum, si Pentateuchus hanc legem, hanc narrationem, hanc praedictionem complectens integro populo iudaico a nescio quo deceptore sub nomine et auctoritate Moysis obtrusus esset. Neque satis mirari possumus, quod moderni « critici » non tantum Esdram et Nehemiam, etsi usque ad illorum aetatem nemo quidquam de libris a Moyse conscriptis audiverit, Iudaeis opus hoc velut genuinum legislatoris foetum tradidisse censeant, sed etiam integrum populum, sacerdotes, levitas, laicos, nobiles et ignobiles nullo omnino reclamante et repugnante opus hoc velut mosaicum accepisse asserant. Num in tota historia literaria tam protervae et impudentis fraudis invenitur exemplum?

1. Cfr *Introd. gener.* Ed. 2. 1894. nn. 121. sqq. et 93. pp. 339 sqq. 266 sqq. Absurdior est, quam quae refutari mereatur, opinio a *L. Seinecke* prolata de Pentateucho Samaritanis per Ioannem Hyrcanum tradito (cfr *supra* p. 30); ceterum ei refutandae plane sufficiunt quae in *Introd. gener.* (Ed. 2. p. 267 sq.) diximus.

2. *Marc.* 19,7; 22, 24; *Marc.* 12, 19; *Ioan.* 8, 5; *Act.* 15, 5 etc.; *Fl. Ioseph.* De bello Iud. II. 8, 9.

3. *Fl. Iosephi* c. Appion. I. 8; cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 46 n. 4.

4. Baba bathra fol. 14 b; cfr *Introd gener*. Ed. 2. p. 47 sqq.

5. *Philo* Vita Moysis III. 39 (Ed. Lips. IV. p. 244); *Fl. Iosephi* Antiquit. IV. 8. 48.

6. Cfr. *Euseb*. Demonstr. evang. IX. 26 (M. 21, 728) : « Polyhistor de Moyse quoque quam plurima tradit, inter quae memoria dignum, quod *Eupolemus* dicat Moysen primum sapientem fuisse et primum literas Iudaeis dedisse, a quibus eas acceperint Phoenices, et *Moysen* primum Iudaeis *leges scripsisse* » (νόμους τε πρῶτον γράψαι Μωσῆν τοῖς Ἰουδαίοις ». L. c. IX. 20 (M. 21, 713) : « Testem *Alexandrum Polyhistorem* habeo haec asserentem : Cleodemus, qui et Malchas, de Iudaeorum historia scribens eodem modo, quo Moyses eorum legislator, narrat Abrahamo ex Cetura multos filios esse genitos » (cfr *Gen*. 25, 1 sqq.) De *Hecataeo* cfr. Müller Fragm. Hist. Graec. II. p. 580. Multo plura profanorum testimonia affert *Huetius* (Demonstratio evangelica. Prop. IV. c. 2. Ed. Veneta 1765. p. 51 sqq.), sed satis multa ex illis sunt dubia.

7. Hinc iam satis liquet, quantopere a vero aberret *Davidson* (l. c. p. 113) : « The view which assigns the whole Pentateuch to Moses is *comparatively modern* (!!). The old Jews never thought of regarding their legislator as a historian. Philo himself always terms him the lawgiver, never the historian ». Philonis opera videtur nunquam vidisse; profecto Philo Moysen tamquam historicum cognovit, si explicite et diserte partem operis eius *historicam* esse asserit; iam vero haec habet (De vita Moysis II. 8. Ed. Lips. IV. p. 194) : Τούτων (mosaicorum sc. librorum) τοίνυν τὸ μέν ἐστιν ἱστορικὸν μέρος, τὸ δὲ περὶ τὰς προστάξεις καὶ ἀπαγορεύσεις... Ἔστιν οὖν τοῦ ἱστορικοῦ τὸ μὲν περὶ τῆς τοῦ κόσμου γενέσεως, τὸ δὲ γενεαλογικόν· τοῦ δὲ γενεαλογικοῦ τὸ μὲν περὶ κολάσεως ἀσεβῶν, τὸ δ'αὖ περὶ τιμῆς δικαίων κτλ. Alibi (De praemiis et poenis 1. Ed. Lips. V. p. 219) tres Pentateuchi partes distinguit : τὴν μὲν γὰρ περὶ κοσμοποιίας, τὴν δὲ ἱστορικήν, τὴν δὲ τρίτην νομοθετικήν.

8. Cfr *Lev*. 26, 27 sqq.; *Deut*. 28, 49 sqq.

15. — III. Tertium argumentum praebet ipsius **Moysis in Pentateucho testimonium**. Haud paucorum librorum, quos antiquitas profana nobis reliquit, auctores non cognoscimus nisi ex inscriptionibus aut subscriptionibus, quas ipsi addiderunt, aut ex testimoniis, quae ipsi operibus suis inseruerunt; haec autem auctorum de se ipsis testimonia in dubium vocare non licet, nisi ea falsa esse aliunde certo et clare constat. Quot Ciceroni epistolae abiudicandae essent, nisi earum inscriptio sufficiens authentiae argumentum haberetur! At si haec auctorum de se ipsis testimonia in libris profanis magna gaudeant auctoritate, maiore gaudeant oportet in libris sacris (etsi eorum inspirationem seponamus), siquidem multo maiore cum cura et diligentia ad nos sunt transmissi. Testimonia autem, quae Pentateuchus nobis de suo auctore tradit, duplicis sunt generis; alia enim nonnullas dumtaxat partes, alia autem integrum opus respiciunt, utraque vero argumentum firmum authentiae praebent.

1. Atque prioris quidem generis testimonia sunt haec. Postquam Amalecitae Moysis oratione et virtute Iosuae devicti sunt, « dixit Dominus ad Moysen : *Scribe hoc ob monumentum in libro* »[1]; eodemque prorsus modo postquam foedus Iudaeorum idololatria violatum renovavit, « dixit Dominus ad Moysen : *Scribe tibi verba haec* » (*Exod*.

34, 27). Iam antea autem, postquam Deus foedus cum populo iniit, « *scripsit Moyses universos sermones Domini* » (*Exod.* 24, 4), et versus finem peregrinationis demum « mansiones filiorum Israel » « *descripsit Moyses iuxta mandatum Dei* »[2]. Directe quidem et proxime his verbis eos solos textus, qui relati sunt (narrationes de victis Amalecitis, de renovato foedere, librum foederis, catalogum stationum) Moysi scriptori attribui fatemur, at alios non excludi, sed potius includi arbitramur. Sicuti enim prophetae, quamvis vaticinia sua literis mandare soliti essent, nonnulla tamen, quia graviora erant et profundius inculcanda, scribere diserte iubebantur[3], ita etiam Moyses, etsi reliqua quoque scriberet, graviora haec scribere iussus est. Gravioribus enim certissime adnumerandae sunt quum prima foederis sanctio tum foederis violati renovatio. Neque minoris momenti erat, Israelitis primam victoriam post exitum ex Aegypto relatam in memoriam revocare; certum enim exploratumque eis semper esse debuit, se Deum in omnibus proeliis habituros esse adiutorem, quamdiu fideles ei adhaererent, sua autem propria fortitudine se hostes non esse devicturos; immo memores quoque eos esse voluit Deus, Amalecitas ob iniustam suam aggressionem ad interitum esse damnatos[4]. Demum stationum quoque catalogo singularis quaedam competit auctoritas, siquidem longae peregrinationis poenam, quam continua pertinacia frequentibusque murmurationibus patres sibi attraxerant, filiis ob oculos ponebat. Verum quamquam haec utpote graviora singulari Dei mandato scribi iussa sunt, reliqua tamen praecepta, quae foederis initi sunt explicatio, atque reliqua populi historia, quae eiusdem misericordiae et iustitiae divinae continuum est testimonium, etiam Israelitis ob oculos semper versari debebant; quocirca Deus, qui subsequentibus temporibus per prophetas populum suum degenerem pristinorum beneficiorum recordatione redarguere, excitare, ad meliorem Legis observationem revocare voluit, pro sapientia sua effecit, ut haec omnia una cum prioribus scriberentur.

1. *Exod.* 17, 14. Textus massorethicus habet : כְּתֹב זֹאת זִכָּרוֹן בַּסֵּפֶר « scribe haec ob monumentum in librum istum iam cognitum, in quo omnia referre soles ». Eam enim potestatem habet articulus in בַּסֵּפֶר. Revera si haec scribenda erant, ut populo essent in monumentum, in volumen aliquod inserenda erant, quod ipsum velut monumentum perenne conservari et populo praelegi septimo quoque anno debuit (*Deut.* 31, 9 sqq.). Alexandrini quidem articulum non legerunt (βιβλίῳ vel εἰς βιβλίον = בְּסֵפֶר), at contextus eum videtur postulare.

2. *Num.* 33, 2. S. Hieronymus verba עַל־פִּי יְהוָֹה cum immediate praecedentibus coniungit : « iuxta castrorum loca, quae *Domini iussione mutabant* », rectius autem verterunt Alexandrini : καὶ ἔγραψε Μωυσῆς τὰς ἀπάρσεις αὐτῶν καὶ τοὺς σταθμοὺς αὐτῶν διὰ ῥήματος κυρίου

3. *Is.* 30, 8; *Ier.* 30, 2; *Ezech.* 43, 11; *Hab.* 2, 2 etc. Quae exempla satis demonstrant, quam parum recte asserat *Davidson* l. c. p. 107 : « The very specification of Moses's writing the occurrences in question is hardly consistent with the fact of his composing the entire history of the Israelites march through the wildnerness, into which this particular portion was taken ».

4. Cfr *Deut.* 25, 17-19; 1 *Reg.* 15, 2 sqq. Non sine ratione 1 *Paral.* 4, 43 completa « reliquiarum quae evadere potuerant, Amalecitarum » destructio refertur.

2. Dubitatio, quam textus allati forsitan reliquerint, aliis verbis, quae in fine Deuteronomii leguntur, prorsus aufertur : « *Scripsit itaque Moyses legem hanc* (אֶת־הַתּוֹרָה הַזֹּאת) et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabant arcam foederis Domini, et cunctis senioribus Israel. Praecepitque eis dicens : Post septem annos (i. e. septimo quoque anno), anno remissionis, in sollemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, *leges verba legis huius* (תִּקְרָא אֶת־הַתּוֹרָה הַזֹּאת) coram omni Israel » etc.[5]. Iam vero verba « *legem hanc* », quam Moyses se scripsisse testatur atque populo in annis sabbathinis praelegi iubet, aut integros praecedentes libros aut, id quod nonnullis modernis interpretibus praeplacet, solum Deuteronomium designat; utraque autem explicatio luculentum argumentum exhibet mosaicae originis totius Pentateuchi.

A.) Ex textu illo firmissimum argumentum desumi, si « *lex haec* » integros praecedentes libros designat, evidens est; atqui haec verborum explicatio tam firmis nititur fundamentis, ut sola nobis probetur.

Namque a.) praeprimis exegetica Iudaeorum traditio ei favet, quam hac in quaestione spernere nemini licet, siquidem de praecepto singulis septenniis implendo agitur, cuius igitur vera explicatio nec antiquis Iudaeis incognita esse nec oblivioni facile dari potuit. Etenim quidquid in contrarium allegatur, id firmum ratumque manet, secundum rabbinorum traditionem totum Pentateuchum (vel potius selectas partes ex toto Pentateucho) in tabernaculorum festo anni remissionis populo esse praelectum[6]; atque cum iis consentit *Iosephus*, qui « *leges* » (τοὺς νόμους) a summo sacerdote praelegi debuisse refert[7]. Neque id mirum; nam iidem rabbini textum illum, quo rex ad thronum accedens אֶת־מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה הַזֹּאת in librum scribere eamque quotidie legere iubetur, de toto Pentateucho intelligunt.

b.) Praeterea totius Deuteronomii dispositio et oeconomia suadet, ut de integro Pentateucho verba illa interpretemur. Nisi quis enim cum paucis interpretibus modernis tres illas conciones, quae intimo nexu inter se colligatae Deuteronomium efformant, discerpere variisque scriptoribus attribuere aeque arbitrarie atque inepte voluerit, concedat necesse est, verba « *legem hanc* », quae in concionum fine

leguntur, idem significare, quod eadem verba, quibus inchoantur (*Deut.* 31, 9 et 1, 5). Atqui in libri prooemio designant libros praecedentes. Nam nullo pacto ad ea, quae immediate sequuntur, referri possunt, α.) quia in tota prima concione satis longa (1, 6-4, 49) *legum* nulla fit mentio, quum integra in divinis beneficiis commemorandis versetur atque brevi praecipuorum peregrinationis eventuum historia animos ad leges libenter amplectendas et fideliter implendas praeparet; β.) quia Moyses dicitur incepisse « *explanare* (בֵּאֵר) legem hanc »; explanari autem nequit, nisi lex antea iam tradita[8]; γ.) quia « lex haec », quam explanare coepit Moyses, procul dubio ea est, quae paucis versibus antea (1, 1) describitur : « haec verba, quae locutus est Moyses trans Iordanem » etc.; iam vero ibi omnes leges designari, quae toto peregrinationis tempore latae et in tribus intermediis libris conscriptae sunt, statim demonstrabimus. Quibus argumentis nixi verba ista « *legem hanc* » (1, 5) de praecedentibus tribus libris intelligenda esse, sine ulla haesitatione asserimus, ideoque eadem epilogi verba (31, 9) eodem modo interpretemur necesse est. Tres igitur intermedios libros (*Exod.*, *Levit.*, *Num.*) Moyses sese scripsisse testatur. Exodus autem cum Genesi ita cohaeret, ut sine illa non intelligatur neque ullo modo prima Exodi capita a Genesi discerpi aut divelli possint. Si Genesin a sequentibus libris separaveris, opus habes truncum et ἀκέφαλον; etenim ignoras, quis sit ille Israelitarum Deus, a quo leges sint accepturi, quem velut regem suum colere, in cuius honorem sabbatha et festa celebrare, cui sacrificia et primitias offerre iubeantur; immo ignoras, quaenam tandem sint promissiones illae maioribus datae et in intermediis libris toties commemoratae. Verba igitur, quibus ultimos libros sese scripsisse testatur Moyses, ad Genesin extendantur oportet.

5. *Deut.* 31, 9 sqq. Quibus merito adduntur 31, 24 sqq. : « Postquam ergo ***scripsit Moyses verba legis huius*** (אֶת־דִּבְרֵי הַתּוֹרָה־הַזֹּאת) in volumine atque complevit, praecepit levitis, qui portabant arcam foederis Domini dicens : Tollite librum istum et ponite eum in latere arcae foederis Domini, ut sit ibi contra te in testimonium ». Num verba haec a Moyse ipso sint scripta, an potius a Iosue, qui Moyse mortuo Pentateuchum morte legislatoris eiusque ultimis verbis additis complevit, dubitatur; si Moysi attribuenda sunt, idem nobis exhibent argumentum, quod *Deut.* 31, 9 sqq.; si Iosuae dicenda sunt, nobis alterum argumentum praebent, quod utpote testimonio individui socii et discipuli Moysis innixum non minoris est roboris.

6. *Delitzsch* (Comm. über die Genesis. Ed. 4. p. 20) hisce argumentis demonstrare conatur integrum Pentateuchum non esse intelligendum. a.) Si *Deut.* 17, 18 rex novus אֶת מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה הַזֹּאת (legem repetitam) in libro scribere iubetur, solum Deuteronomium intelligendum est; ergo et nostro in loco. — At si prius concederetur, nondum alterum esset concedendum; excipi enim potest terminos esse diversos, aliud esse התורה הזאת, aliud משנה התורה הזאת; atqui prius ipso Delitzsch fatente Iudaeorum traditioni contradicit. Alexandrini quidem et hoc in loco et *Ios.* 8, 32. *Mischneh hath-*

thore hazzoth vertunt τὸ δευτερονόμιον τοῦτο eosque secutus S. Hieronymus « Deuteronomium legis huius »; sed מִשְׁנֶה ab Onkelos redditur פתשגן (exemplar), a Syro פרשׁגנה (exemplar) et a rabbinis explicatur « *duplum* i. e. duo libri legis, unus qui recondatur in domo gazophylacii eius, alter qui ingrediatur et egrediatur cum ipso ». (Cfr *Haevernick Keil* Einl. I. 2. p. 25 et opera ibi allegata). — b.) Tempore secundi templi in usu fuisse asserit, ut solum Deuteronomium legeretur. — At in textu allegato (*Sota* 8. Cfr *Surenhus*. Mischna III. p. 267.) de illa sola sectione sermo est, quae *a rege* erat praelegenda, atque haec utique variis partibus Deuteronomii constat; quomodo autem inde deducatur, toto festi octiduo solum Deuteronomium esse praelectum non apparet. Procul dubio 2 *Esdr*. 8, 18, ubi prima celebratio festi tabernaculorum post exsilium describitur, phrasis וַיִּקְרָא בְּסֵפֶר תּוֹרַת הָאֱלֹהִים יוֹם בְּיוֹם (« et legit in libro legis Dei per dies singulos a primo usque ad ultimum ») de integro Pentateucho intelligenda est; Esdrae enim tempore solum Deuteronomium nomine *Sepher thorath haelohim* designatum esse nullo exemplo demonstratur. — c.) Fieri non potuisse censet, ut octiduo integer Pentateuchus sit praelectus. — Cur octo diebus, si « de mane usque ad mediam diem » praelegitur (2 *Esdr*. 8, 3), integer Pentateuchus absolvi non possit, non intelligimus, ac praeterea monemus Moysen *integrum* Pentateuchum isto tempore praelegi non iussisse; rectissime dicitur « lex Domini » istis diebus praelecta, etsi selectae dumtaxat partes legantur. Hinc etiam 2 *Esdr*. 8, 18 : « legit autem *in* libro legis » etc. — d.) Si *Deut*. 27, 8 praecipitur, ut « omnia verba huius legis » lapidibus in monte Ebal inscribantur, per se patet integrum Pentateuchum lapidibus non esse inscriptum, et si *Ios*. 8, 32 impletio huius praecepti narratur, verba התורה הזאת explicatur משׁנה תורה i. e. Deuteronomium. — Monuimus autem antea, *Mischneh thorah* in Scriptura nunquam designare Deuteronomium, nec videmus, cur integer Pentateuchus lapidibus calce laevigatis inscribi non potuerit, si Deuteronomium integrum scribi potuit. Ceterum quidnam intelligendum *sit* verbis « omnia verba huius legis » (*Deut*. 27, 8) inter veteres interpretes iudaicos aeque ac christianos iam controvertebatur; alii solum decalogum, alii duo praecepta caritatis, alii benedictiones et maledictiones, alii sexcenta tredecim praecepta, quae Iudaei in Pentateucho inveniunt, alii Deuteronomium, alii Pentateuchum intelligebant; immo Thalmudistae septuaginta diversis linguis integrum Pentateuchum lapidibus inscriptum esse somniabant (Cfr *Bonfrer*. i. h. l., *Haevernick-Keil* l. c. p. 25 etc.). Apud Aegyptios integra poemata aliaque opera lapidibus non tantum inscripta, sed *insculpta* videmus; apud Assyrios et Chaldaeos idem viguit mos; per se igitur nihil obstat, quominus integrum Pentateuchum lapidibus calce illitis inscriptum dicamus; sed in re tam obscura nihil pro certo asserimus. Quod autem praecepti huius, quod *soli* Iosuae implendum erat, certa explicatio traditione non sit conservata, nemo mirabitur.

7. *Fl. Ios.* Antiqu. IV. 8, 12.

8. Ut vim huius argumenti eludant, verbo בֵּאֵר significationem « sculpendi et scribendi » vel « inculcandi » tribuunt; at textus allegati (*Deut*. 27, 8; *Hab*. 2, 2) rem non evincunt, siquidem iis quoque in locis cum *Alex*. *Syr*. *Vulg*. *Chald*. significatio « explanandi » « clare manifestandi » praeferenda est; atque nostro quoque in loco eandem cum *Vulg*. retinent *Alex*. (διασαφῆναι), *Onkelos* (פָּרֵישׁ), *Syrus* (פשׁק) modernique multi « critici », uti *Siegfried-Stade* Lexic., *Koenig* Einl. p. 138 etc.

B.) Demus autem (licet non concedamus) adversariis, vocibus « *legem hanc* » (*Deut*. 31, 9) solum Deuteronomium significari, num ideo argumentum nostrum corruet? Minime gentium; Moysen enim integrum Pentateuchum scripsisse optime demonstratur, quamprimum eum

Deuteronomium scripsisse conceditur; siquidem Deuteronomium reliquos libros iam scriptos supponit.

a.) Namque Deuteronomium non est nova quaedam lex, sed legis iam traditae explicatio et inculcatio; sicut commentarius igitur textum explicandum, ita Deuteronomium legem iam scriptam supponit. Lege primam concionem, quae totius historiae Israelitarum in deserto peregrinantium est compendium quoddam, et quam plurimas allusiones invenies, quas non intelliges nisi iis cognitis, quae in prioribus libris narrata sunt [10]. In altera concione, quae tota est in legibus commendandis et inculcandis, haud pauca praecepta eaque magni momenti prorsus omittuntur; de sacerdotum levitarumque distinctione, de immunditiis legalibus, de coniugiis inter consanguineos prohibitis, de anno remissionis et de anno iubilaei observando, de sacrificiorum ritibus etc. aut nihil aut admodum pauca traduntur. Manca igitur et incompleta fuisset lex, si Moyses solum Deuteronomium scripsisset : quomodo ergo defectu hoc non obstante benedictiones omnes promittere potuisset populo custodienti « praecepta et ceremonias, quae in hac lege (vel potius : *in hoc libro legis* בְּסֵפֶר הַתּוֹרָה הַזֶּה Deut. 30, 10) *scripta sunt* ». Bonum ex integra causa; benedictionibus igitur digni non erant, nisi qui *omnia* praecepta divina observarant.

b.) In altera concione Moyses, licet eam *ore protulisse* diserte referatur (*Deut.* 5, 1), non semel *librum legis* commemorat; ergo volumen legis iam antequam concio habebatur erat conscriptum. « Nisi custodieris et feceris omnia verba legis, *quae scripta sunt in hoc volumine* (אֶת־כָּל־דִּבְרֵי הַתּוֹרָה הַזֹּאת הַכְּתֻבִים בַּסֵּפֶר הַזֶּה), augebit Dominus plagas tuas et convertet in te omnes afflictiones Aegypti, quas timuisti, et adhaerebunt tibi; insuper et universos languores et plagas, *quae non sunt scriptae in volumine legis huius*, inducet Dominus super te » [11]. Quo ex textu, si ad oppositionem in ultimo membro factam converteris attentionem tuam, cum certitudine colliges, in « libro legis huius », de quo Moyses loquitur, « afflictiones et plagas Aegypti » scriptas fuisse; praeter praecepta igitur etiam historicam narrationem complexus est; plagae autem Aegypti in solo Exodo narrantur.

c.) Ne longi simus, id unum addamus, in exordio etiam Deuteronomii libros praecedentes scriptos et cognitos iam supponi. Etenim α.) temporis, quo Moyses conciones suas habuit, descriptio nulla prorsus est, nisi ex praecedentibus libris chronologia adhibita lectori innotuerat. Finge illos abesse, et quidnam his verbis intelliges : « *Quadragesimo anno, undecimo mense, prima die mensis* locutus est Moyses ad filios Israel » etc. (*Deut.* 1,3)? A quonam termino quadraginta anni sint numerandi et quaenam sit quadragesimi anni illius significatio, non

habetur nisi ex praecedentibus libris. β.) « Lex haec », quam Moyses « trans Iordanem in terra Moab » explanare coepit[12], immediate antea ita describitur : « haec sunt verba, quae locutus est Moyses ad omnem Israel trans Iordanem, in deserto, in Arabah, e regione Suph (maris rubri), inter Pharan et inter Thophel et Laban et Haseroth et Disahab. Undecim dierum ab Horeb est iter per montes Seir usque ad Cadesbarne »[13]. Irrito labore antiquiores et moderni interpretes non omnino pauci sese defatigaverunt, ut multis his nominibus geographicis terram Moab, in qua Moyses deuteronomicas conciones habuit, designari demonstrarent; nam quamvis difficultate sua non careant, dubium tamen non est, quin totum peregrinationis tempus in memoriam revocent atque omnes illas regiones designent, in quibus Deus per Moysen leges suas populo dederat[14]. Quapropter « *verbis his* » vel « *lege hac* », quam Moyses in terra Moab explanavit, designantur omnia illa, quae praecedentibus libris continentur. Qui autem libros illos ignoravit, nullo modo exordium Deuteronomii intelligere potuit.

10. Cfr hoc argumentum egregie explicatum a *Smith* l. c. p. 51 sqq. « The peculiar way in which the laws are handled by the Deuteronomist is such as can be expected only from an authentic commentator, working on a code already delivered in the form which we now have. For while he runs over most of the legislation, always supposing its previous existence, we find him grouping together laws which lie scattered in the original (cfr *Deut.* 7,1-5 et *Exod.* 23,32 sq.; 34,11-17), arranging them in oratorical form rather than in legislative order, at one time compressing (*Deut.* 14,22 et *Lev.* 27,30-33; *Deut.* 15,19 et *Lev.* 27,26-28 etc.), at another extending (*Deut.* 22,1-4 et *Exod.* 23,4. 5; *Deut.* 24,10-13 et *Exod.* 22,25. 26 etc.), and occasionally passed over those that required no special notice at the moment » etc. Simili modo longa serie (p. 52-55) affert res gestas in prioribus libris relatas, ad quas Deuteronomista allusit, alios priorum librorum textus, quos imitatus est, nonnullos quos ad verbum fere transumsit.

11. *Deut.* 28,58. Cfr etiam 29,19 26 27; 17,18 sq.; 27,2 sq. Moderni nonnulli (*Delitzsch* Genes. Ed. 4. p. 20; *Riehm* Gesetzgebung Moses in Lande Moab. Gotha 1854. p. 108 etc.) ubique his vocibus in Deuteronomio solum Deuteronomium designatum vident; at prius demonstrandum erat, nisi in circulo vitioso versari velint, Deuteronomium unquam solum exstitisse atque completum opus constituisse. Illa autem in forma, qua hodie illud habemus, solum exstare non potuit.

12. *Deut.* 1,5. — *S. Hieronymus* vocabula « *trans Iordanem in terra Moab* » ad praecedentem versum traxit; Bonfrerius (i. h. l.) autem iam monuit ea secundum *Hebr.*, *Chald.*, *Alex.*, *Syr.* cum phrasi « *coepit explanare* » esse connectenda.

13. *Deut.* 1,1. 2. — Vulgata a textu primigenio aliquantum dissentit, quia S. Hieronymus vocabula בַּמִּדְבָּר בָּעֲרָבָה coniunxit (« in solitudine campestri »), nomen proprium דִּי זָהָב (*Alex.* Καταχρύσεα) velut praecedentis nominis epitheton habuit (« ubi auri est plurimum »), atque ultimam phrasin prioribus ita adiunxit, ac si accuratior loci determinatio esset.

14. Textum satis obscurum hac ratione explanandum censemus. Integram regionem, in qua res sunt gestae et leges latae, descripturus Moyses quatuor prioribus dictionibus (*trans Iordanem, in deserto, in Arabah, e regione maris rubri*) totam pere-

grinationem in mentem revocat. Quae inchoata est « E REGIONE MARIS RUBRI », in monte Sinai nimirum, qui e regione maris rubri situs est; triginta septem annis insequentibus autem peregrinati sunt « IN ARABAH » (in regione arida) i. e. in illo terrarum tractu, qui a mari mortuo usque ad Sinum Aelaniticum sese extendens hodie adhuc *Wady el Arabah* vocatur. Trigesimo nono demum anno Israelitae Arabah reliquerunt et montes Seir praetergressi per DESERTUM orientale venerunt in terram Moab, quae est TRANS IORDANEM et in qua Moyses deuteronomicas suas conciones habuit (*Deut.* 1,5) legesque ultimis praecedentis libri capitibus relatas tradidit (*Num.* 35,1; 36,13). Inverso igitur ordine totum peregrinationis itinerarium indicat. Quinque aliis nominibus (*Pharan, Tophel, Laban, Haseroth, Di Zahab*) eadem peregrinationis regio accuratius definitur. PHARAN eius fines indicat versus septemtrionem et occidentem, TOPHEL autem versus septemtrionem et orientem; Pharan enim est illa deserti Arabah pars Palaestinae vicina, ex qua Moyses speculatores misit in terram Chanaan (*Num.* 13, 3, 26), Thophel autem, cuius nomen in nomine *Thaphile* moderno conservatum esse cum multis modernis censemus, haud longe a mari mortuo in terra Edom situm erat (Cfr *Riess* Bibl. Geogr. p. 88). HASEROTH et DI ZAHAB fines meridionales videntur indicare. Haseroth enim secunda erat statio Israelitarum a monte Sinai proficiscentium (*Num.* 11,34; 33,17); Di Zahab (« *ubi auri est plurimum* ») autem cum plerisque interpretibus idem nomen esse arbitramur atque Dahab (*aurum*) vel Mina Dahab (*portus auri*); Mina Dahab vero, in sinu Aelanitico haud longe a Sinai monte situm, forte prima statio erat Israelitarum, postquam e solitudine Sinai egressi sunt; Moyses stationi illi ob poenam populo ibi inflictam novum nomen Thabeera (*incensio*) et Kibroth haththaawah (*sepulcra concupiscentiae*) imposuit (*Num.* 11, 3, 34; 33,16). Demum LABAN probabiliter est *Libna* (*Num.* 33,20), quae quinta fuit statio Israelitarum a monte Sinai profectorum, ac proin, quum iter a monte Sinai usque ad Cadesbarne, quo ex loco missi sunt speculatores, undecim esset dierum, centrum quodammodo totius illius regionis constituit.

16. — IV. Quartum argumentum EX RELIQUIS VETERIS TESTAMENTI LIBRIS TOTAQUE HISTORIA ISRAELITICA desumtum cum secundo argumento intime cohaeret illiusque est complementum et confirmatio. In illo enim Iudaeorum persuasionem, qua ultimis ante Christum saeculis unanimi et constanti consensu Pentateuchum Moysi auctori attribuerunt, facti veritate non admissa explicari non posse ostendimus; at ulterius progredientes eandem Iudaeis persuasionem tota retro antiquitate usque ad Iosuae aetatem fuisse nec ullum post Moysen tempus inveniri, in quo Pentateuchus cognitus non fuerit, asserimus. Duplici igitur parte argumentum hoc constat; in priore directe et diserte *mosaica librorum origo* adstruitur; in altera autem directe quidem nihil aliud demonstratur, nisi *mosaica aetate* eos exortos esse, at indirecte simul eruitur Moysen eorum esse auctorem, quum nulla prorsus sit ratio, cur Moysi abiudicentur, si eius aetate scripti concedantur.

Priusquam utramque assertionis partem demonstrare aggrediamur, praemittamus oportet in argumentatione nostra auctoritatem librorum, maxime propheticorum et historicorum, Veteris Testamenti nos supponere; idque summo nostro cum iure. Fatentibus enim ipsis nostris adversariis prophetae rerum sua aetate gestarum testes sunt omni

fide digni, atque de librorum quoque eorum authentia, partibus nonnullis exceptis, in genere saltem nobiscum consentiunt. Aliter quidem res se habet de libris historicis, quos plerosque satis recentis aetatis esse dicunt moderni « critici » nec omnes fide dignos; infra autem eorum auctoritatem vindicabimus, atque illud etiam hoc iam loco sinceri adversarii nobis concedere debent, eorum auctores, quoquo tempore vixerint, narrationis suae longe maiorem partem ex documentis, quae rebus gestis erant aequalia, hausisse eorumque narrationes omnibus, quae nostra aetate detecta sunt, monumentis Aegyptiorum, Assyriorum, Moabitarum mirifice confirmari. Quoniam nullus est V. T. liber, qui Pentateucho testimonium non ferat, omnes autem percurrere spatii angustiis impedimur, argumentum integrum hoc loco non explicabimus [1], sed pauca quaedam, quae ad demonstrationem sufficiunt, afferemus.

1. Praeprimis igitur *nec in historicis nec in propheticis libris desunt textus, qui legis libros Moysi auctori diserte attribuunt.* Per ultimum prophetam, *Malachiam*, monet Deus : « Mementote *legis Moysis* (תּוֹרַת מֹשֶׁה) servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, praecepta et iudicia » [2]. Integro saeculo antea *Daniel* omnes afflictiones et miserias, quibus populus urbis sanctae destructione et exsilio babylonico affectus erat, a legis mosaicae violatione derivavit : « Omnis Israel praevaricatus est legem tuam,... et stillavit super nos maledictio et detestatio, *quae scripta est in libro Moysi servi Dei,* quia peccavimus ei... Sicut *scriptum est in lege Moysi*, omne malum hoc venit super nos » [3].

Frequentiora sunt testimonia haec in libris historicis. Non pauca in *Esdrae*, qui « scriba velox fuit in lege Moysi » et Nehemiae inveniri ab omnibus conceditur, nec minus frequentia ea esse in *Paralipomenis*, quae ob hanc rationem auctoritate historica carere volunt rationalistae [4]. Si autem *libros Regum* percurrimus, Iosiae tempore omnibus persuasum fuisse de mosaica Pentateuchi origine, evidenter docent ea, quae de invento Pentateucho narrantur; Amasias filios eorum, qui patrem suum occiderant, non interfecit « *iuxta quod scriptum est in libro legis Moysi* », atque David moriens iam monuit filium Salomonem, « ut custodiret ceremonias Domini et praecepta et iudicia et testimonia, *sicut scriptum est in lege Moysi* » [5]. In libro *Iosue* demum legum collectio commemoratur atque Moysi auctori attribuitur [6].

Atque haec quidem testimonia ex protocanonicis libris sunt desumta, alia pauca ex deuterocanonicis, quorum authentiam et auctoritatem infra vindicabimus, liceat addere. Libros Sapientiae, Ecclesiastici et Machabaeorum, utpote testes recentes praetermittimus; at initio exsilii *Baruch* loquitur de lege, quam Moyses a Deo scribere iussus est, docetque omnia mala « *secundum quae scripta sunt in lege Moysi* » populo accidisse. Circa idem tempus conscriptus esse videtur liber

Iudith (infra 140), in quo non tantum tota historia antiqua, prout a Moyse conscripta est, sed etiam eius legislatio cognita supponitur. Paullo antiquior est liber *Tobiae* (infra 131); iam vero Tobias senior narrat, se ante captivitatem assyriacam decimas solvisse secundum praeceptum *in lege Moysi* traditum; angelus Raphael iuniorem Tobiam docet, ei utpote propinquo deberi Saram uxorem *secundum legem libri Moysi*, atque Raguel filiam suam ei tradit *secundum legem scriptam in libro Moysi* [7].

Disertis igitur omnium saeculorum testimoniis persuasio Iudaeorum de mosaica Pentateuchi origine ad ipsam aetatem mosaicam ascendere demonstratur.

1. Optime et fuse de hoc argumento disseruerunt inter Catholicos *Smith* l. c. p. 44-228, inter Protestantes *Hengstenberg* Authentie des Pentateuchs I. p. 48-180, II. p. 1-148; cfr etiam *Ed. Rupprecht* Des Rätsels Lösung. II. 1. 1896. p. 103-390.

2. *Mal.* 3,22. — *Wellhausen* (Prolegomena p. 423) inane quidem declarat argumentum ex Malachiae verbis desumtum, quia alii prophetae similibus verbis non sint usi. « Es ist ein leerer Wahn, inquit, dass die Propheten das Gesetz erklärt und angewandt haben sollen. Malcachi sagt zwar : *gedenket der Thora Mose's meines Knechtes*, aber wo fände man sonst ein Analogon dazu? »; sed nuda hac interrogatione testimonium Malachiae non infirmatur. Etenim reliquos prophetas, etsi similibus verbis usi non sint, revera tamen *Legem Moysis* « explicasse et adhibuisse » ex altera argumenti parte elucebit.

3. *Dan.* 9,11. 13; quibus ex historia Susannae addi possunt *Dan.* 13,3, 62 (« *secundum legem Moysi* »). De authentia Danielis *infra* agemus Diss. III. § 18.

4. 1 *Esdr.* 3,2; 6,18; 7,6; 2 *Esdr.* 8,1 sqq.; 13,1 sqq. etc.; 1 *Paral.* 16,40; 2 *Paral.* 17,9 23,18; 25,4; 31,3; 35,12. De auctoritate historica librorum Paralip. cfr *infra* Diss. II. § 28.

5. 4 *Reg.* 22, 23 (cfr 23,25); 14,6; 3 *Reg.* 2,3.

6. *Ios.* 1,7; 8,31, 35; 22,5; 23,6; 24,26.

7. Liber *Sap.* Moysen quidem non nominat, sed innumerae sunt allusiones ad Pentateuchi verba, immo integra secunda pars (*Sap.* 10 sqq.) non intelligitur, nisi Pentateucho supposito. — Item *Eccli.* plenus est allusionibus, sed praeterea cfr 45,1 sqq.; 46,1. — *Bar.* 2,2. 28 sqq. — *Iudith.* 4,13; 5,9 sqq.; 7,13 (cfr *Exod.* 5,21); 8,22 sqq.; 9,6 sqq. etc. — *Tob.* 1,8; 6, 13; 7,11 sqq. (*Gr. C.*)

17. — 2. Iam ad alteram argumenti partem transeuntes *a Iudaeis post Moysen degentibus Pentateuchum semper cognitum et agnitum fuisse* ostendemus; unde eius originem ad aetatem mosaicam necessario esse referendam sua sponte elucebit. A recentioribus autem temporibus inchoabimus, ut paullatim ad antiquiora perveniamus.

A.) Roboamo, Salomonis filio, regnante decem tribus a domo David deficientes regnum Israel constituerant, cuius regibus, ut separationem magis magisque confirmarent, summae curae erat religiosam quoque tribuum unitatem destruere [1]. Quod si nihilominus in regno Israel non minus quam in regno Iuda Pentateuchus in honore fuisse

demonstratur, illum iam ante regni scissionem exstitisse evidens est. Atqui in utroque regno eadem auctoritate eum gavisum esse, eorum prophetae et historia docent.

a.) *In regno Israel* medio saec. 8. duo prophetae floruerunt, Osee et Amos, quorum vaticinia authentica esse etiam adversarii nostri fatentur. In parvis autem eorum libellis textus abundant, quibus eos et historicam et legislativam Pentateuchi partem continuo prae oculis habuisse et tribubus septemtrionalibus cognitam supposuisse evidentissime apparet.

Uterque propheta de Iudaeorum ex Aegypto liberatione saepe loquuntur velut de initio intimae istius inter Deum et populum suum relationis [2], atque ad diuturnam peregrinationem in deserto ita alludunt, ut minutos quoque eius eventus auditoribus in memoria versari supponant [3]. Sodomam et Gomorrham una cum Adama et Seboim (*Deut.* 29, 23) igne esse destructas commemorant; primi parentis autem praevaricationem patriarcharumque multas res gestas unico verbo ita attingunt, ut eorum verba intellecta non essent, nisi populus historiam in Pentateucho narratam cognovisset [4]. — Porro ad leges quod attinet, Israelitas, quia « Legem Domini » abiecissent, esse punitos uterque tradit [5], mosaica autem praecepta, ad quae alludunt, fere innumera sunt. Neque pauca afferunt, quae minoris videntur esse momenti; etenim non tantum festa in Pentateucho praescripta, neomenia et sabbatha, varia sacrificiorum genera, ciborum distinctionem etc commemorant [6], sed etiam de Nazaraeorum voto loquuntur, pignora ultra noctem retinenda non esse, eos, qui terminos transferunt, gravissimam mereri poenam, sacerdoti contradici non licere etc etc referunt [7].

Ne quis vero haec ex sola orali traditione hausta putet, una ex parte prohibet disertum Oseae testimonium, qui Deum leges *scriptas* dedisse monet [8], altera ex parte non parvus textuum numerus, qui ad verbum fere cum pentateuchicis consonant [9]. Tam apertae et clarae in his duobus libris propheticis sunt allusiones ad Pentateuchum, ut adversarii nostri ipsi plerique eas agnoscant; Schrader ex. gr. inter quatuor scriptores, quorum operibus ad componendum Pentateuchum indiget, tres ante Osee et Amos scripsisse concedit, quippe qui annalistici, theocratici, prophetici auctorum libris sint usi [10]; at eius Deuteronomistam quoque iam duobus nostris prophetis cognitum fuisse, exempla allata, quae facile aliis augeri possunt, satis demonstrant [11].

Attamen duobus fere saeculis antea in regno Israel agnitos iam esse libros mosaicos ex Eliae et Elisei historia in libris Regum relata elucet. Nam illa, quae de Eliae sacrificio et de pseudoprophetarum occisione referuntur, cum iis apprime consonant, quae in Levitico et Deuterono-

mio praescribuntur [12]; tota causa de vinea Naboth agitata legem mosaicam observatam supponit [13]; verba, quibus pseudopropheta Sedecias utitur, atque signum, quo Michaeas verus propheta agnosci vult, ex Deuteronomio desumta sunt [14]; Eliseus iisdem prorsus verbis, quibus Deus Abrahae, mulieri sunamitidi filium promittit; altera mulier, quae auxilium ab eo petit, ius creditoris secundum legem mosaicam supponit; leprosi iuxta eandem legem tractantur [15].

1. 3 *Reg.* 12,26 sqq.; 13,33; 2 *Paral.* 11,13 sqq. etc.
2. *Os.* 2,14 sqq.; 7,16; 11,1; 12,9. 13; 13,4; *Am.* 2,10; 3,1; 9,7.
3. *Os.* 2,8; 9,10; 13,5; *Am.* 2,10; 5,25.
4. *Os.* 11,8; *Am.* 4,11. — *Os.* 6,7. — Os. 12,2. 3. 12; Am. 1,11 etc. In *Os.* 12,2. 3 (hebr. 12,5) recte monet *A. Scholz* (Commentar zum Buche des Proph. Hoseas. Würzburg 1882. p. 108) : « Die Stelle ist von höchstem Interesse, weil sie lehrt, dass der Pentateuch bereits commentirt wurde... Der mosaische Bericht *Gen.* 32 ist hier dahin erklärt, dass es (das Ringen Jakobs mit dem Engel) ein Kampf um den Besitz des Landes der Verheissung war ». Cfr etiam *Knabenbauer* Prophetae minores. Paris 1886. I. p. 156 sq.
5. *Os.* 4,6; *Am.* 2,4.
6. *Os.* 2,13; 12,11; *Am.* 5,21; 8,10. — *Os.* 2,13; *Am.* 8,5. — *Os.* 4,8. 9; 5,6; 6,6, 9,4; *Am.* 4,4-8; 5,22. — *Os.* 9,3.
7. *Am.* 2,11; — 2,8. — *Os.* 5,10 (*Deut.* 27,17); 4,4 (*Deut.* 17,22) etc.
8. *Os.* 8,12. De genuina textus interpretatione cfr recentissimos Oseae interpretes catholicos *Scholz* Comment. zum Proph. Hos. p. 108, *Knabenbauer* Prophetae minores. I. p. 114. Contra cavillationes, quibus Wellhausen hoc testimonium impugnat, cfr *Bredenkamp* Gesetz und Propheten. Erlangen 1881. p. 36 sqq.
9. Confer textum hebraicum, in quo verborum similitudo clarius conspicitur, *Os.* 2,10 et *Deut.* 7,13; *Os.* 2,19 et *Exod.* 23,13; *Os.* 9,10 et *Deut.* 32,10; *Os.* 11,9 et *Exod.* 4,22; *Os.* 12,5 et *Exod.* 3,15. — *Am.* 3,2 et *Deut.* 14,2; *Am.* 4,6. 8. 9. 10 et *Deut.* 4,30; *Am.* 5,11 et *Deut.* 28,30.
10. *De Wette Schrader* Einleitung §§ 203-205 p. 316 sqq.
11. Longa serie prophetarum *Osee* et *Amos* allusiones ad libros mosaicos enumerant *Reinke* Beiträge zur Erklärung des A. T. VIII. Giessen 1872. p. 158 sqq. et *Scholz* Comm. zum Hoseas. p. XXXI; easdem fusius explicat *Smith* The Pentateuch. p. 203-219. — Ex acatholicis conferri merentur *Hengstenberg* Authentie des Pent. I. p. 48-125 et *E. Rupprecht* Des Rätsels Lösung. II. 1. 1896. p. 347-355.
12. 3 *Reg.* 8. (*Lev.* 1,6-8; 9,24. 39; *Deut.* 17,5; 18,20).
13. 3 *Reg.* 21; cfr 21,3 et *Lev.* 25,23 (*Num.* 36,8); — 21,10 et *Deut.* 19,15; 17,5. 6; *Lev.* 24,15. 16; *Deut.* 17,5.
14. 3 *Reg.* 22,11 (*Deut.* 33,17); 22,28 (*Deut.* 18,20).
15. 4 *Reg.* 4,16 (*Gen.* 18,10); 4,1 (*Lev.* 25,39); 4,42 sqq. (*Num.* 18,11 sqq.); 7,3 (*Lev.* 13,46).

b.) Quoniam in regno Israel tot certa Pentateuchi cogniti testimonia invenimus, nemo mirabitur, quod in *regno Iuda*, cui messianicae promissiones inhaeserunt quodque cum legitima domo regali legitimum sacerdotium legitimumque cultum conservavit, multo frequentiora inveniamus. Atque profecto in 3 et 4 *Regum* et 2 *Paralip.* libris vix

unius ex Roboami successoribus vita narratur, quae argumento nobis non sit, legem mosaicam, etsi non semper observatam, cognitam tamen fuisse. Respuunt quidem adversarii argumentum nostrum, siquidem omnia illa testimonia solis librorum historicorum auctoribus debeantur ab illisque sint conficta; nemo autem non videt mera haec esse effugia, quibus nihil efficitur. Verum quia in libris illis testimonia tam obvia sunt, nos tria dumtaxat facta in memoriam revocamus, quae integrum Pentateuchum in honore fuisse demonstrant. *Iosaphat* sacerdotes et levitas per cunctas urbes Iudae misit, ut docerent populum « *habentes librum Legis Domini* »; Ioae, quum rex constitueretur, una cum diademate « *testimonium* » (i. e. liber Legis, qui erat in tabernaculo depositus, ut esset in testimonium contra Israel) a sacerdote traditur; regnante *Iosia* « *liber Legis Domini* » in templo repertus et magna cum sollemnitate toti populo praelectus est; quis autem sibi persuaserit, regem, sacerdotes, prophetas, populum integrum pro antiquo et deperdito libro voluisse accipere novum aliquod volumen, de quo nemo eo usque quidquam audierat[16]?

Verum libris historicis relictis ad propheticos veniamus, quorum authentiam etiam « critici » nostri agnoscunt. Magnum volumen scribendum esset ei, qui omnia omnium prophetarum regni Iuda testimonia colligere vellet; solius igitur principis prophetarum, *Isaiae*, librum examini subiiciemus, neque illum integrum, siquidem solum primum caput argumento nostro iam sufficit. Fateor me animo non capere, quomodo aliquis Isaiae vaticinia intelligere velit Pentateucho in auxilium non adhibito. Percurramus solam primam orationem propheticam, de cuius authentia nemo prudens dubitavit[17]. Nonne prima iam Isaiae verba (« *Audite, coeli etc.*) apertissime ultimi carminis mosaici exordium imitantur? Et quando Dominus ibi introducitur conquerens, quod « filios enutriverit et exaltaverit, qui eum dereliquerint », nonne menti obversantur illi mosaici textus, in quibus populus Israel « filius primogenitus » vocatur eique magnitudo et exaltatio promittuntur? Atque illa quae sequuntur : « *Israel* non cognovit et *populus meus* non intellexit. Vae *genti* (גּוֹי) peccatrici, *populo* (עַם) onusto iniquitate, *semini* nequam (i. e. iniquorum), *filiis* sceleratis », pleno suo sensu profecto non percipiuntur nisi ab eo, qui ex *Genesi* genuinam nominis *Israel* significationem didicit, ex *Exodo* populum Israel cognovit esse « Dei peculium », atque memor est secundum *Exod. Num. Deut.* Israelitas debere esse « *gentem* (גּוֹי) sanctam », « *populum* Domini » (עַם־יְהֹוָה), « *semen* patriarcharum », « *filios* Domini Dei sui »[18]. Integri igitur tres primi versus libris mosaicis innituntur; neque minus reliqui. Non solam imaginem, qua statum populi ob peccata a Deo

percussi duobus versibus sequentibus descripsit, sed ipsa quoque vocabula ex Deuteronomio desumsit propheta; et si sine imagine pergit: « *Terra vestra deserta, civitates vestrae succensae sunt igne; regionem vestram* (אַדְמַתְכֶם) *coram vobis alieni devorant* (אֹכְלִים) », conferas praedictiones *Levitici* : « *eritque terra vestra deserta et civitates vestrae dirutae* » et *Deuteronomii* : « *fructus terrae tuae* (אַדְמָתְךָ) *et omnes labores tuos comedet* (יֹאכַל) *populus, quem ignoras* », atque fateri cogeris ex effectu praedicto, qui adest, prophetam concludere ad causam praedictam [19]. Terminat autem priorem orationis partem aperta allusione ad *Genesin* : « *Nisi Dominus exercituum nobis reliquisset semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus* », in quibus ne decem quidem iusti ac proin nullum semen erat relictum [20]. Porro in altera parte, qua peccatores ipsos (« *principes Sodomorum* », « *populum Gomorrhae* ») alloquitur, praeceptorum ritualium commemorationem facit; impiorum enim cultum externum, sive sacrificiis quibuscunque, sive tribus peregrinationibus annuis ad praecipua festa coram Domino celebranda, sive minorum festorum observatione vel precatione exerceatur, respuit Deus [21]; neque id mirum, quum integra Lex innumeris suis praescriptionibus de munditie legali, quae internae sanctitatis est signum, praeprimis veram sanctitatem internam requirat. Notatu autem est dignum, quod inter sanctitatis opera, quae propheta requirit, singularis orphanorum et viduarum cura enumeretur; in legislatione enim mosaica viduae et orphani sub speciali Dei protectione ponuntur [22]. Poenitentibus demum peccatoribus propheta iterum pactum proponit iisdem fere usus verbis, quibus olim usus erat Moyses [23]. At opus non esse arbitramur, ut in hac analysi ulterius progrediamur [24]; nisi quis enim oculos obstinatus claudat, Isaiae vaticinia non supposito Pentateucho intelligi non posse, nobiscum libenter fatebitur.

16. 2 *Paral.* 17,7 sqq. (cfr de hoc loco *Smith* The Pentateuch p. 219 sq.) — 4 *Reg.* 11,12; 2 *Paral.* 23,11 (עֵדוּת testimonium = lex; cfr *Exod.* 25,21. 26; 30,6. 26; 31, 18 etc.). — 4 *Reg.* 22,9 sqq.; 2 *Paral.* 34,14 sqq. cfr *infra* 21. 2.

17. Cfr *infra* Dissert. III. § 6. n. 255. *n.* 3.

18. *Is.* 1,2-4. — Ad 1,2 cfr *Deut.* 32,1. 6; *Exod.* 4,22; *Deut.* 32,20, *Gen.* 12,2 (« *faciem te populum magnum* »); *Deut.* 26,19 (« *Dominus elegit te hodie, ut... faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit* » etc.). — Ad 1,3. 4 cfr *Gen.* 32, 26 sqq. (ubi Iacobi nomen mutatur in Israel); *Exod.* 19,6 (« *eritis mihi in peculium de cunctis populis* »); *Deut.* 26,18; *Exod.* 19,6 (גוי קדוש); *Num.* 17,6; *Deut.* 1,8 (semen Abraham, Isaac et Iacob); *Deut.* 14,1 (« *filii estote Domini Dei vestri* »).

19. *Is.* 1,5-7; cfr *Deut.* 28,35; *Lev.* 26,33; *Deut.* 28,33. 50. 51. — Verba Vulgatae: « et desolabitur sicut in vastitate hostili » correspondent וּשְׁמָמָה כְּמַהְפֵּכַת זָרִים, ubi adnotes velim vocabulum מַהְפֵּכָה (« *eversio* ») non adhiberi nisi de eversione Sodomorum et Gomorrhae (*Deut.* 29,22; *Is* 13,19; *Am.* 4,11; *Ierem.* 50,40), unde iure

concludimus Isaiam (uti Amos et Ieremiam) locum Deuteronomii prae oculis habuisse et in memoriam revocare voluisse.

20. *Is.* 1,9 cfr *Gen.* 18,23 sqq.

21. *Is.* 1,10-15; cfr leges de sacrificiis, de festis sollemnioribus (נִרְאָה פְּנֵי יְהוָה « apparere coram Domino » est dictio ex *Deut.* 31, 11 cfr *Exod.* 34, 23 etc. de tribus peregrinationibus explicanda), de festo primitiarum, Neomeniis, Sabbathis etc.

22. *Is.* 1,16. 17; cfr *Exod.* 22,22. 23.

23. *Is.* 1,19; cfr *Deut.* 30,15. 19; 28,3.

24. Qui plura *certissima* testimonia desiderat, cfr *Is.* 3,9 et *Gen.* 19,5 sqq.; 18,20. — *Is.* 4,5 et *Exod.* 13,21 sq. — *Is.* 11,15. 16 et *Exod.* 14. — *Is.* 12,2 et *Exod.* 15,2. — *Is.* 13,19 et *Deut.* 29,22 (*Gen.* 19,24). — *Is.* 24,18 et *Gen.* 7,11. — *Is.* 30,17 et *Lev.* 26,8; *Deut.* 32,30. — *Is.* 48,21 et *Exod.* 17,9; *Num.* 20,11 etc. etc.

18. — B.) Tempore *primorum regum ante regni divisionem* Pentateuchum cognitum et auctoritate gavisum esse, pauca ex multis, quae praesto sunt, exempla demonstrabunt.

a.) *Salomon* post templi consecrationem Deum adorans non tantum Deuteronomii verbis nonnullis utitur, sed ad benedictiones in Pentateucho contentas continuo respicit [1]. Templum autem ab eo aedificatum est perfecta tabernaculi a Moyse descripti et exstructi imago; templi quoque ornamenta, vasa sacra etc. illa sunt, quae a Moyse iam erant indicata [2].

b.) *David* moriens admonet filium suum Salomonem, ut ambulet secundum praecepta Domini, « *sicut scriptum est in Lege Moysi* » [3]. Tota populi constitutio illo tempore descriptionem et leges Pentateuchi ad vivum repraesentat; adsunt duodecim tribus cum suis centurionibus et tribunis et senioribus; tribui Iudae regnum deberi innuitur [4], sacrae functiones tribui Levi in tres familias divisae incumbunt, sacerdotale autem munus familiae Aaron reservatur [5]. Eadem habentur sacrificia, eaedem victimae, iidem panes propositionis, iidem dies sacri et festivi [6]. Gratias autem Deo agens David de promissione aeterni regni verbis mosaicis utitur [7].

c.) Quum a *Samuele* Israelitae sibi postularent regem, verbis deuteronomicis utuntur; concio autem Samuelis munus suum deponentis ex variis textibus pentateuchicis quodammodo composita est, atque *Saul* quoque verba mosaica adhibet [8]. Cultum religiosum ad leges per Moysen traditas esse ordinatum, infra accuratius ostendemus. Quam cognitae demum eo tempore narrationes fuerint in Genesi et Exodo relatae, concio Samuelis, destructio Amalecitarum, ipsa Philistaeorum verba ostendunt [9].

1. 3 *Reg.* 8,23-61; 2 *Paral.* 6,14-42. — Cfr 3 *Reg.* 8,29 et *Deut.* 12,11; — 8,31. 32 et *Lev.* 5,1; *Deut.* 25,1; — 8,33. 34 et *Lev.* 26,17; — 8,35. 36 et *Lev.* 26,19; — 8,37-40 et *Lev.* 26,29 sqq.; — 8,46-50 et *Lev.* 26,33.

2. 3 *Reg.* 6 et *Exod.* 26,8-38; 2 *Paral.* 3,10 sqq. et *Exod.* 25,18; 28,31. Iocari

videtur *Wellhausen* (Prolegomena p. 38), si tabernaculum secundum exemplar templi salomonici confictum, minime vero templum secundum tabernaculi exemplar aedificatum esse asserit.

3. 3 *Reg.* 2,3; 1 *Paral.* 22,13.

4. 1 *Paral.* 12,24 sqq.; 13,1; 15,5 sqq.; 27,1 etc.; 1 *Paral.* 28,4; cfr *Gen.* 49,8 sqq.

5. 1 *Paral.* 15,5. 8; 23,6. 26 sqq.; — 13,2; 23,28 etc.

6. 1 *Paral.* 16,40 et *Exod.* 29,39; — 2 *Reg.* 1,21; 6,17; 24,25; 1 *Paral.* 23,29 et *Exod.* 29,2; 23,40; *Lev.* 6,14; 2,5; — 1 *Paral.* 23,28; 29,21; 15,26; 2 *Reg.* 6,13 et *Exod.* 25,30; *Lev.* 1,2 sqq. etc.

7. 2 *Reg.* 7,18 sqq.; praesertim 7,22-24 et *Deut.* 4,7; 10,21; 13,16.

8. 1 *Reg.* 8,5 et *Deut.* 17,14; — 1 *Reg.* 12,3 et *Num.* 16,15; *Lev.* 5,23, *Deut.* 16,19; — 1 *Reg.* 15,29 et *Num.* 23,19.

9. 1 *Reg.* 12,6 sqq. (*Gen.* 46,5 et *Exod.* 2,23 sqq.); 15,2 sqq. (*Exod.* 17,8); 4,8 (*Exod.* 8,1 sqq.).

C.) *Iudicum librum* nullum omnino Pentateuchi vestigium exhibere olim nonnulli asseruerunt [10]; melius procul dubio dixissent, non supposito Pentateucho nec Iudicum librum nec Iudicum historiam intelligi.

a.) Totus enim liber in eo est, ut ostendat Israelitas Legem a Deo datam observantes salute frui, ab ea autem declinantes poenas dare [11]. Prima statim verba, immo primum caput integrum, praecepto de delendis Chanaanitis innituntur, atque ad idem praeceptum Angelus Domini iterum provocat [12]. Nonne pentateuchicam legislationem supponunt Gedeonis verba: « Non dominabor vestri nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus » [13]? Quomodo enim Dominus populum gubernare dici potuit, nisi legum collectio a Deo data exstitisset et agnita esset? Quam plurimae quoque leges pentateuchicae commemorantur : circumcisio Israelitas a Chanaanitis distinguit; connubia cum Chanaanitis sunt prohibita; leges leviratus, nazaraeatus, distinctionis ciborum etc. vigent [14]. Levitae inter alias tribus dispersi exercitio cultus sunt addicti, sacerdotium autem a familia Aaron administratur, adest tabernaculum cum arca foederis, et sacrificia secundum ritum a Moyse promulgatum offeruntur [15].

b.) Quemadmodum leges, ita etiam narrationes pentateuchicae tempore Iudicum cognitae erant. Luce clarius id ex illis solis iam apparet, quae Iephte Galaadites cum Ammonitarum rege transegit [16]; sed attendatur quoque oportet, qua ratione auctor de Moysis Cinaeorumque affinitate, de promissione Calebo facta, de Patriarcharum rebus gestis, de miraculis in deserto patratis loquatur [17].

c.) Quae omnia per se quidem nondum demonstrant, Israelitas Iudicum aetate res illas ex Pentateucho ipso didicisse; at omnino id admittere cogimur, si in vocabulis quoque verbisque adhibitis magnam utriusque operis similitudinem deprehendimus; casui enim illam ad-

scribere non licet. Iam vero concio, quam Angelus Domini ad populum habet, ex sententiis verbisque pentateuchicis fere est contexta[18]; propheta, ut Israelitarum animos ad auxilium divinum contra Madianitas implorandum praeparet, ab illis verbis incipit orationem suam, a quibus Deus promulgationem decalogi inceperat; Angelus Domini alloquitur Gedeonem, sicut Moysen Deus allocutus erat, Gedeon autem, ut se excuset, adhibet verba Abrahami, et Angelus uxori Manuae iisdem verbis, quibus Hagari, filium promittit[19] etc.

D.) Ad *Iosuen*, Moysis successorem iam pervenimus, cuius librum verbis et sententiis pentateuchicis refertum esse ipsi adversarii ultro fatentur, siquidem eam ob rationem illum Pentateucho velut partem integrantem addunt. Iosuae igitur tempore Pentateuchum cognitum fuisse, ulteriore demonstratione non indiget; pauca tamen afferemus, ut argumentum nostrum sit completum.

a.) In libro Iosue ad Moysis praecepta et dicta continuo recurritur omniaque secundum ea, quae in Pentateucho iussa sunt, exsecutioni mandantur[20]. In occupanda terra promissa, in eius incolis exstirpandis, in eius agris distribuendis, in urbibus levitarum et refugii assignandis etc. praeceptorum mosaicorum ratio habetur[21]. Ad ordinem religiosum quod attinet, Eleazarum, quem constituerat Moyses, invenimus summum sacerdotem, tres familias levitarum, quae in Pentateucho describuntur, eadem sacrificia, eosdem ritus sacros, easdem ceremonias, quas in Pentateucho[22].

b.) Historias quoque in Genesi et sequentibus libris narratas cognitas fuisse, sola iam Iosuae concio ultima ad populum habita demonstrat, quippe quae totius historiae pentateuchicae sit compendium; ea quoque, quae de Iosephi sepultura narrantur, libris mosaicis non suppositis non intelliguntur[23] etc.

10. Cfr *de Wette* Beitrage I. p. 152; *Bertholdt* Einleitung p. 762.

11. *Iudic.* 2,11; 3.7; 12; 4.1; 6.1 etc. Cfr *infra* § 14. n. 18.

12. *Iudic.* 1,1 sqq. (*Exod.* 23,23. 32 sq.; 34,15. 16); *Iudic.* 2,1 (*Exod.* 20,2; *Deut.* 34,4; *Ier.* 26,9).

13 *Iudic.* 8,23.

14. *Iudic.* 14,3; 15,18. — *Iudic.* 3,6. 7; 14,3; 21,7 (*Exod.* 34,16; *Deut.* 7,3). — *Ruth.* 1,11-13; 4.5 (*Deut.* 25,5 sqq.). — *Iudic.* 13,4-14 (*Num.* 6,1-21).

15. *Iudic.* 17,7 sqq.; 19,1 sqq.; — 20,28; — 18,31; 20,18. 26; 21,2. 4.

16. *Iudic.* 11,12 sqq. (*Num.* 20. 21.)

17. *Iudic.* 1,16; 4,11; — 1,20 (*Num.* 14,24); — 2,1. 10; 5,4. 5; 6,13; — *Ruth* 4,11. 12.

18. *Iudic.* 2,1 sqq. (cfr *Exod.* 34,12. 13; 23,32. 32; *Deut.* 7,5).

19. *Iudic.* 6,8 (*Exod.* 20,2); 6,16 (*Exod.* 3,12); 6, 39 (*Gen.* 18,32); 13,7 (*Gen.* 16,11).

20. *Ios.* 1,3. 13; 4,12; 9,24. 11,15. 23; 14,2. 5 etc.

21. *Ios.* 1,12 sqq.; 4,12 sqq. (*Num.* 32,28 sqq.); 11,12 etc. (*Num.* 33,52 etc.); 14,2 sqq. (*Num.* 33,54; 34,16); 21,1 sqq. (*Num.* 35,2); 20,1 sqq. (*Num.* 35,6 sqq.).

22. *Ios.* 14,1 (*Num.* 20,25 sqq.); 21,4 sqq. (*Num.* 26,57 sqq.).
23. *Ios.* 24,2-10; 24,32 (*Gen.* 50,24; 33,19; *Exod.* 13,19).

Ab illo igitur tempore, quo Pentateuchum compositum esse asserunt moderni « critici », i. e. ab Esdrae et Nehemiae aetate, usque ad ingressum populi in terram promissam ascendentes ostendimus totam historiam israeliticam legislationi pentateuchicae inniti, atque immediate post Moysis mortem et deinceps omni aetate librum aliquem historicum et legislativum, qui ea, quae in nostro Pentateucho leguntur, continuit, publica atque summa gavisum esse auctoritate, immo librum istum, uti Esdrae tempore, ita iam Iosuae aetate Moysi auctori esse attributum. Psalmi autem aliique libri sapientiales idem nobis demonstrarent, si eos examini subiiceremus. Ergo aut omnibus libris historicis, propheticis, didacticis Veteris Testamenti omnis omnino fides deneganda est atque tota historia antiqua populi israelitici, prout hodie cognita est, declaranda est insignis fraus et grande mendacium, aut concedendum est Pentateuchum mosaica aetate esse exortum. Quam parum vero rationi sit consonum omnes illos respuere libros, quos nemo hucusque spurios aut a falsariis confictos esse demonstrare potuit, per se evidens est et manifestum.

19. — V. Sicuti quarto argumento secundum confirmatur, ita quintum, quod EX PENTATEUCHI INDOLE ET NATURA desumimus, tertio confirmando et corroborando proxime inservit; contra adversarios autem, quibuscum disceptamus, maior eius est vis. Quoniam enim spretis testimoniis historicis originem librorum solis internis, quae vocant, argumentis definiendam esse statuunt, omne illis effugium eripimus, si cum historicis documentis, quae Moysen Pentateuchi auctorem dicunt, operis ipsius indolem optime conspirare demonstramus. Iam vero tota ratio, qua historia et leges traduntur, Moysi optime convenit, qui populum per desertum ex Aegypto in Chanaan duxit. Ad quatuor autem capita testimonia haec Pentateuchi de suo auctore aptissime revocabimus[1] : Pentateuchus enim 1.) *in deserto* conscriptus est, 2.) *a viro qui Aegyptum optime cognitum habuit*, 3.) *Chanaan ex aliorum dumtaxat relationibus cognovit;* 4.) *legislatio* autem *pentateuchica* non velut systema completum proponitur, sed *peregrinationis tempore paullatim exoritur.*

1. *Pentateuchum in deserto conscriptum esse*, praeprimis iam docet integra fere legislatio, quae peregrinationem per desertum supponit. Tabernaculum enim foederis describitur velut centrum, circa quod filii Israel per turmas, signa et vexilla, domos cognationum suarum castrametabantur, atque tam vicini omnes habitabant, ut tubarum clangore convocari possent, quoties castra erant movenda; accurate

quoque modus determinatur, quo in itinere tabernaculum, arca, vasa sacra portanda erant[2]. Omnia, quae in *Levitico* de sacrificiis, de lepra, de mundationibus legalibus praescribuntur, desertum et castra respiciunt. « Pellem vero... affert *extra castra* in locum mundum »; « ipsum vitulum affert *extra castra* »; « hircum viventem... emittet per hominem paratum *in desertum* »; leprosus « solus habitabit *extra castra* »; sacerdos « *egressus de castris* » videbit, num lepra sit mundata; leprosus mundatus « *ingredietur castra*, ita dumtaxat, ut maneat *extra tabernaculum* suum septem diebus »; ad aquam mundationis parandam vacca rufa « *extra castra* in conspectu omnium » immolatur etc.[3]. Praecepta autem de non mactando animali quocunque, quin eius sanguis ante ostium tabernaculi effundatur, de offerendis sacrificiis statis diebus, postquam ab aliqua legali immunditie mundati sint, aliaque non pauca omnino insinuant, unicuique Israelitae vicinum fuisse tabernaculum foederis[4]. Adde, in permultis legibus ritualibus Aaronem, eius filium Eleazarum aliosque eius filios nominari, quorum ministerio implendae sunt, at de sacerdotibus in genere in illis non esse sermonem : unde iure concludimus leges illas latas esse eo tempore, quo Aaron eiusque filius Eleazarus adhuc in vivis erant sacerdotiique munere fungebantur[5]. Quae vestigia mosaicae aetatis in multis legibus tam clara et manifesta sunt, ut ex illis ipsis, qui Pentateuchi mosaicam originem negant, nonnulli magnum saltem legum numerum Moysi attribuere non dubitent[6]. At recentissima « criticorum » schola, quum mosaica praecepta a recentioribus in libris intermediis (vel ut ipsi loquuntur in « codice sacerdotali ») non nisi arbitrario plane modo distingui posse recte videret, omnes istas allusiones ad castra et ad desertum a veteratore illo, qui exsilio finito « codicem sacerdotalem » composuit, studiose esse confictas statuit et libro insertas, ut fraudem suam tegeret et occultaret[7]. Num magis absurdum quam blasphemum sit hoc effugium, alii diiudicent.

Attamen non in sola legislatione vestigia deserti apparent. Iam dudum observatum est, auctorem historiae peregrinationis tam accuratam prodere totius illius regionis scientiam, ut in illa vixisse sit dicendus. Generalem quandam deserti sinaitici descriptionem, qualem iunior forte scriptor ex alienis fontibus haustam nobis dedisset, nullibi Pentateuchi auctor tradit, sed iter ipsum enarrans occasione data quam plurima tam minute describit, ut hodie plus tribus millibus annorum elapsis multa recognoscantur[8]. Iunior scriptor, si in Palaestina scribens fingere voluisset pretiosam arcam foederis à Moyse in deserto paratam, ex ligno cedri, quod in Palaestina sacris usibus inserviebat, eam confecisset aut ex ligno quercus in Palaestina frequentissimo; Moyses

autem acaciam (שִׁטִּים) adhibitam esse tradit, quae in Arabiae deserto frequentissima vix invenitur in Palaestina. In tabernaculi quoque velis conficiendis adhibetur pellis quaedam (תַּחַשׁ *Vulg.* ianthina; *Alex.* ὑακίνθινα) iunioribus scriptoribus tam incognita, ut in reliquis libris V. T. vocabulum semel tantum usurpetur (*Ezech.* 16,10). Cuiusnam animalis fuerit pellis, adhuc controvertitur; quidquid autem de hac quaestione statuitur, mirum sane esset, si iunior scriptor de pellibus locutus esset, quae eius tempore non amplius adhibebantur[9]. Inter animalia quoque, quorum esus permittitur, nonnulla enumerantur. quae in deserto quidem Arabiae, sed vix in Palaestina inveniebantur[10].

1. Cfr *Knabenbauer* Der Pentateuch und die ungläubige Bibelkritik (Stimmen aus M. Laach 1873. IV. p. 212-219); *Smith* The Pentateuch p. 280-375.

2. *Num.* 2,2; 3; 4; 10,2 etc.

3. *Levit.* 1-7; 13; 14; cfr 4,11. 12. 21; 16,21; 13,46; 14,3. 8. *Num.* 18,3.

4. *Levit.* 17,3 sqq.; 15,14. 29. 31; *Num.* 6,10; *Lev.* 12,6.

5. *Levit.* 2,3. 10; 16,2 etc.; *Num.* 19,3; *Exod.* 28,1 sqq.; 29,1 sqq.; *Num.* 3,6 sqq.; 8,1 sqq.

6. *Bleek Wellhausen* (Einl. Ed. 4. p. 30-35) Moysi auctori *Exod.* 25-31; *Levit.* 1-7; 11-17; *Num.* 1. 2. 4; 10, 1-10; 19. attribuere dignatur, quia in illis vestigia deserti et mosaicae aetatis detegit, reliquas autem leges ei negat, quia eiusmodi vestigia desint. At nonne arbitrarium (ne dicam : absurdum) est, in unaquaque lege a Moyse lata etiam *clarum et evidens* vestigium deserti aut mosaicae aetatis invenire velle?

7. *Wellhausen* Prolegomena zur Geschichte Israels. p. 10 : « Der Priestercodex hütet sich vor jeder Hinweisung auf die spätere Zeit, auf das ansässige Leben im Lande Kanaan...; er hält sich formell streng innerhalb der Situation der Wüstenwanderung *und will allen Ernstes eine Wüstengesetzgebung sein.* Es ist ihm wirklich gelungen, mit dem beweglichen Tabernakel und dem übrigen archaistischen Schein (!!) seine wahre Abfassungszeit so zu verschleiern (!!), dass die vielen materiellen Widersprüche (??) gegen das uns anderweit (undenam?) bekannte vorexilische Alterthum, die er enthält, nur als Zeichen aufgefasst wurden, wie er über alle historische Zeit weit hinausrage » etc. Diligens igitur ac profundum mosaicae aetatis et geographiae deserti arabici studium fecerunt Esdras et illi, qui cum eo « codicem sacerdotalem » finxerunt, ne in tota illa legislatione ullum iunioris aetatis vestigium proderent; sed quomodo Esdras sociique eius in Babylonia degentes desertum arabicum tam accurate cognoverunt? Ceterum *crimen*, cuius Esdram sociosque eius incusare non veretur Wellhausen, tam nefarium est, ut non intelligatur, qua ratione accusationem talem proferre religioni sibi non duxerit.

8. Cfr *Smith* The Pentateuch p. 348 : « The acquaintance displayed by our author with the topography, productions and other peculiarities of the Arabian desert, forms an other point of identification between the historian and the lawgiver. It is such as no Hebrew could have mastered except as one of the wanderers of the Exodus. For it does not show itself in mere general notices of wild scenery, barren plains, rugged mountains, of the want of water, or its brackish taste, of the deficiency in food, wether animal or vegetable. There is never any attempt to describe such features. But they enter so simply into the incidental details of the journey, and are exhibited with such truthfulness to nature, such harmony with the scenery, such specification

of locality, and such individualty of outline, that they form a living picture of reality caught at the instant, and photographed on the spot ».

9. שִׁטִּים Exod. 25,5. 10. 13; 26,26; 27,1. 6; Num. 25,1; *Deut.* 10,3. — תַּחַשׁ *Exod.* 16,10; 25,5; 26,14. 19; 35,23, 36,19; 39,34; *Num.* 4,6. 8. 10. 11. 12. 14. 25; praeterea duntaxat *Ezech.* 16,10. Vocabulum תַּחַשׁ a nonnullis explicatur *taxo* in deserto arabico frequens, a modernis plerisque phocarum quaedam species (*Halicore cetacea*) in mari rubro satis frequens (Cfr *Gesenius* Thesaur. ling. hebr. p. 1500. *Riehm* Handwörterb. des bibl. Alterthums p. 1604; *Vilion* Atlas d'hist. natur. de la Bible p. 80. Table 78 etc.). *Friedr. Delitzsch* (Prolegomena eines neuen hebr.-aram. Wörterbuchs. Leipzig 1886. p. 77 sqq.) non immerito comparat assyriacum *thachschu*, quo *verrecem* designari (nescio an satis recte) coniicit.

10. Cfr praesertim animalia *Deut.* 14,5 recensita.

2. *Auctor Pentateuchi res aegyptiacas optime cognitas habuit.* Ex quo tempore hieroglyphorum detecta lectione antiquitates et historia Aegypti magis innotuerunt atque cum illis, quae in Pentateucho de Aegypto referuntur, comparari coeptae sunt, nulla iam remanet prudenti dubitatio, quin eius auctor « eruditus fuerit omni sapientia Aegyptiorum » (*Act.* 7, 22), vel potius perfectam rerum aegyptiacarum scientiam habuerit. Quae fuse demonstrare non est huius loci [11]; illud unum nobis propositum est, ut Pentateuchum scriptum esse demonstremus brevi postquam filii Israel ex Aegypto egressi sunt. Cui demonstrationi pauca sufficiunt.

Continuo enim ad Aegyptum respicitur; admirabilis liberatio velut motivum ad Legem observandam proponitur; pascha et primitiarum oblatio in liberationis memoriam instituuntur; quae filii Israel in Aegypto passi sunt, velut argumenta traduntur, quibus advenas bene esse tractandos servisque requiem necessariam non esse negandam edoceantur; consuetudines Aegypti imitari vetantur; immo timor exprimitur, ne in Aegyptum reverti velint [12]. — Cultus quoque aegyptiaci satis frequens est memoria in lege rituali; etenim quum gratia naturam non destruat, sed supponat et elevet, quumque ritus per se indifferentes, etsi ad idololatriam sint adhibiti, ad veri Dei cultum adhiberi aptissime possint, satis facile intelligitur, cur Israelitis non pauci Aegyptiorum ritus ab omni superstitionis specie mundati per Moysen sint traditi [13]. Neminem fugit similitudo, quae inter ipsam arcam foederis interque illas arcas intercedit, in quibus Aegyptii idola sua in pompis religiosis circumducebant; atque eius quoque deportandae modus in Exodo (25, 12) praescriptus ille est, quem in imaginibus aegyptiacis adhuc spectamus; tunica quoque summi sacerdotis in Exodo (28, 32 sq.) descripta, qualis fuerit, ex iisdem imaginibus cognoscitur [14]. Summum sacerdotium teste Herodoto apud Aegyptios haereditarium fuit uti apud Israelitas; sacerdotes aegyptii aeque atque levitae « omnes pilos carnis suae » radere tenebantur et bysso vestiebantur; ante functio-

nes religiosas sacerdotibus aegyptiacis, uti aaroniticis, usus vini interdicebatur[15]. — Porro omnia, quae in Genesi et Exodo de adventu Iosephi fratrumque eius in Aegyptum, de filiorum Israel laboribus, de plagis aegyptiacis, de exercitu Aegyptiorum referuntur vel attinguntur, optime cum iis concordare, quae ex monumentis aegyptiacis aliisque historiae aegyptiacae fontibus hauriuntur, ab omnibus hodie conceditur. At illud praeprimis memoria est dignum, quod ille ubique rerum aegyptiacarum status supponitur, quem patriarcharum et Moysis aetate fuisse antiquiora monumenta demonstrant, neque vero ille, quem aliquot saeculis postea Salomonis tempore etc. in Aegypto viguisse iuniora monumenta docent[16]; unde consequitur, narrationum pentateuchicarum auctorem mosaica aetate vixisse. Quis enim sibi persuadebit, recentiorem scriptorem israeliticum, qui tempore regum aut post exsilium vixit, tam accurata rerum aegyptiacarum scientia fuisse instructum, ut earum periodis diligenter distinctis nihil traderet, nisi quod mosaicae aetati quadraret? Adde nonnulla adhiberi vocabula aegyptiaca, *explicatione non addita*, quae auctorem et primos lectores linguae aegyptiacae non plane rudes fuisse ostendunt; neque omittamus oppidorum Aegypti sive maiorum sive minorum, utpote lectoribus cognitorum, nomina nuda poni neque quidquam de eorum situ etc. addi[17].

11. Egregie id praestiterunt inter catholicos interpretes *Smith* The Pentateuch. p. 289-348, *A. Scholz* Aegyptologie und die Bücher Moses. Würzburg 1878, *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes. Paris 1879. I. p. 337 — II. p. 302, *Fillion* Atlas archéologique de la Bible. Lyon 1883. Inter Protestantes cfr. *Hengstenberg* Die Bücher Moses und Aegypten. Berlin 1841, *Ebers* Aegypten und die Bücher Moses. Leipzig 1868. — Saeculo praecedente idem iam praestiterat *I. Spencer* De legibus ritualibus Iudaeorum. Ed. 2. Tubingae 1783. Lib. III. Diss. 1. cc. 3-10.

12. *Exod.* 20,2; 13,3; 16,6; 29,46; *Lev.* 11,25; — *Exod.* 12,27 sqq.; 13,2; *Num.* 3, 12 etc.; — *Exod.* 22,21; *Deut.* 5,15; 24,18. 22; — *Lev.* 18,3; — *Deut.* 17,16. Mirum, quod legem hanc de futuro rege multi rationalistae Moysi abiudicare audeant, quum tamen evidens sit, toto eo tempore, quo Israelitae iam reges habuerunt, nemini in mentem venire potuisse, regem populum velle reducere in Aegyptum.

13. Recte *Smith* The Pentateuch. p. 290 sq. « It is derogatory neither to the holiness of the Almighty nor to the inspiration of his delegate, that Moses should have borrowed from others rites which were good in themselves, and which became idolatrous only then when employed in the worship of false gods. The most of external forms are in themselves indifferent, and receive their determinate value from the feeling that prompts them, and the obiect to which they are directed : when given to God, they are divine worship; when given to idols, they are idolatry. Nor is inspiration jeopardised, because the material details may have come from a human source. Care and study and observation are not dispensed with in the mind that receives the divine communications; and Moses was instructed in all the wisdom and learning of the Egyptians for the very purpose of enabling him to use it to the best advantage ». Et brevius *P. Knabenbauer* (Stimmen aus M. Laach. IV. p. 216) : « Die Gnade knüpft

stets an das Natürliche an; desshalb darf es uns nicht befremden, dass Gott durch Moses Einrichtungen bei seinem Volke treffen liess, die es bereits in den Verhältnissen Aegyptens kennen gelernt hatte. Oft kam es ja nur darauf an, der an und für sich passenden Form den rechten Inhalt zu geben ». Neque recentiorum dumtaxat est haec doctrina; Patres et mediae aetatis theologi iam idem asseruerunt. Pro Patribus loquatur *S. Chrysostomus* (in Matth. hom. 6,3. M. 57,65 sq.): « Noli indignum Deo putare, quod per stellam Magos vocaverit; secus enim iudaica quoque improbes oportet, sacrificia nempe, purificationes, neomenias, arcam, ipsumque templum : haec quippe omnia ex gentium crassitudine ortum duxere. Attamen Deus ad errantium salutem his se passus est coli, quibus gentiles daemones colebant, illo tamen cultu tantisper (μικρόν) mutato, ut illos paullatim a consuetudine pristina abductos ad sublimem philosophiam deduceret ». Pro mediae aetatis theologis *Tostatus* (in 1 Reg. 8. qu. 147): « Sciendum quod multae ceremoniae sunt Iudaeis et paganis communes; immo non fuerunt concessae Iudaeis, nisi quia illas habebant pagani. Nam quando Deus dedit legem Iudaeis, erant ipsi consueti in legibus et consuetudinibus gentilium; et si voluisset Deus arctare eos negando quaedam, quae gentilibus licebant, non sustinerent Iudaei legem tam arctam et recederent. Ob hoc ergo concessit Deus ea, quibus gentes utebantur, licet non essent omnino bona [i. e. non omni ex parte perfecta], solum tollens idololatriam et quae ad illam pertinere poterant ».

14. Cfr *Fillion* Atlas archéolog. Tables 79 sqq. Cfr quoque *Spencer* De legibus ritual. III. diss. 1. cc. 3. 5.

15. *Herod.* II, 37; *Exod.* 28, 29. 39 sqq.; *Num.* 8, 7; *Plutarch.* Isis et Osiris 5; *Levit.* 10, 8-11.

16. *Contemporary Review.* London 1879. Mars. p. 758.

17. Cfr *Gen.* 41, 43 (אַבְרֵךְ) 45 (צָפְנַת פַּעְנֵחַ); — On vel Heliopolis (*Gen.* 41, 45), Ramesses (*Gen.* 47, 11; *Exod.* 1, 11; 12, 37), Phithom (*Exod.* 1, 11), Etham (*Exod.* 13, 20), Phihahiroth quae est inter Magdalum et mare contra Beelsephon (*Exod.* 14, 2) etc. Qui attento oculo Pentateuchum perlustraverit, non unam dumtaxat alteramve allusionem ad res aegyptiacas inveniet neque levem tantum rerum aegyptiacarum notitiam, quam iunior fortasse scriptor israeliticus ex fortuito quodam commercio cum Aegyptiis haurire potuit, sed accuratam et intimam vitae publicae et privatae Aegyptiorum scientiam auctori et primis lectoribus Pentateuchi omnino concedat necesse est. Quapropter ambagibus utuntur *De Wette-Schrader* (Einl. Ed. 8. p. 264), si argumentum nostrum hac ratione eludere conantur : « Man hat mehrere (!?) historische Züge, welche eine gewisse (!?!) Bekanntschaft mit Aegypten verrathen, als Beweise der mosaischen Abfassung des Pentateuchs angesehen : als wenn die Hebraer nicht auch spater bei ihrer politischen und Handels-Verbindung mit Aegypten, eine solche Bekanntschaft gehabt haben könnten ».

3. Quod si auctori res aegyptiacas fuisse notas totus Pentateuchus clamat, aeque clare testatur, *illum nec eo tempore, quo scripsit, nec antea in Palaestina vixisse*. Urgere nolumus, quod tota fere legislatio futurum populi in Palaestinam ingressum futuramque terrae promissae possessionem respiciat, siquidem sexcenties in legibus additur : « quum introieritis terram, quam Deus daturus est vobis », aut similis expressio[18]; alia enim argumenta praesto sunt. Profecto scriptor in Italia degens et Italos alloquens celebriores Italiae urbes in Italia sitas esse nunquam adnotabit. Iam vero quod Iacob *in Aegypto moriens*

filios suos roget, ut se sepeliant « in spelunca duplici, quae est in agro Ephron Hethaei contra Mambre *in terra Chanaan* », id admirationis nihil habet; at auctorem Pentateuchi, si celeberrimas Palaestinae civitates lectoribus suis in Palaestina sitas esse dicere debuit, nec ipsum nec eius lectores in Palaestina vixisse evidens est : « Civitas Arbee, quae est *Hebron in terra Chanaan* », « *Sichem in terra Chanaan* », « Luza, quae est *in terra Chanaan*, cognomento *Bethel* », *Garizim et Hebal*, « qui sunt trans Iordanem post viam, quae vergit ad solis occubitum, *in terra Chanaan* » etc.[19]. Quod argumentum maiorem vim habet, si comparaveris qua ratione sive de Aegypti civitatibus etiam minoribus sive de deserti stationibus loquatur, quas omnes velut notissimas sine ulla loci determinatione enumerat[20]. Porro auctor, si in Palaestina scripsisset et lectores prae oculis habuisset, quibus Palaestina patria erat, ad regionis alicuius pulchritudinem et fertilitatem describendam cum regione aegyptiaca eam certe non comparasset : regio autem Iordanis, antequam Dominus Sodomam et Gomorrham subverteret, dicitur fuisse « sicut paradisus Domini et *sicut Aegyptus venientibus in Segor* » i. e. sicut illa Aegypti inferioris pars, quae habitantibus in Gesen erat vicina ideoque nota, quam vero iuniores Israelitae procul dubio ignoraverunt[21]. Demum attendas velim, quam obiter terrae promissae fines in Pentateucho determinentur, quam accurate vero in libro Iosue fines meridionales et septemtrionales describantur[22]. In Occidente mare mediterraneum velut finis indicatur; cuius extremitas meridionalis sit « torrens Aegypti »; quae autem sit extremitas septemtrionalis, tacetur. Si vero ex ipsis limitibus septemtrionalibus concludere licet, totam Phoeniciam quoque limitibus indicatis comprehendi diceremus, uti certe integer Libanus et Antilibanus comprehenduntur. Iam vero regnum israeliticum ne Davidis quidem et Salomonis aetate Phoeniciam regionemque usque ad Emath (Hamath) complexum est; quomodo igitur explicabunt adversarii nostri, iuniorem quemcunque scriptorem limites indicasse, quos Israelitas nunquam attigisse optime scivit[23]?

18. *Exod.* 12, 25; 13, 5. 11; 23, 20 sqq.; 34, 11 sqq. etc.; *Lev.* 14, 34 sqq.; 18, 3 sqq.; 19, 23 sqq.; *Num.* 15, 2 sqq.; 18, 20 sqq.; 24, 2 sqq. etc.; *Deut.* 6, 10 sqq.; 7, 1 sqq.; etc.

19. *Gen.* 49, 30; — *Gen.* 23, 2. 19; 33, 18; 35, 6; 48, 3; *Deut.* 11, 30 (*Gen.* 16, 7 sqq.). — Aliter se res habet, si *Ios.* 22, 9. 10. 11. 32 et *Iudic.* 21, 12 de altari *in terra Chanaan* aedificato aut de *Silo in terra Chanaan* sermo fit; illis enim in textibus omnibus opponitur terrae transiordanicae (Gilead). Quod si vero etiam *Ios.* 21, 2 principes levitarum ad Iosue « *in Silo terrae Chanaan* » accessisse dicuntur, ut sibi haereditatem suam postularent, auctor isto apposito in memoriam revocare illa voluit, quae Moyses de haereditatibus « *in terra Chanaan* » distribuendis praescripserat *Num.* 34, 29 et 35, 10.

20. Cfr *supra* n. 17 p. 61. et *Num.* 33,3 - 49.

21. *Gen.* 13, 10. Segor hebr. צער (Alex. Ζόγος), at rectius videtur Syrus legere צען = Zoan, i. e. Tanis, Aegypti urbs antiquissima et celeberrima, cuius vicinia ob fertilitatem et pulchritudinem in papyris aegyptiacis frequenter celebrantur (Cfr *Ebers* in Riehm Handwörterbuch des bibl. Alterthums. p. 1843). Ceterum eadem urbs alterum argumentum nobis praebet, Aegyptum primis Pentateuchi lectoribus magis notam fuisse quam Chanaan; etenim *Num.* 13, 22, ut civitatis Hebron antiquitas definiatur, « *Hebron septem annis ante Tanim Aegypti* condita » dicitur. Tanis caput Aegypti erat, quo tempore Hycsos terram occupabant; eadem autem aetate Ioseph patrem et fratres suos in Aegyptum accersisse communis est sententia.

22. *Num.* 34, 2-12; cfr *Ios.* 15, 1-4; 15, 21 sqq. et 13, 4-6. Meridionales fines accuratius quidem quam septemtrionales a Moyse definiuntur, a Iosue autem longa serie civitatum describuntur.

23. Illi, qui Moysis inspirationem admittunt atque ex aliis libris inspiratis didicerunt, populum peccatis suis se indignum reddidisse, qui integram terram promissam acciperet, difficultate hac non turbantur.

4. *In Pentateucho tota legislatio coram oculis nostris paullatim exoritur.* Namque eius auctor non completum quoddam systema legum nobis proposuit, neque eas, quae de iisdem vel de similibus rebus agunt, omnes coniunxit, sed prout peregrinationis tempore occasione data latae sunt, singulas literis mandavit; hinc nonnullas iam latas novis rerum rationibus accedentibus mutari, accuratius definiri atque perfici videmus. Quam codicis legum indolem explicare non potest, qui iuniorem scriptorem leges sua aetate vigentes collegisse et in unum corpus redegisse censet; at eadem quoque indoles vetat, ne leges illas inter se pugnare dicamus atque a iuniore redactore, qui ad apparentes contradictiones non attendit, in unum codicem esse adunatas putemus.

Pauca exempla hanc legislationis indolem explicabunt. Postquam lex de paschate celebrando iam erat lata, stabilita est alia lex de immundis e castris eiiciendis; unde exorta est difficultas, quando immundi illi eiecti pascha celebrare tenerentur; quae difficultas nova lege est soluta [24]. Blasphemia prohibita quidem erat; poena autem in blasphemum postea stabilita est; item opus servile in sabbatho prohibitum erat, sanctio autem postea occasione data promulgatur [25]. Lex de haereditate in familiis conservanda ob filias Salphaad accuratius definitur, atque postea nova difficultate exorta statuitur, quibusnam filiae haeredes nubere possint [26]. Apertissima est haec differentia, si legislatio trium librorum intermediorum cum Deuteronomio comparatur; in prioribus enim libris Israelitae per desertum peregrinantes spectantur, in Deuteronomio autem, quod paenultimo mense ante ingressum in terram promissam conscriptum est, Moyses Israelitas in novis suis sedibus habitantes quasi coram oculis iam habet. Praecipua festa

in prioribus libris saepius quidem commemorantur, immo accuratius, quam in Deuteronomio, describuntur; nihilominus in Deuteronomio novi aliquid additur: illa enim coram tabernaculo esse peragenda, Israelitis in deserto peregrinantibus, qui tabernaculum secum habebant, dicere opus non fuerat; ingressuris autem in Palaestinam inculcatur, ut in festis illis coram Domino appareant[27]. In deserto prohibetur, ne quis animal quodcunque nisi coram tabernaculo mactet; quae lex, quoniam ab Israelitis in terra Israel dispersis observari non potuit, diserte abrogatur[28]. Illis, qui non voluntarii hominem occiderint, iam in prima legislatione locus refugii promittitur; verum postquam tribus Ruben, Gad et dimidia Manasse terram suam trans Iordanem occupaverunt, numerus civitatum refugii cis et trans Iordanem definitur et lex accuratius explicatur; in Deuteronomio demum tres civitates refugii trans Iordanem eliguntur, atque novis praescriptionibus additis efficitur, ut rei facilius ad eas confugere possint[29].

Quae omnia, nisi fallimur, virum nobis ostendunt, qui ipse adfuit, quando leges illae dabantur, explicabantur, mutabantur; atque testem ocularem nobis etiam nonnullae narrationes pentateuchicae produnt. Quis nisi qui rebus gestis ipse interfuit, tam accurate dies indicare potuit, quibus gestae sunt? Postquam Aegyptii in mari rubro perierunt, *tribus diebus* Israelitae per desertum Sur profecti sunt in Mara, *die decimo quinto secundi mensis* post egressum ex Aegypto pervenerunt in desertum Sin, quod est inter Elim et Sinai; *insequente die* acceperunt manna; *primo die tertii mensis* castrametati sunt ad radices montis Sinai. *Tertio die*, postquam Moyses e monte reversus est, Dei gloria populo apparens Moysen ad se advocat; *septimo die* Moyses coram Domino apparet et apud eum manet *quadraginta diebus*, atque ita porro[30]. Quot praeterea res minutae auctori cognitae erant! Nomina scivit obstetricum, quarum ope Pharao pueros recenter natos occidere voluit, duorum filiorum Aaron, qui ob sacrilegum sacrificium occisi sunt, et eorum patruelium, qui corpora occisorum extra castra portarunt, matris viri illius, qui primus poenam blasphemiae passus est, artificum, qui tabernaculum exstruxerunt[31] etc. Catalogos tradit virorum singularum tribuum, familiarum tribus Levi, donorum, quae tribuum principes, quos singulos nominat, in consecratione tabernaculi obtulerunt[32] etc. Quo cum iure omnia haec arbitrarie conficta aut ex incertis traditionibus hausta dicuntur?

24. *Exod.* 12,1; *Num.* 5,2; 9,6 sqq.
25. *Exod.* 20,6; 22,27; *Lev.* 24,10. sqq. — *Exod.* 20,10; *Num.* 15,32 sqq.
26. *Num.* 26,53; 27,1 sqq.; 36,1 sqq.
27. *Exod.* 23,14 sqq.; 34,18 sqq.; *Levit.* 23,4 sqq.; quibuscum cfr *Deut.* 16,5 sqq.
28. *Exod.* 20,24; *Levit.* 17,3. 4 et cfr *Deut.* 12,15; 14,11. 12.

29. *Exod.* 21,12. 13; *Num.* 35,9-34; *Deut.* 4,41 sqq.; 19,2-12.

30. *Exod.* 15,22; 16,1; 19,1-3. 10. 20; 24,16. Cfr de hac quarta argumenti parte praesertim *Scholz* Einleitung. Koeln 1845. II. p. 141-148, qui aliis non paucis exemplis additis egregie illud proponit.

31. *Exod.* 1,15; *Levit.* 10,1. 4; 24,11; *Exod.* 31,2; 35,30. 34.

32. *Num.* 1-4; 13,1-13; 26,1 sqq.; 34,16-29 etc. Mirum quomodo vim huius argumenti effugere conantur *de Wette Schrader* (Einl. Ed. 8. p. 265): « Listen, wie Num. 1. 3. 7. 26. u. a. sind keineswegs *unbestreitbare* gleichzeitige Aufzeichnungen, da sich immerhin manches gegen ihre Glaubwürdigkeit sagen und wenigstens aus Beispielen (Gen. 5. 11,10-26; 1 Paral. 9. 23. 27; 2 Esdr. 11.) darthun lässt, dass solche Stücke aus einer unsichern willkürlichen Tradition geflossen sind ». Catalogos illos *impugnari posse* non negamus neque opus erat, ut De Wette aut Vater adducerentur, qui eos revera impugnaverunt; sed id unum quaeritur, num *iure impugnari possint*; id autem aeque parum probatum est, atque catalogos Gen. 5. 11 etc. ex incerta et arbitraria traditione esse haustos. Caecam fidem nostri adversarii, qui Deo fidem habere nolunt, a suis asseclis postulant.

5.) Coronidis gratia addamus *Pentateuchum etiam lingua sua maiorem, quam reliquos libros V. T., antiquitatem prae se ferre.* In genere quidem lingua hebraica longissimo illo temporis spatio, quo libri sacri conscripti sunt, haud multum dicitur esse mutata; quare etiam difficultatem ex Pentateuchi ac librorum postexsilicorum linguae similitudine a nonnullis obiectam[33] alii rationalistae reliquarum linguarum semiticarum exemplo allato spernendam esse docuerunt[34]. Ceterum *supra* (p. 34) iam monuimus, linguam Pentateuchi, uti in libris per multa saecula frequenter lectis fieri fere solet, obsoletis locutionibus expunctis usitatisque substitutis iuniori tempori accommodatam videri. Neque tamen omnia antiquitatis vestigia sublata sunt, ita ut massorethicus quoque Pentateuchus lingua a iunioribus libris discrepet. *Iahn* suo tempore circa quadraginta vocabula recensuit, quae Pentateucho sint propria aliaque trecenta, quae aliis in libris frequenter, at nusquam in Pentateucho legantur. Quae numeratio accurata non est, quia vocabula, quae ob singulares suas significationes certis tantum in locis adhiberi possunt, ab illis non distinxit, quae communioris sunt usus. Nihilominus negari nequit, certum dictionum numerum, quae in aliis libris adhiberi potuerunt, a solo Pentateuchi auctore esse adhibitas[35]. Maioris porro momenti est, quod etiam grammaticis quibusdam formis Pentateuchus a reliquis libris differat. Quo praesertim spectat, quod pron. הִוא et nomen נַעַר in eo pro utroque genere usurpentur, iuniores autem omnes scriptores inter הוּא et הִיא et inter נַעַר et נַעֲרָה semper distinguant; deinde quod in eo solo pron. demonstrativa הָאֵלֶּה et הָאֵל (*hic, hi*) reperiantur atque infin. constr. verborum ל״ה frequenter in ה- vel וֹ- (pro וֹת-) et 3. pers. plur. Perf. et Imperf. in וּן- (pro וּ-) terminentur etc.[36]. Quae omnia, etsi haud

magnam probandi vim habere videantur, contra rationalistas sua non carent auctoritate, qui placita sua eiusmodi singularitatibus linguae demonstrare amant; quare ea confirmationis gratia adiunximus.

33. Cfr *Gesenius* Gesch. der hebr. Spr. 1815. p. 19 sqq.; *v. Bohlen* Die Genesis histor. erläutert. 1835. p. L; *Nachtigall* in Henke's Magazin II. p. 472 sqq. etc.

34. Unus audiatur *Ern. Renan*. Hist. génér. des langues sémit. 1863. p. 120 : « Cette ressemblance n'a rien d'incroyable pour celui qui s'est fait une idée juste de la fixité des langues sémitiques. Les langues sémitiques, en effet, ne vivent pas comme les langues indo-européennes; elles semblent coulées dans un moule, d'où il ne leur est pas donné de sortir ». Cfr etiam ex catholicis *B. Welte* Nachmosaiches in Pent. 1841. p. 2 sqq.; *L. Reinke* Beiträge V. p. 187 sqq.

35. *P. Martin* Introd. à la crit. génér. de l'A. T. I. p. 516 sqq. 597 sqq. nonaginta quatuor dictiones, quae Pentateucho sint propriae, enumerat; cfr etiam *Vigouroux* Les livres saints et la crit. rational. III. p. 103 sqq. et ex acatholicis *Keil* Einleitung. Ed. 3. p. 44 sqq.; *G. Voss* The mosaic. origine of the Pentat. 1886. etc.

36. Prae ceteris conferri meretur *Graffin* (Étude sur certains archaïsmes du Pentateuque 1888), qui, quum הוא pro feminino etiam in l. Iosue non amplius inveniatur, iure has theses statuit : « 1. La Thora est plus ancienne que tout le reste de la Bible; 2. La Thora a été constituée avant que le livre de Iosué ne fût écrit; 3. Le Deutéronome, qui contient le pronom féminin avec *vav*, appartient à la même période littéraire que le reste du Pentateuque ».

Quae hucusque *de Pentateuchi indole* disseruimus, ea procul dubio, si diligenter perpenduntur, illum mosaicae aetati deberi ita demonstrant, ut prudenti dubitationi non relinquant locum. At ipsum quoque Moysen illius auctorem esse, ex eis iure derivamus: errant enim, qui argumentis nostris internis nihil aliud demonstrari putant, nisi *potuisse* Moysen Pentateuchum conscribere[37]. Ad adversariorum quidem placita evertenda id plane sufficeret, sed maiorem esse argumentorum nostrorum vim satis patet, si simul consideratur, quodnam munus Deus Moysi assignaverit. Profecto enim Moyses, utpote fidelis Dei servus et unicus Deum inter et filios Israel mediator, neque soli traditioni orali conservationem tot tantarumque legum a Deo datarum permittere, neque alteri earum collectionem relinquere potuit. Quanto enim periculo tota legislatio esset exposita, si populus, cui ad occupandam terram promissam gravissima et diuturna bella erant gerenda, Legem scriptam non habuisset! Iam vero Lex, ut contra populum esset in testimonium (*Deut.* 31,26), authentice erat conscribenda i. e. ab illo ipso, qui illam a Deo immediate recipere dignatus est. Attamen si leges a Moyse conscriptae sunt, narrationes ab eodem scriptas esse dicendum est; tam arcto enim nexu Lex et historia pentateuchica sunt coniunctae, ut alterutra alteram supponat et explicet.

37. Contra *Delitzsch* (Comm. zur Genes. Ed. 4. 1872. p. 19), qui id affirmat, cfr *Knabenbauer* Stimmen aus M. Laach. 1873. IV. p. 218 sq.

§ 4. — *De praecipuis obiectionibus, quibus Pentateuchi origo mosaica impugnatur.*

20. — Certis igitur nec ullum prudens dubium relinquentibus argumentis nititur eorum persuasio, qui Pentateuchum Moysi auctori adscribunt; restat, ut adversariorum rationes examini subiiciamus, quibus nixi antiquam de mosaica origine Pentateuchi traditionem fide dignam non esse demonstrare conantur. Omnia quidem examinare opus non est; nonnulla enim hodie iam sunt obsoleta ideoque merito negliguntur. Quis enim hodie dubitat, quin Moysis aetate ars scribendi dudum fuerit inventa et late propagata? Quis hodie linguae pentateuchicae cum lingua reliquorum V. T. librorum similitudinem afferre audebit, ut Pentateuchi antiquitatem impugnet? Atque risui sese exponeret, qui hodie ex eo, quod Moyses non nisi tertia persona designatur aut laudibus insigniatur, contra mosaicam libri originem argumentaretur[1]. Porro alia argumenta, quae hodie adhuc proferuntur, tam levia sunt, ut refutatione digna non esse videantur. Nonne iocari videntur adversarii nostri, si magna cum gravitate asserunt, Moysen in deserto nihil habuisse, quo ad tale opus scribendum impelleretur, aut si Pentateuchi auctorem incognitum esse concludunt, quia plerorumque librorum historicorum V. T. auctores ignorentur[2]. Nostrum quoque non est, praeiudicia eorum refutare, qui propter miracula narrata narrationem quandam a teste oculari profectam esse negant. At his similibusque obiectionibus prorsus praetermissis, non paucae aliae remanent, quae etsi saepissime et optime iam sint refutatae, quotidie recoquuntur[3]. Quia igitur veritatis speciem quandam habere videntur (secus enim ab iis continuo afferendis abstinerent, opinor, adversarii), eas proponemus et examini subiiciemus. Duplicem earum classem distingui supra (11) iam innuimus; aliae enim *antiquitatem*, aliae *unitatem et integritatem* operis impugnant. Prioribus, de quibus solis hoc loco agemus, aut ex iunioribus V. T. libris aut ex ipso Pentateucho desumtis demonstrare volunt adversarii, opus nostrum mosaica aetate esse recentius ideoque a Moyse conscribi non potuisse: reliquis, de quibus in sequente paragrapho agemus, id efficere conantur, ut opus illud ex variis documentis a variis scriptoribus paullatim longo temporis decursu esse compositum ostendant.

1. A. *T. Hartmann* (Historisch krit. Forschungen über die Bildung... der fünf Bücher Moses. Rostock 1831. p. 591) Iudicum tempore, ***Pet. v. Bohlen*** (Die Genesis historisch krit. erlautert. Konigsberg 1835. p. XL.) vix decimo saeculo a. Chr. Israelitas scribendi artem accepisse docuerunt. Mirum, quod post ***Vater*** (Comment. über den Pentat. 1805. III. p. 524) ipse ***Eb. Schrader*** a. 1872 (in Schenkel Bibellexic.

IV. p. 445) asserere ausus sit, Israelitis mosaica aetate artem scribendi cognitam quidem, sed non usitatam fuisse, nisi forte ad breviores monumentorum inscriptiones vel notulas quotidianas. Neque enim ignoravit vir doctus, diu ante Moysen in Aegypto et in Mesopotamia literas floruisse omnisque generis opera (historica, poetica, ethica, legalia) multa esse scripta, hodie autem ex documentis nuper detectis (in Tell el Amarna etc.) insuper constat, etiam per Chanaan adiacentesque regiones dudum ante Moysen artem scribendi vulgatissimam fuisse, ut oppidum *Debir*, antequam Palaestina per Iosue expugnaretur, *Cariat Sepher* (oppidum librorum) appellatum esse (*Ios.* 15,15) nemo iam miretur. Cfr *Sayce* in Lex mosaica 1894. I. p. 1 sqq. etc. — De lingua Pentateuchi iuniorumque librorum diximus p. 66 sq. — *Hartmann* (l. c. p. 545), *v. Bohlen* etc. ac recentissime *Cornill* (Einl. 1896. p. 14) usum tertiae personae obiiciunt; itaque etiam negent, Bellumgallic. a Caesare, Anabasin a Xenophonte, Bellum pelopon. a Thucydide esse scripta, atque prophetis pleraque vaticinia, SS. Matthaeo et Ioanni Evangelia abiudicent. — Si vero *Delitzsch* (Comm. z. Genes. 1872. p. 32) et *Strack* (Einl. 1895. p. 17) laudes Moysi tributas (*Exod.* 11,3; *Num.* 12,3) afferre non verentur, monuisse sufficit, Moysen sincere et candide et illa referre, quae laudi, et illa quae vituperio sibi sunt (cfr Calm.); num forte « orthodoxi » illi etiam S. Ioanni Evangelium (cfr *Ioan.* 13,23; 19,26; 21,7) aut S. Paulo epistolas aliquas (cfr 1 *Thess.* 2,9 sq.; 2 *Cor.* 11,5 sqq.) abiudicabunt?

2. *De Wette Schrader* Einl. Ed. 8. 1869. p. 267; *Bleek-Wellhausen* Einl. Ed. 4. 1878. p. 54 etc. — *Vaihinger* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XI. p. 304 etc.

3. Easdem fere difficultates, quas Spinoza iam attulit, repetitas invenies a *Koenig* (Einl. 1893 p. 159 sqq.), *Strack* (Einl. 1895. p. 25 sqq.), *Cornill* (Einl. 1896. p. 14 sq.). — Eas iam pridem refutarunt ex catholicis *Goldhagen* (Introd. 1766. II. p. 45 sqq.), *Welte* (Nachmosaisches im Pentat. 1841), *Reinke* (Beiträge 1851-74. III. p. 3 sqq. 327 sqq.; V. p. 187 sqq.; p. 131 sqq.), *Smith* (The Pentateuch. p. 380-577), *Knabenbauer* (Stimmen aus M. L. 1873. IV. p. 358 sq.; V. p. 47 sqq. 349 sqq.); praeter quos cfr Introductiones *Scholz* (II. p. 168 sqq.), *Herbst-Welte* (II. p. 24 sqq.), *Vigouroux* (I. p. 287 sqq.), *Ubaldi* (I. p. 492 sqq.) *Kaulen* (Ed. 3. p. 197 sqq.). — Acatholicorum opera, qui utiliter conferuntur, nonnulla *supra* (p. 34 sq. n. 1) iam nominavimus; maioris momenti inter illa sunt *Hengstenberg* Authentie des Pentat. (I. p. 181-502; II. p. 179-443), *Keil* (Einl. Ed. 3. p. 133 sqq.), *Lex mosaica* (ed. French 1894).

21. — I. Primo igitur loco ea examini subiiciemus, quae *ex iunioribus libris contra mosaicam Pentateuchi originem vel potius contra eius antiquitatem obiiciuntur*. Illis quidem, quae nos ex eisdem attulimus, argumentis nihil aliud opponunt adversarii, nisi Moysen nusquam nominari *Pentateuchi scriptorem*, sed *Legis mediatorem* tantum. Neque enim satis attendunt, Legem illam Moysi attributam vocari *librum* (ספר תורת משה vel ספר תורת יהוה ביד משה) neque alium librum mosaicum unquam vel usquam praeter Pentateuchum esse visum; quare verba illa de Pentateucho a Moyse conscripto intelligere cogimur. Verum alios congesserunt textus, quibus magnum saltem legum numerum iunioris originis esse demonstrarent.

1. Plures Pentateuchi auctores indicatos vident 4 *Reg.* 17,13 et 1 *Esdr.* 9,11: in manu enim servorum suorum prophetarum Deus Legem misisse

dicitur[1]. Profecto similis dicendi modus aliis quoque in locis invenitur (4 *Reg.* 21,10; 24,2), attamen ex illis simul apparet, sacros scriptores istam formulam adhibuisse, quoties monita quaedam saepius a Deo repetita et inculcata allegaverunt ideoque nec solum Pentateuchi auctorem nec certum aliquem prophetam, qui post Moysen eadem monita tradiderat, citare voluerunt. Quin enim post Moysen per prophetas nova nonnulla praecepta legi iam datae accesserint, legesque ipsae mosaicae a prophetis saepissime sint explicatae vel inculcatae, quis dubitaverit?

2. Maiorem vero difficultatem in illis inveniunt, quae de Pentateucho vel Deuteronomio Iosiae aetate invento in libris Regum et Paralip. narrantur. Anno nimirum 18. Iosiae regis Helcias pontifex, quum pecuniam ad templum instaurandum necessariam ex aerario desumere voluisset, librum Legis (סֵפֶר הַתּוֹרָה; attende ad articulum) invenit tradiditque Saphan scribae, ut regi illum afferret. Rex autem, postquam Saphan librum (« in libro » 2 *Par.* 34,18) coram eo legit, poenitentia permotus est; « magna enim ira Domini, inquit, succensa est contra nos, quia non audierunt patres nostri verba libri huius, ut facerent omne quod scriptum est nobis.... Ascendit autem templum Domini et omnes viri Iuda universique qui habitabant in Ierusalem cum eo, *sacerdotes et prophetae* et omnis populus a parvo usque ad magnum, legitque cunctis audientibus omnia verba libri foederis, qui inventus est in domo Domini »; quibus perlectis assentiente populo « foedus percussit coram Domino, ut ambularent post Dominum... et suscitarent verba foederis huius, quae scripta erant in libro illo ». Maiore deinde cum ardore idololatriam ex regno Iuda eiiciendam curavit et celebravit Phase, quale non est factum « a diebus iudicum, qui iudicaverunt Israel, et omnibus diebus regum Israel et regum Iuda ». « Similis autem Iosiae non fuit ante eum rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde suo et in tota anima sua et in universa virtute sua iuxta omnem Legem Moysi, neque post eum surrexit similis ei »[2].

Dici vix potest, quantopere narrationem hanc vexaverint critici, ut ex ea demonstrarent ante Iosiae aetatem legem pentateuchicam vel deuteronomicam populo Israel incognitam fuisse atque 18. anno Iosiae per Helciam sacerdotem Israelitis esse impositam. Inter eos quidem non convenit, utrum « liber Legis », qui inventus dicitur, integer fuerit Pentateuchus (*Davidson*), an Exodus (*Gramberg*), an *Deuteronomium* (*De Wette*, *Ewald*, *Colenso*), an tres libri intermedii (*Bertheau*), an pars Deuteronomii (*Graf, Reuss, Wellhausen, Schrader, plerique*), an compendium quoddam omnium legum (*Vater, Bohlen*); id autem fere omnes tenent, librum illum fuisse prorsus novum atque eo usque incognitum[3]. Quae falsissime asseri perspicuum est, si modo auctoribus librorum Reg. et Paralip. ulla fides est adhibenda.

Praeprimis adnotemus, « libro Legis » integrum Pentateuchum esse intelligendum; idoneo enim testimonio nondum demonstratum est, illis verbis solum Deuteronomium aut partem Deuteronomii designari, neque unquam id demonstrabitur, quoniam Deuteronomium a reliquis libris avulsum nulla ratione pro opere completo aut integro legum codice haberi potest[4]. Porro

librum illum non fuisse novum quendam et incognitum, tota narratio prodit. Ut enim liber inveniatur, antea exsistat oportet; ut inventus liber a sacerdote tamquam « liber Legis » cognoscatur, liber Legis antea notus fuerit oportet. Profecto cui tandem persuadere volunt adversarii nostri, regem et summum pontificem et omnes sacerdotes et populum integrum libro aliquo recentissimo, de quo nemo eo usque quidquam audierat, tantopere esse commotos, ut Legis huius, quam prorsus ignoraverant, violationi omnia mala sua attribuerent et sollemniter promitterent, se « custodituros esse praecepta Domini et testimonia et cerimonias in omni corde et in tota anima, et *suscitaturos* verba foederis huius, quae scripta erant in libro illo »? Accedit, quod etiam prophetae inter illos, qui haec promiserunt, fuisse dicuntur; nec sola Holda prophetis eo tempore floruit, sed etiam Ieremias tum temporis Ierosolymis adfuit; num Ieremiam et reliquos prophetas illis, quos a sacerdote deceptos esse dicunt adversarii, an deceptoribus adnumerabimus[5]? Neutrum sane asserere audebit, nisi cuius animus praeiudiciis sit occaecatus.

At quomodo, inquiunt, liber ille, si iam antea cognitus erat, tantam commotionem excitare potuit? Nonne ex tota narratione elucet, regi prorsus nova fuisse, quae Saphan ei praelegit? Nonne diserte asserit « patres suos non *audivisse* verba libri huius, ut facerent omne, quod scriptum est »? Verbis ludere videntur adversarii, quum vocabulum *audiendi* idem velint esse ac *auribus percipere;* sed שָׁמַע עַל significat *ad aliquem vel aliquid attendere, ei obedire, morem gerere;* rectissime igitur verba 4 *Reg.* 22, 13 « *non attenderunt* patres nostri ad verba libri huius », auctor 2 *Paral.* 34,21 reddidit « *non custodierunt* (לֹא שָׁמְרוּ) patres nostri verbum Domini ». Ceterum ad illa quoque verba, quibus libri inventio a sacris scriptoribus refertur, iuverit attendisse. Helcias enim dicit : « Librum Legis (סֵפֶר הַתּוֹרָה τὸ τοῦ νόμου βιβλίον i. e. librum Legis omnino determinatum, non vero libri Legis exemplar qualecunque) inveni », atque auctor Paralipomenon accuratius dicit Helciam reperisse סֵפֶר תּוֹרַת־יְהוָֹה בְּיַד־מֹשֶׁה « librum Legis per manum Moysis », id est « illud Pentateuchi exemplar, quod sua manu Moyses exaraverat »; atque simili modo Fl. Iosephus : ἐντύγχανει ταῖς ἱεραῖς βίβλοις ταῖς Μωυσέως ἐν τῷ ναῷ κειμέναις. Ex Deuteronomio (31, 24 sqq.) constat, Moysen « postquam scripsit verba Legis huius in volumine atque complevit » praecepisse levitis : « Tollite librum istum (אֵת סֵפֶר הַתּוֹרָה הַזֶּה) et ponite eum in latere arcae foederis Domini, ut sit ibi contra te in testimonium ». Liber Legis igitur Moysis manu conscriptus iuxta arcam in tabernaculo et postea in templo erat repositus[6]; sub Manasse autem, Iosiae avo, qui non solum in templi atriis altaria idolis exstruxerat, sed etiam in adyto idolum collocaverat, una cum arca etiam liber Legis ex Sancto Sanctorum videtur esse remotus et aerario illatus[7], ibique, quum arca in suum locum restitueretur, relictus; quare deperditus credebatur. Iam vero illud autographum, quod non tantum ob antiquitatem suam, sed multo magis ob manum, qua erat conscriptum, summa erat dignum veneratione, quum repente praeter omnem exspectationem repertum esset, magnam populi commotionem excitasse facile con-

cipitur. Annon rex, quum librum, quem Moyses iuxta arcam posuerat, « ut contra populum esset in testimonium », suis oculis videret manibusque tractaret, Moysen ipsum velut resuscitatum et contra populum testimonium ferentem quodam modo vidit? Quis autem mirabitur, quod rex, si in ultima istius voluminis parte calamitates gravissimas legit praedictas[8], quae illo tempore regno suo imminebant, poenitentia permotus novo cum ardore idololatriam auferre studuerit?

1. Ita *De Wette Schrader* Einl. p. 267; *Vaihinger* in Herzog P. R. E. XI. l. c.

2. 4 *Reg.* 22,8 sqq.; 2 *Paral.* 34,14 sqq.; quos secutus *Fl. Ioseph.* Antiqu. X. 4,2 sq.

3. Primus, ut videtur, *De Wette* (Beiträge 1805. I. p. 168 sqq.) librum inventum aliquid prorsus novi fuisse asseruit, immo de fraude (« angelegten Handel » p. 179) loqui non dubitavit; quem secuti sunt *Hartmann* (Histor. krit. Forschungen etc. 1831. p. 570), *v. Bohlen* (Pentateuch 1836. p. CLXIV), *Lengerke* (Kenaan. Einl. CXXV sqq.) aliique multi. Ex recentioribus eum sequuntur *Davidson* Introd. 1862. p. 131 sqq., *Graf* Die geschichtl. Bücher des A. T. 1866. p. 4 sqq., *De Wette Schrader* Einl. 1869. p. 332 sqq., *Reuss* Gesch. des A. T. 1881. p. 353 sqq.; *Wellhausen* Prolegomena 1883. p. 426; *Cornill* Einleitung 1896. p. 23 sq. 29 sqq. et alii multi.

4. Cfr *supra* 15. 2. p. 42 sqq. — Deuteronomium solum non posse intelligi elucet, si ea legeris, quae de paschate traduntur, quod Iosias celebrari iussit « secundum quod scriptum est in libro foederis huius » et quo sollemnius nunquam celebratum est (4 *Reg.* 23, 21-23). Nam pauca illa verba, quae *Deut.* 16,1-8 de paschate leguntur, nec diem definiunt, quo celebrandum sit, nec de agno paschali comedendo loquuntur, nec sacrificia offerenda indicant etc. Quare ipsa lex deuteronomica praesupponit leges iam latas *Exod.* 12,1-20. 43-51 et *Num.* 28,16-31, atque secundum has Iosias festum celebrari iussit. — Praeterea 4 *Reg.* 23,14-16 omnino videntur alludere ad *Levit* : 26,30 : « et mittam *cadavera vestra supra cadavera idolorum vestrorum* ».

5. *Wellh.* (l. c. p. 428) Ieremiam iuvenem in Deuteronomio fraudulenter introducendo partem habuisse, postea autem, quando falsum parum profuisse videret, facti poenituisse asserit. Num viri, qui de Scripturarum auctoribus hac ratione loquuntur, digni sunt, quibuscum de earum origine disputetur? Iuxta Wellh. eiusque asseclas Ieremias propheta, Holda prophetis omnesque prophetae sacerdotesque aetate Iosiae fuerunt deceptores, deceptores quoque post exsilium Esdras, Nehemias, Malachias ac reliqui prophetae sacerdotesque iuniores; universus autem Pentateuchus iuxta eos catervae falsariorum debetur, qui per stultos reges et principes stulto populo eum imposuerunt. Tam portentosa ac blasphema est haec assertio, ut clara eius enuntiatio iam sufficiens sit eius refutatio. Frustra se torquet *Driver* (Introd. Ed. 3. 1892. p. 83 sqq., *Driver Rothstein* Einl. 1896. p. 93 sqq.), ut Deuteronomium proprio sensu « falsum » non esse demonstret, quia eius auctor pro ipso Moyse haberi nolit et quia leges, quas tradat, aut vere mosaicae sint aut saltem antiquissimae et pro mosaicis habitae. Num quis prudens, qui vel semel Deuteronomium legerit, eiusmodi sophismatis decipietur?

6. 4 *Reg.* 22,8; 2 *Paral.* 34,14; *Deut.* 31,24 sqq. — Secundum 3 *Reg.* 8,4 in templum salomonicum translata sunt « arca Domini et tabernaculum foederis et omnia vasa sanctuarii, quae erant in tabernaculo ». Ultima verba כָּל־כְּלֵי הַקֹּדֶשׁ אֲשֶׁר בָּאֹהֶל (« omnes res sacrae, quae erant in tabernaculo ») etiam mosaicum Legis autographum, quod in testimonium contra Israelitas in tabernaculo repositum erat, comprehendit. Nisi tamen aliorum sententiam praeferas, librum Legis *in* arca ipsa fuisse depositum.

7. Cfr 4 *Reg.* 21,5 sqq.; 2 *Paral.* 35,3.
8. *Deut.* 28,36; 31,29.

3. Gravissimam difficultatem multi in eo inveniunt, quod pentateuchicas leges non semper esse observatas tota historia israelitica doceat. Etenim legislatio, inquiunt, quae mosaica dicitur, si per Moysen esset promulgata atque literis mandata, a subsequentibus generationibus oblivioni dari nec potuit nec debuit; atqui iuniores V. T. libri Israelitas illas leges ignorasse neque ulla ratione agnovisse testantur; ergo non exstitisse sunt dicendae. Hoc argumento nixa recentissima rationalistarum schola (*Graf*, *Reuss*, *Wellhausen*) Deuteronomium non ante Iosiae aetatem, codicem autem, quem vocant sacerdotalem, Deuteronomio iuniorem post exsilium tandem babylonicum prodisse docent; reliqui eodem argumento nixi partem saltem legum maiorem minoremve aut tempore primorum regum aut post regni scissionem etc. exortam esse demonstrare conantur. Quapropter, etsi de recentissima rationalistarum schola infra (43 sq.) recurrat sermo, hoc iam loco pauca de integro argumento dicemus.

Maiorem argumenti propositi concedimus, dummodo recte intelligatur. Legislationem enim pentateuchicam ac proin Pentateuchum ipsum Moysi abiudicare non dubitaremus, si integro tempore a Moyse usque ad exsilium vel etiam usque ad regum aetatem legislationem totam incognitam fuisse certis argumentis aliquis demonstraret, neque ullum eius vestigium in historia israelitica inveniretur. Attamen evidens est id non demonstrari, si singularis quaedam lex uni alterive incognita fuisse aut ab uno alterove vel certo quodam tempore violata esse ostendatur. Profecto risui sese exposuerunt illi, qui Davidis tempore legem connubia consanguineorum prohibentem nondum latam fuisse affirmarunt, quia Thamar Davidis filia illam ignorasse videatur. Num forte hodie puellae omnia impedimenta matrimonialia sciunt atque in tanto periculo, quantum illud fuit Thamaris, eorum recordantur[9]? Neque maiore cum iure ab aliis allatum est Samsonis matrimonium cum Philistaea, ut praeceptum de matrimonio cum Chanaanitis non ineundo Iudicum aetate nondum exstitisse probarent. Singulare enim hoc factum Samsonem matrimonio suo peccasse recte quidem demonstraret, nisi sacer scriptor insinuasset illum instinctu Dei, qui a lege ista utique dispensare potuit, matrimonium inisse; quoniam autem Samsonis parentes matrimonium filii, quia contra legem et consuetudinem esset, improbaverunt, narratio haec nobis potius favet, quam adversariis[10]. Porro quomodo aliquis ad Iephtae votum provocari potuerit, ut legem, qua sacrificia humana prohibentur, in vigore non fuisse neque exstitisse doceret, quis intelligit? Iephte enim, si filiam suam revera mactasset, non tantum mosaicam, sed naturalem quoque legem violasset; concludamus ergo Iephtae aetate legem naturalem in vigore non fuisse neque exstitisse[11]. Certum igitur est, violatione qualicunque alicuius legis non statim iam demonstrari eam non exstitisse; quapropter plurimae difficultates, quas in singularibus et rarissimis factis invenerunt adversarii, prorsus non sunt ad rem atque merito a nobis negliguntur.

Alias autem proferunt, quae sua sponte evanescunt, si ad genuinum textuum sensum attentio convertitur. Auctor sacer, si filios David « sacerdotes » (כֹּהֲנִים) fuisse refert, insinuare quidem videtur, praeter aaroniticos tempore Davidis alios sacerdotes in Israel adfuisse ac proin non cognitum fuisse privilegium Aaronitis a Deo concessum. In loco autem parallelo auctor Paralipomenon filios Davidis fuisse « primos ad manum regis » (הָרִאשֹׁנִים לְיַד הַמֶּלֶךְ) docet, atque in loco obiecto Alex. iam vertit αὐλάρχας, Syr. רורבין, Chald. רברבין (*proceres*); quam versionem esse praeferendam neque de sacerdotibus, sed de primis regis ministris agi, hodie a plerisque conceditur [12].

A non paucis ea, quae in primi regis institutione acciderunt, urgentur, ut Deuteronomii legem de futuro rege creando non esse mosaicae originis ostendant [13]. Dum enim in Deuteronomio futura regis creatio velut res, ut ita dicam, naturalis praevidetur et praedicitur, Samuel seniores regem postulantes magni criminis arguit, atque Deus non tam Samuelem quam se ipsum hac postulatione a populo reiectum esse dicit [14]. Verum satis facile haec conciliantur, si recte explicantur. Ante omnia certum est, senioribus regem postulantibus legem deuteronomicam cognitam fuisse; iisdem enim verbis in sua petitione utuntur, quibus in lege ferenda usus erat Moyses. Nihilominus petitio Samueli displicuit propter ingratitudinem populi, qui ducem illum iam respuebat, cuius assiduam et fidelem curam per tot annos expertus erat; Deo autem desiderium populi displicuit maxime quidem quia ostendebat *magnum fiduciae defectum* in populo, ac si Deus, qui eousque per iudices immediate a se constitutos populum gubernarat, gubernationis non amplius esset capax; displicuit autem etiam, quia satis clarum erat rebellionis signum; etenim non eo, quo debuit modo, proponebatur petitio, i. e. nec per eos, quos Deus suos in populo gubernando vicarios constituerat et inter quos Samuel primum locum tenebat, neque debita cum modestia, sed cum procacitate quadam et contumacia, qua rem iam deciderant, antequam Deum de ea consuluerant. Hoc sensu recte *Calmetus*: « Totum populi crimen non illud utique fuit, quod regem postularent, sed quod cum tumultu postularent, quo tempore Deus iudicem illis dederat, cuius probitas ac iustitia spectata erat, cuius nec vitae meritum nec gubernandi scientiam ignorabant. Irrogata haec Samueli iniuria in Deum ipsum, qui illum elegerat et praefecerat populo, recidebat ». Longe autem a vero aberrant, qui ex eo, quod Samuel « legem regni promulgaverit et in libro scripserit et coram Domino reposuerit », statim concludunt, legem deuteronomicam de rege nondum fuisse scriptam. Lex enim deuteronomica omnino est alia, atque « lex regni » (מִשְׁפַּט הַמְּלֻכָה), quam Samuel scripsit, et toto coelo differt a lege vel « iure regis » (מִשְׁפַּט הַמֶּלֶךְ), quod Israelitis explicavit. Prima enim de regis futuri officiis nonnullis tractabat, altera mutua regis et populi iura continebat, tertia, qua Samuel populum a petitione absterrere voluit vel potius eos docere, quam stulta esset eorum petitio, iura a regibus gentium sibi arrogata complectebatur [15]. In neutro igitur casu Samuel ad legem deuteronomicam provocare potuit, nedum illam allegare debuerit.

Satis leves esse neque magni momenti omnes has obiectiones patet; gravius est, quod tota lex ritualis nec Iosuae nec Iudicum nec regum tempore ante Iosiam, immo ante exsilium, observata esse asseritur; quoniam vero haec est praecipua eorum obiectio, qui Deuteronomium tempori Iosiae aut « codicem sacerdotalem » Esdrae tempori adscribunt, eam postea examinabimus (43 sqq.).

9. 2 *Reg.* 13,13; cfr *Levit.* 18,9. 11; 20,17. Ceterum monet cum aliis *Sanctius* (i. h. l.) Thamarem fortasse simulate esse locutam, ut coniugii spe oblata stultum et impurum fratris conatum eluderet : « quia illa promissione sedari posse credidit iuvenilem ardorem, quum putaret fratrem in illa insania ne cogitare quidem posse, quid ratio, quid lex, aut etiam quid natura praescribat ». Iam idem insinuaverat *Fl. Ioseph.* Antiqu. VIII. 8,1 : « haec dixit (Thamar) volens impetum ardoris in praesenti effugere » Cfr *de Hummelauer* Comment. in libr. Sam. Parisiis 1886. p. 359.

10. *Iudic.* 14,1 sqq. cfr *Exod.* 34,16 etc. Ceterum connubia cum Philistaeis non videntur lege illa prohiberi; cfr *de Hummelauer* Comm. in Iudic. p. 258.

11. *Iudic.* 11,29 sqq. Cfr *Levit.* 18,21; *Deut.* 12,31. Patres plerique et interpretes votum Iephte de sacrificio humano interpretantur; Lyranus autem multique moderni rectius, ut videtur, tenent Iephten nihil aliud vovisse, nisi se primam personam sibi occurrentem speciali Dei servitio addicturum esse eumque, ut votum suum solveret, filiam suam dedisse, ut inter virgines, quae « ad ostium tabernaculi observabant » (i. e. Deo serviebant), in perpetua virginitate degeret. Quam sententiam egregie defendunt *Reinke* Beiträge I. p. 421-526; *Schoenen* Tübinger Quartalschr. 1869. p. 533-579; *Kaulen* Kirchenlexic. Ed. 2. VI. 1889. p. 1287 sqq. etc.; ex acatholicis *Hengstenberg* Authentie d. Pentat II. p. 127-148 etc. Oppositam tamen sententiam vindicare conatur *de Hummelauer* Comm. in Iudic. 1888. p. 219-227.

12. 2 *Reg.* 8,18; 1 *Paral.* 18,17. *Gesenius* Thesaur. p. 663 sq. dissertatione satis longa lectoribus suis persuadere conatur, « ubique in certa explorataque *sacerdotis* notione acquiescendum esse ». At paucis videtur rem persuasisse; recentissimae enim vocabulariorum hebraicorum editiones (*Gesenius* Handwörterbuch. Ed. 9. cur. *Mühlau* et *Volck*.. Leipzig 1883. p. 370 sq.; *Fürst* Handwörterbuch. Ed. 3. cur. *Ryssel*. p. 576) uti nostro, ita multis in locis nomini כֹּהֵן sensum regii *ministri* attribuunt. — Cfr *de Hummelauer* Comm. in Sam. p. 333 et *infra* n. 115,3.

13. Cfr *De Wette* Beiträge 1805. I. p. 152; *Vater* Commentar in den Pentat. 1805. III. p. 257; *Hartmann* Histor. krit. Untersuchungen, 1835. p. 714 sqq.; Bleek-Wellhausen Einleitung 1878. p. 43.

14. *Deut.* 17,14 sqq.; 1 *Sam.* 8,4 sqq. Cfr *Welte* Nachmosaisches p. 208 sqq.; *Hengstenberg* Authentie II. p. 246 sqq.

15. *Deut.* 17,16 sqq.; 1 *Sam.* 8,11; 10,25. Cfr *de Hummelauer* l. c. p. 98 sqq. — Alteram difficultatis, quae antiquissima est, solutionem innuit *S. August.* Quaest. in Heptat. V. 26 (M. 34,760). « Quaeri potest cur displicuerit populus Deo, quando regem desideravit (1 *Reg.* 8,7), quum hic (*Deut.* 17,14) inveniatur esse permissus. Sed magis hinc intelligendum est, merito non fuisse secundum voluntatem Dei, *quia fieri hoc non praecepit, sed desiderantibus permisit* ». Quae sententia a *Rhab. Mauro* (Enarr. super Deuter. II. 17. M. 108,903) et a *Walafr. Strab.* in Glossam ordin. (Deut. 17) recepta apud multos interpretes invenitur; cfr *Bonfrer.* in Deut. 17 : « Non *id vult Deus*, ut rex illis praeficiatur; satis enim liquet, id magnopere Deo displicuisse, quum petierunt sibi constitui regem. Si tamen id pertinacius petant ac desiderent Israelitae, *indicat Deus se permissurum* et postea permisit ». Solutio haec supponit

perfectae theocratiae regalem dignitatem non plane convenire; ac revera concedi forsitan possit perfectiorem esse theocratiam, si Deus semper per se et immediate vicarium suum constituat (Cfr *infra* 28).

22. — II. *Ad Pentateuchum ipsum iam accedamus, ut testimonia, quibus mosaico tempore se iuniorem prodat, examinemus.*

1. A limite autem monemur totam eius indolem evidens ferre testimonium contra mosaicam eius originem. Etenim historia integra et legislatio velut res priscae et perantiquae proponuntur atque de Moyse ita sermo fit, ut eum in antiquissimis temporibus diu antequam Pentateuchus scriptus sit, vixisse appareat[1]. Auctor autem in tota sua narratione, sive ad primitiva tempora, sive ad patriarcharum vitas, sive ad aetatem mosaicam animum advertas, poetam potius quam historiographum agere deprehenditur; ac profecto religioso-poetico-didacticum consilium (« einen religiös-poëtisch-didaktischen Plan ») prosequitur. Ipsa iam narrationis forma est poetica, quum perspicuitate iucundaque simplicitate (« Anschaulichkeit und Gemüthlichkeit ») non minus quam rhythmo quodam animum legentis delectet. Multo magis autem ex argumento elucet auctorem carmen epicum componere voluisse. Namque poetae epici miracula et miraculosa narrare, facta quae proponunt fictis vaticiniis accommodare, populi sui origines, fata, leges, institutiones exornare, ex antiquissimis temporibus derivare, ad deos deorumque interventionem reducere, locorum personarumque nomina ex factis quae narrant explicare solent. Atqui haec omnia in narratione pentateuchica obtinere neminem latet. Ergo Pentateuchus, quamvis fundamento vere historico non careat, rectissime appellatur « *theocraticum Israelitorum epos* »[2]. Altera autem ex parte lacunae adsunt eaeque magnae, quae soli auctoris ignorantiae debentur; ieiuna saepe est, brevis atque abrupta multis in locis narratio, aliis vero in pericopis diffusa est, languida, repetitionibus plena quum in rebus gestis tum in legibus relatis; ordo quoque naturalis et chronologicus haud raro laeditur. Quae omnia locum non haberent, si Moyses testis ocularis res sui temporis scripsisset[3]. Ergo Pentateuchi indoles integra eum mosaicae aetati attribui vetat.

Satis longa iam haec est obiectionum vel potius gratuitarum assertionum series; sed singulas examinemus.

1. *Hartmann* Histor. krit. Forschungen etc. p. 550 sq.; *Bertholdt* Einleitung III. p. 772; *Vaihinger* in Herzog P. R. E. Ed. 1. XI. p. 314; *De Wette Schrader* Einleitung p. 259 etc.

2. *De Wette* Beiträge II. p. 28 sq.; *De Wette Schrader* Einl. § 181 p. 260 sq., qui epicum hunc characterem maxime in documento elohistico (vel annalistico) deprehendere sibi videtur. — Alii saltem partem Pentateuchi pro epico peomate habent cum *Hupfeld* Quellen der Genesis p. 86 et *Ewald* Gesch. des Volkes Israel I. p. 52. — *Diestel* (Schenkel's Bibellexicon. Leipzig 1869. I. p. 609) « levem colorem epicum »

invenit : « So unpassend es ist, den Pentateuch ein Epos zu nennen, *so tragt doch offenbar die Gestaltung der patriarchalischen Sage einen leisen epischen Austrich* ».

3. *De Wette Schrader* Einleitung p. 256; *Bleek Wellhausen* Einleitung p. 45. 49 sqq.; *Strack* Einl. Ed. 4. 1896 p. 26. sq. n. 14 etc.

23. — a.) Ut historiam integram et legislationem ab auctore Pentateuchi velut res priscas et vetustissimas proponi demonstrarent, Hartmann, Bertholdt aliique non paucos textus allegarunt [1], at recentiores « critici », quum tota illa exemplorum farragine nihil effici viderent, ad quinque vel sex tantum capita provocant : *Num.* 15,22 sqq.; 28,6; *Deut.* 1; 2; 3; praesertim 3,4. 8. 15. 18. 29 [2]. Verum textus obiectos legenti sua sponte et luce clarius patebit, de praeteritis utique rebus ibi esse sermonem (nam historiographum non prophetam agit Moyses), at tempus *diu* praeteritum ne verbulo quidem indicari. Numquid tempus *diu* praeteritum forte designatur, si Moyses Israelitas alloquens dicit : « in eo tempore vasta*vimus* cunctas civitates » regis Og, « tu*limus* terram de manu duorum regum Amorrhaeorum », « Machiro *dedi* Galaad » etc. (*Deut.* 3,4. 5. 15)? Numquid Deus ultimo peregrinationis anno dicere non potuit : « Holocaustum iuge est, quod obtulistis in monte Sinai » (*Num.* 28,6 cfr *Exod.* 29,38-42)? Speciem quandam difficultatis forsitan habuerit *Num.* 15,22. 23 : « Si per ignorantiam praeterieritis quidquam eorum, quae locutus est Dominus ad Moysen et mandavit Dominus vobis per Moysen ***a die, qua mandavit Dominus et deinceps ad generationes vestras*** ». At haec quoque disparebit consideranti, verba ista a Domino proferri paenultimo peregrinationis anno, postquam iusto Dei iudicio prima generatio, quae Dominum in Sinai loquentem audierat, integra iam in deserto interierat. Sensus igitur verborum est, omnia divina mandata esse observanda, sive in Sinai patribus, sive novis crescentibus generationibus decursu peregrinationis diuturnae sint promulgata; quae paucis rectissime S. Hieronymus comprehendit : « quae Deus mandavit ad vos a die, qua coepit iubere et ultra ».

1. Eorum obiectiones optime refutatas habes a *Welte* Nachmosaisches im Pentateuch. p. 41 sqq.

2. *Vaihinger* l. c. p. 314; *De Wette Schrader* l. c. p. 259 : « Die Verfasser der mosaischen Bücher geben sich als spätere Schriftsteller durch den in späterer Zeit genommenen Standpunkt zu erkennen, und zwar insbesondere... 5) durch die Behandlung der mosaischen Geschichte, auch der letzten, als einer längst vergangenen : Deut. 1-3, besonders 3,4. 8. 15. 18. 29. Auch *Num.* 15,22 sq.; 28,6 verrath sich der spätere Standpunkt ».

b.) Quid autem de mira illa sententia dicemus, quae libros mosaicos inter poemata epica reiicit? Difficile est satyram non scribere. Illi igitur libri, qui per plus triginta saecula ab omnibus habiti sunt historici, quibus solis primitiva generis humani historia nobis innotuit, nunc iam poeticis sunt adnumerandi atque Homeri Virgiliique carminibus aequiparandi?

Ad narrationis pentateuchicae formam quod attinet, quid tandem poetici habet? Eius perspicuitatem, simplicitatem, iucunditatem profecto non negamus neque in dubium vocamus; at num haec libris poeticis ita sunt pro-

pria, ut libri historici illis careant necesse sit? Et ubinam invenitur rhythmus? Unica eius specimina nobis enumerantur *Gen.* 1; 23; *Exod.* 7-10; *Num.* 22-24[3]. Verumenimvero in relationibus de Sarae morte et sepultura (*Gen.* 23) et de plagis aegyptiacis (*Exod.* 7-10) ne teretes quidem aures rhythmum qualemcunque reperient, licet in priore narratione inusitatior quaedam et sollemnior, atque forte etiam antiquior, dictio sit agnoscenda. Balaami vaticinia (*Num.* 22-24) eodem modo, quo reliqua fere prophetarum opera, ad poeticum dicendi genus accedunt, sed narratio ipsa, cui vaticinia sunt inserta, non magis est rhythmica, quam alia quaecunque Pentateuchi pars. Solum igitur restat Geneseos exordium, in quo etiam recentiores nonnulli interpretes catholici hymnum poeticum, quam historicam relationem, videre maluerunt[4]. Sed immerito; rhythmus enim, si quis adest, ex argumenti sublimitate facile explicatur, nec mirarer, si quis in Evangelii quarti exordio rhythmum quendam detegeret. At demus, in novem istis capitibus speciem quandam rhythmi revera adesse, num ideo Pentateucho iam formam poeticam adscribere licet? Nec libri poetici, nec libri historici antiquorum Israelitarum nobis desunt; pentateuchicum igitur dicendi genus cum eorum stylo comparetur, nec ullus unquam, opinor, linguae hebraicae gnarus in suo iudicio haesitabit atque Pentateuchum, si formae eius exterioris sermonisque ratio consideretur, longissime a libris poeticis distare, omnino vero cum historicis consonare pronuntiabit[5]. Demum magnam, immo maiorem Pentateuchi partem legibus constare addamus; quis vero unquam aridum legum codicem carmen epicum sive theocraticum sive anthropocraticum dixit?

At argumentum Pentateuchi epicum est; miracula enim multa et miraculosa et vaticinia refert, et ubique Deum speciali cura populum suum educavisse et gubernasse docet. Revera si epicis poematis adnumeremus oportet cunctos libros, qui miracula et vaticinia continent atque divina providentia mundum regi et gubernari docent, neque illa, quae ordinarium cursum naturae superant, velut fabulas aut mythos tractant, argumentum Pentateuchi epicum est dicendum; at simul quoque Evangelia omnesque Novi et Veteris T. libros carminibus epicis aut didacticis accenseamus. Eiusmodi nugis immorari piget neque refutatione digniores esse arbitramur alias rationes ab adversariis allatas. Num enim prudens quisquam illa, quae in Pentateucho de origine populi israelitici eiusque legibus et institutis traduntur, cum iis componet, quae poetae ethnici de gentium suarum antiquitate fabulantur? Si comparationem quis institueret, in eius oculos sua sponte se ingereret maxima differentia: reliquorum enim populorum poetae et historici, qui de eorum originibus scripserunt, id unum egerunt, ut quantum fieri potuit maiores suos exaltarent illaque sola referrent, quae laude digna esse putabant; verum Pentateuchi auctor Dei quidem magnitudinem, liberalitatem, longanimitatem celebrat, populi autem israelitici ingratitudinem, inobedientiam, contumaciam atque ipsorum patriarcharum defectus et peccata et vitia ad vivum describit. Quid demum sibi vult illa etymologiarum accusatio? Tantum abest, ut unquam vel unam solam etymologiam in Pentateucho allatam rationalistae certis argumentis fictitiam esse demon-

straverint, ut coniecturas suas dumtaxat nobis obtrudant easque pro argumentis venditare conentur [6].

3. Cfr *De Wette Schrader* l. c. p. 211 : « Da jedoch in der ruhigen Bewegung der Rede eine Regel des Wohllauts und der Harmonie gar nicht unstatthaft ist, so zeigt sich in manchen historischen Stücken (z. B. Gen. 1; 23; Exod. 7-10; Num. 22-24) nicht nur ein gewisser Numerus, sondern auch ein Ansatz von rhythmischer und strophischer (!) Bewegung. Diese Prosa kann man die *epische*, die andere regellosere die *gemeine* nennen ».

4. *W. Clifford* ep. Clifton. in Dublin Review April. 1881. p. 321. Eruditissimus auctor, si asserit : « That which we call the first chapter of the Genesis (to which must be added the three first verses of the second) forms in realty no portion of that book. *It is a composition complete in itself, and as totally distinct from all that follows as the Epistle to the Romans is distinct from the Epistle to the Corinthians*, which is the next in order », procul dubio nec ad integri Pentateuchi nec ad Geneseos ordinem et dispositionem satis attendit. Primum enim istud caput velut fundamentum est, cui tota Geneseos compages superstruitur. Cfr *supra* 2 p. 8.

5. Cfr *Welte* Nachmosaisches im Pentateuch. p. 53 sqq.

6. Omnes Pentateuchi etymologias vindicare interpretis est; uno autem exemplo iuverit demonstrasse, nimis facile eas a modernis Pentateuchi adversariis reiici. Secundum *Gen.* 11,9 nomen Babylonis (בָּבֶל) a radice בָּלַל (*confundere*) derivatum est, « quia ibi *confusum* est labium universae terrae ». Derivationem hanc legibus linguarum semiticarum correspondere omnes fatentur (בָּבֶל = בַּלְבֵּל cfr *Ewald* Lehrgeb. der hebr. Sprache Ed. 8. 1878. p. 158. c. et p. 409; *Fürst* Lehrgebände der aram. Idiomen p. 167). Attamen quia in cuneiformibus inscriptionibus nomen ideographicis signis explicatur *Bab-ilu* i. e. *porta Dei* (cfr *Schrader* Keilinschriften und Altes Test. Ed. 2 Giessen 1883. p. 128) exclamant increduli : « L'étymologie qui explique Babel par *confusion* n'a pas de vàleur; il faut voir là une de ces interprétations forgées après coup, comme il y en a tant dans les écrits des anciens » (*Maury* in Revue des Deux-Mondes, 15 mars 1868). At conclusio latius patet. Chaldaeos idololatras nomen Babel interpretatos esse *portam Dei* non negamus; sed quomodo demonstratur Chaldaeorum interpretationem praeferendam esse mosaicae? Nemo hucusque id *demonstrare conatus est*, nedum demonstraverit; sed pro more rationalistae omnia, quaecunque ethnici protulerunt, sacrorum scriptorum assertis caeci praeferunt. Inquirendum tamen erat, annon *phoneticae* nominis scriptiones (*Ba-bi-lu* [*liv*, *lav*], *Ba-bi-i-lu*), praesertim quum *u* finale nomini non sit essentiale (cfr adiectivum *Babila-ai* babylonicus) et *i* sit producendum (Babil; cfr *Schrader* l. c.), *ilu* (deus) autem *i* breve habeat, Moysis potius quam Chaldaeorum etymologiae faverent. Qui ergo *priorem* reiicere voluerit, *demonstret* oportet, *alteram solam posse admitti*. Quod *Balbel* decursu temporis pronuntiatum sit *Babel*, id mirum non est; mirum autem esset, si iuniores Hebraei, qui *Babilu* audierunt, nomen ad radicem *Balal* retulissent. Cfr *Vigouroux*. La Bible et les découvertes I. 312 sqq.; *Kaulen* Kirchenlex. I. 1886. p. 1736; minus, opinor, accurate *de Hummelauer* Comm. in Genes. 1895. p. 337 sq.

c.) At lacunae adsunt, quae auctoris ignorantiae debentur; neque testis ocularis multa facta tam ieiuno modo narrasset nec alia tam diffuse et languide proposuisset, nec tot esset usus repetitionibus nec tam graviter in ordinem chronologicum et naturalem rerum peccasset. — Non tantum *quid* scribere debuerint, sed etiam *quomodo* scribere debuerint auctores sacri,

non pauci moderni interpretes a priore quasi e cathedra definiunt, et quidquid praeconceptis eorum ideis ad amussim non consentit, velut spurium reiiciunt auctoribusque abiudicant. Num forte auctoribus sacris illa omittere non licuit et silentio praeterire, quae ad suum finem non inservire arbitrabantur? Num illa, quae magis inculcare voluerunt, repetere eis non licuit? Sed aliqua exempla videamus, quibus querelae illae innituntur; repetitiones autem hoc loco praetermittimus, quoniam in sequente paragrapho aptior de eis erit dicendi locus; unum enim ex gravioribus argumentis constituunt, quibus unitas Pentateuchi impugnatur.

Duae praecipue vituperantur lacunae, quod nimirum quadringentorum annorum, quos Israel in Aegypto peregit, historia sit omissa atque triginta septem anni intermedii peregrinationis in deserto solis quinque capitibus absolvantur[7]. Attamen nihil obstat, quominus Moysen de diuturna commoratione aegyptiaca quidquam certi, quod ad suum finem faciebat, compertum habuisse negemus, ita ut eius silentium nobis argumento sit, cum historiographum fide dignum esse. Procul enim dubio iuniores « auctores Pentateuchi », qui iuxta « criticorum » hypothesin res in Genesi relatas aut ipsi finxerunt aut ex incertis plebis fabulis hauserunt, sine ullo scrupulo eadem fere ratione, qua apocryphorum fictores[8], narratiunculis fabellisque tempus illud exornassent. Neque ullam quoque difficultatem altera lacuna creat consideranti, Moysen nihil nisi foederis Dei cum filiis Israel initi historiam scribere voluisse, in qua generatio ob continuas suas rebelliones a Deo reiecta locum non amplius habuit; quapropter ex triginta septem illis annis ea sola sunt conscripta, quae ad salutis oeconomiam spectabant. Plane ridiculum autem *Strack* (l. c.) se praebet, si Moysen accuratiora de sua ipsius familia non retulisse aut nomina quum filiae Pharaonis, a qua salvatus est, tum duorum Pharaonum, quorum unus populum oppressit, alter eius exitum impedivit (ob ignorantiam?), reticuisse conqueritur. Num nostrum est auctori praescribere, quid referre aut praetermittere debuerit?

Ieiunae abruptaeque narrationis exempla haec afferuntur : *Exod.* 15,25; 17,8-16; 33,7-11. *Num.* 7,89; 21,33[9]. Primo loco Moyses aquam amaram ligno quodam immisso in dulcem mutasse narratur, in altero victoria ab Israelitis Moyse orante de Amalecitis reportata etc. Quid illis in narrationibus desit, ut ieiunae et abruptae vocari mereantur nec ab teste oculari scribi potuerint, difficile est dictu. Alia quidem miracula nonnulla Moysen fusius descripsisse non ignoramus, at scimus etiam propter longiores istas accuratioresque narrationes eum « poetam epicum » a nostris adversariis esse vocatum; neque dubitamus, quin eandem incusationem incurrisset, si ex. gr. nobis narrasset, cuiusnam speciei fuerit lignum in aquam amaram immissum, quod eius nomen, ubinam inventum, quantum necessarium, ut miraculum produceretur etc.

Restat ordinis chronologici et naturalis violati obiectio, quae his exemplis stabilitur : *Exod.* 6,14-27; 18; 25-31 et 36 sqq.; *Levit.* 24,5-9; *Num.* 1,1 et 9,1[10]. Scilicet *Exod.* 6,14 sqq. Moysis et Aaronis genealogia exhibetur, postquam antea iam multa de iis narrata sunt, atque praeterea eo in loco etiam filii Ruben et Simeonis nominantur, quamvis ad Moysis genealogiam

nulla ratione pertineant. Cur autem isto in loco Moyses suam fratrisque genealogiam attulerit, satis facile explicatur. Etenim immediate postea Moyses et Aaron coram Pharaone velut Dei legati libertatem populi postulasse narrantur; aptissime igitur genealogia eorum ibi traditur, ubi tamquam personae publicae agere inceperunt. Num forte Lucam quoque ordinem naturalem et chronologicum violasse dicemus, quia Domini N. genealogiam post eius baptismum attulit? — Sed quid sibi volunt Ruben et Simeon cum filiis suis in illa genealogia? Ruben erat Iacobi primogenitus, Simeon secundogenitus, tertiogenitus Levi, cuius filius Caath, a quo descendebant Moyses et Aaron, etiam erat secundogenitus. Quae omnia nomina ex ordine referens Moyses clare docet, se non iure quodam humano constitutum esse ducem populi Israel, sed libera Dei gratia ad hoc munus electum, atque Aaronem quoque, cuius posteri dignitatem sacerdotalem haereditariam habebant, non primogeniturae aut quocunque alio humano iure privilegium istud obtinuisse. Nihil igitur neque in genealogia ipsa nec in loco, quem occupat, invenitur, quod reprehensione sit dignum.

Quia Iethro ad Moysen venisse dicitur in desertum, « ubi castrametatus est Israel *iuxta montem Dei* », ibique panem comedisse cum senioribus « *coram Deo* », et Moysi consilium dedisse, ut res populi « *ad Deum* » referret (*Exod.* 18,5 .12. 19), concludunt adversarii Iethronem ad Moysen venisse, postquam Lex in Sinai iam data et tabernaculum foederis exstructum erat, ac proin ordinem chronologicum esse violatum. — Respondemus a.) « *montem Dei* » non esse Sinai, sed Horeb[11]; b.) « *panem comedere coram Deo* » idem esse atque epulas sacrificales celebrare, id quod ante tabernaculi exstructionem fieri potuit et factum est; c.) populi res « *ad Deum* » esse relatas diu antequam Lex in monte Sinai est data.

Exod. 25-31 et 36 sqq. recto ordine disposita esse negantur ob duplicem rationem. Praeprimis enim monemur, inter praeceptum de tabernaculo exstruendo datum (*Exod.* 25 sqq.) interque eius plenam exsecutionem (*Exod.* 40) novem tantum interiacere menses, qui tot magnificis rebus parandis sufficere non videantur. — Quae ratio non tantum parum recte hoc in loco affertur, quia, si vera esset, ordinem narrationis esse turbatum non demonstraret, sed plane quoque arbitraria est. Quo enim fundamento nixi adversarii asserunt, integrum populum novem mensibus paucas istas res parare non potuisse? — Deinde edocemur, tabernaculum foederis iam *Exod.* 33,1-7 terminatum supponi. — At errant eruditi nostri adversarii non advertentes, tabernaculum, de quo *Exod.* 33 agitur, esse Moysis ipsius tentorium extra castra erectum, quod, quia columna nubis super illud requievit (33,9) et quia Deus in illo cum Moyse conveniebat (נוֹעַד) et loquebatur (33,11), *tabernaculum conventus* (אֹהֶל מוֹעֵד) vel *foederis* appellabatur, usque dum tabernaculo sancto terminato columna nubis a Moysis tentorio recedens novum sanctuarium implevit illudque tabernaculum conventus vel foederis fecit (40,34).

Illa, quae *Levit.* 24,5 sqq. praecipiuntur, iam *Exod.* 25,30 praecipienda fuisse adversarii asserunt. — At *Exod.* 25,30 de exstruendo tabernaculo agitur

parandisque vasis sacris, inter quae etiam erat mensa propositionis; ante terminatum vero tabernaculum opus non erat, ut de modo praeparandorum panum propositionis lex daretur; datur autem et scribitur tabernaculo terminato (*Lev.* 24,5 sqq.). — Ad *Num.* 1,1 et 7,1 demum quod attinet, ordinis chronologici inversionem revera habemus, quam auctor ipse mensibus nominatis indicat (*Num.* 7,1; cfr *Exod.* 40,17 et *Num.* 9,1); sed cur, quaeso, Moysi hoc in loco ordinem invertere non licuit, alteri autem auctori vel compilatori licuisset. Compilator, opinor, quum tempus tam accurate indicatum haberet, ab inversione illa abstinuisset; ceterum probabilem ordinis inversi rationem supra (p. 15, n.) indicavimus.

7. *De Wette-Schrader* l. c. p. 256 : « Man bemerkt manche (!?) bedeutende Lücken, die man nicht alle der Nachlässigkeit des Erzählers, sondern eher dem Mangel an Nachrichten zuzuschreiben hat ». *Duas* tantum lacunas ex *multis* (manche) illis nominat; alias autem postea invenit *Strack* (Einl. 1895. p. 26).

8. Cfr ex. gr. Testamenta duodecim patriarcharum (*Fabric.* Codex pseudepigr. V. T. I. p. 496 sqq.), librum Megmon, qui matri Moysis inscribitur (l. c. II. p. 118), historiam Asseneth filiae Putiphar (l. c. II. 85 sqq.).

9. *De Wette Schrader* l. c. p. 257 : « Auch ist die Erzählung zuweilen auffallend kurz, unzusammenhangend und trocken (*Exod.* 15,25...), was ebenfalls auf diese Ursache (ignorantiam sc. scriptoris) schliessen lässt ».

10. *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 49 sq. « Ein anderer Grund dafür, dass der Pentateuch nicht in der Gestalt, worin er uns vorliegt, von Moses verfasst sei, liegt in der unnatürlichen Stellung so mancher einzelnen Abschnitte dieses Werkes. Der Art ist z. B. die Stellung der Genealogie des Moses und Aaron Exod. 6,14-27... Besonders spricht gegen den Moses als Verfasser des Pentateuchs, dass manche Abschnitte darin unverkennbar eine andere Stelle einnehmen, als der wirklichen Folge angemessen ist », et afferuntur textus supra enumerati.

11. Cfr Exod. 3,1. — De nominis *Horeb* significatione interpretes non consentiunt. In Deuteronomio quidem et in iunioribus libris ita adhibetur, ut idem, quod mons *Sinai*, designare videatur. At secundum alios proprie designavit totum illud montanum, cuius Sinai fuit praecipuum et altissimum cacumen; secundum alios pars septemtrionalis totius montani vocabatur *Horeb*, pars meridionalis *Sinai*. Secundum *Exod.* 17,6 filii Israel iam advenerant ad montem *Horeb*, sed proxima eorum statio fuit *desertum Sinai* (*Exod.* 19,2). Priorem autem sententiam praeferendam ducimus, quia facilius explicat, quomodo factum sit, ut postea nomina *Horeb* et *Sinai* promiscue adhibeantur.

Sed quid plura? Omnes et singulos textus a variis rationalistis in medium allatos diligenti examini subiicere nec vacat nec iuvat. Profecto enim si tot lacunae adessent, tot repetitiones, tot ieiunae et abruptae narrationes, tot diffusae et languidae descriptiones, tot ordinis inversiones, quot invenisse sibi videntur adversarii nostri, nihil aliud sequeretur, nisi Moysen in scribendis libris parum fuisse versatum et exercitatum eumque, antequam operi suo exarando manum admoveret, per aliquot annos scholas rationalisticas frequentare debuisse, ut quid et quomodo scriberet in illis disceret. At, opinor, ne tum quidem iis

satisfecisset. Omnia et singula enim, quae in Pentateucho leguntur, eis argumento sunt, a teste oculari illum non esse conscriptum : si res quaedam fuse et accurate describitur, verisimile non est, testem ocularem rem tam fuse narrasse; si paucis verbis indicatur potius quam narratur omissis iis, quae minoris erant momenti, testis ocularis ista omittere non potuit; si certi determinatique numeri afferuntur, auctor praeconceptum aliquod systema stabilire voluit aut numeris symbolicis lusit ideoque fidem non meretur; si numeri silentio premuntur, auctor eos ignoravit ac proinde testis ocularis non fuit; si Moysis et Aaronis genealogia traditur, ea inutilis declaratur nec apto in loco inserta, ideoque a Moyse scripta non est; si Iethronis genealogia praetermittitur, auctor eam ignoravit, Iethronis igitur socer non fuit. Merito *P. Knabenbauer*, qui hanc rationalisticam argumentandi rationem egregie carpit[12], interrogat : « Quomodo tandem et quid scribere debuit Moyses, ut his criticis satisfaceret? » Atque optime respondet : « Ut illis satisfaceret a scribendo prorsus abstinere debuit ».

12. *Knabenbauer* Würdigung der neuern Einwürfe gegen die Echtheit des Pentateuchs (Stimmen aus M. Laach. 1874. V. p. 53-58).

24. — 2. Quam debilia essent argumenta ex tota Pentateuchi indole desumta, vel ipsi rationalistae perspexerunt; quapropter ut ea consolidarent, *ad voces nonnullas notasque historicas, archaeologicas, geographicas* confugerunt, quibus auctorem mosaica aetate iuniorem esse demonstrarent. Quas tantum non omnes sine ullo negotio cum mosaica Pentateuchi origine conciliaremus, si eas cum *Tostato, Masio, Pererio, Cornelio a Lap.* aliisque non paucis interpretibus catholicis glossas esse diceremus sive ab Esdra vel altero scriptore inspirato, sive a sciolo librario libris mosaicis insertas[1]. Eiusmodi glossas vel interpretamenta variis in locis inveniri earumque admissione difficultates haud raro facilius removeri nos quoque fatemur; verum ad rationalistarum obiectiones contra mosaicam Pentateuchi originem removendas eis vix unquam indigemus, siquidem fere omnes genuina verborum interpretatione plerumque sufficienter solvuntur. Plurimas olim phrases dictionesque primi rationalistae congesserant[2], verum recentiores, quoniam tota illa farragine nihil effici viderunt, plerasque hodie praetermittunt. Quapropter hoc in loco illas solas difficultates paucis proponemus et expediemus, quas in suis Introductionibus antesignani « criticorum », de *Wette Schrader* (1869) et *Bleek Wellhausen* (1878), repetendas duxerunt; eas enim etiam recentissimi, *Koenig* (1893), *Strack* (1895), *Cornill* (1896), fere solas afferunt vix quidquam novi addentes. Multae ex eis iam a *Goldhagen* saec. 18. aliisque antiquioribus cath. interpretibus bene sunt refutatae[3], ita ut eorum responsa adscripsisse interdum sufficiat.

1. *Tostat.* in Deuter. 3. Dissert. 3. Venetiis 1728. VII. p. 23; *Masii* Comm. in Ios. Praef. (Migne Curs. S. S. VII. 853); *Corn. a Lap.* in Pentat. Argum.; *Pererii* Comm. in Genes. p. 3 etc. (cfr *supra* 12. *n.* 5 p. 35).

2. Cunetas refutaverunt *Welte* Nachmosaisches in Pentateuch. p. 162-230 et Vorgebliche Verstösse gegen die hist. Wahrheit im Pentat. (Tüb. Quartalschr. 1851. p. 579-610); *Smith* The Pentateuch p. 380 (praesertim contra Davidson et Colenso); *Hengstenberg* Authentie des Pentateuchs. II. p. 179 sqq. etc.

3. *Goldhagen* Introductio in S. Script. Moguntiae 1766. II. p. 49 sqq.; cfr *Bonfrerii*, *Pererii*, *Corn. a Lapide* commentarios passim.

a.) Primam difficultatem inveniunt in *formula « usque ad hunc diem »*, quae, quum satis frequens sit in Pentateucho, diu postquam res narratae acciderunt auctorem eius vixisse, satis clare doceat. De Wette-Schrader haec exempla enumerat : Gen. 19,38; 26,33; 32,32; 35.20; 47,26; *Deut.* 2,22; 3,14; 10.8; 29,3; 34,6; ex quibus omnibus Bleek-Wellhausen solum *Deut.* 3,14 retinet [4]; idque iure merito, quum reliqua ne speciem quidem difficultatis creent. Illa enim, quae in *Genesi* et *Deut.* 2.22 commemorantur, multis ante Moysen saeculis acciderunt; in *Deut.* 10,8 et 29.3 autem Moyses de rebus loquitur, quae primo aut secundo peregrinationis anno initium sumserunt; *Deut.* 34,6 demum, ubi de Moysis morte sermo est, a Iosue vel altero iuniore scriptore additum esse omnes concedunt. — Sed quid de *Deut.* 3,14 dicemus? Sermo ibi est de civitatibus regionis Argob in Basan, quas paucis mensibus ante Moysis mortem Iair, vir ex tribu Manasse, occupaverat et secundum nomen suum *Basan Havoth Iair* nominaverat; iam vero quomodo Moyses in ultimis suis concionibus hoc nomen paucis mensibus antea datum « *usque ad hodiernam diem* » perseverasse dixit? Plerique cum Goldhagen respondent : « ex parallelis locis efficitur, eiusmodi formulam, quae reipsa saepe idem significat ac *ab illo tempore*, usurpari ab Hebraeis, quoties aliquod tempus sive longum sive breve inter rem coeptam et narrationem intercedit. In V. T. Anna 1 *Reg.* 1,16 utitur phrasi illa (rectius : simili; sc. עד־הנה « usque in praesens ») de tempore quo oraverat, et Moyses ipse eandem (similem, sc. עד־כה usque nunc *Exod.* 7, 16) adhibet de spatio inter primum suum et tertium cum Pharaone congressum, quod certe minus fuerit, quam quod inter occupationem urbium, quae vocatae sunt Havoth Iair et orationem Moysis ad populum intercessit » [5]. Quae verissime sunt dicta, siquidem *longum* tempus ista formula non semper exprimi luculentis exemplis constat [6]. At alteram explicationem apte addemus. Civitates illae, quas Iair occupavit in Basan, sexaginta numero, « erant munitae muris altissimis portisque et vectibus » (*Deut.* 3,4. 5; 3 *Reg.* 4,13), quapropter nomen *Havoth Iair* per se parum aptum erat; Havoth (חַוֹּת a rad. חוה in gyrum se flexit) enim *pagos* designat vel *viculos* paucis tabernaculis compositos, quales nomades inhabitare solent. Per ridiculum igitur, ut hostibus devictis illuderet, Iair fortissimus bellator, quum civitates illas munitas cepisset, « viculos suos » vel « tabernacula sua » illas videtur nominasse. Quod autem talis appellatio per iocum imposita in communem usum abierit, id utique aliquid miri habet atque insoliti; quocirca paucis iam mensi-

bus postea cum aliqua admiratione dicere Moyses potuit : « vocavitque eam (regionem) ex nomine suo Basan Havoth Iair (i. e. Basan viculorum Iair) usque in praesentem diem »; revera post Moysen nomen illud disparuit; nam Havoth Iair, de quibus in iunioribus libris sermo est, non in Basan sed in Galaad erant sitae [7].

4. *De Wette Schrader* l. c. p. 259; *Bleek Wellhausen* l. c. p. 41.

5. *Goldhagen* l. c. p. 52; *Welte* Nachmosaisches p. 183 sq.; *Smith* The Pentateuch p. 416 sqq.; *Hengstenberg* Authentie II. p. 324 sqq. et reliqui.

6. 1 *Reg.* 29,8 David formula hac utitur de tempore commorationis suae apud regem Achis, quod ex 27,7 quatuor dumtaxat mensium (*Alex.* et *Vulg.*) vel anni et quatuor mensium (*Hebr.*) fuisse constat. Cfr etiam *Ios.* 22,3; *Num.* 22,30. Ceterum עַד־עַתָּה, עַד־הֵנָּה, עַד־כֹּה, עַד־הַיּוֹם הַזֶּה synonymae sunt nec de initio temporis, quod adhuc durat, quidquam indicant.

7. Civitatibus regionis Argob vel Basan nomen *Havoth Iair* non attribuitur, nisi nostro loco (Deut. 3,14) et a Iosue (*Ios.* 13,30), qui distributionem terrae transiordanicae a Moyse factam in memoriam revocat. Plerique interpretes quidem has Havoth Iair et illas, de quibus *Num.* 32,51, *Iudic.* 10,4, 3 *Reg.* 4,13, 1 *Paralip.* 2,23 sermo est, easdem fuisse opinantur, sed parum recte (cfr *Smith* The Pentateuch p. 419 sqq.) Nam a.) 3 *Reg.* 4,13 Havoth Iair ab Argob vel Basan aperte discernuntur : Bengaber « habebat Havoth Iair filii Manasse *in Galaad*, habebat (quoque) *regionem Argob in Basan*, sexaginta civitates magnas atque muratas, quae habebant seras aereas »; b.) *Num.* 32,41 Havoth Iair dicuntur sitae in Galaad : « Dedit ergo Moyses terram *Galaad* Machiro filio Manasse; Iair autem filius Manasse abiit et occupavit vicos eius, quos appellavit Havoth Iair ». Eaedem iterum commemorantur *Iudic* 10,4 : Tholae « successit Iair Galaadites, qui iudicavit Israelem per viginti duos annos, habens triginta filios... principes triginta civitatum, quae sunt appellatae Havoth Iair usque in praesentem diem *in terra Galaad* ». Demum 1 *Paral.* 2,22. 23. quamvis textus videatur esse corruptus, distinguuntur « viginti tres civitates in terra Galaad » appellatae Havoth Iair, et aliae sexaginta civitates « Canath et viculi eius »; Canath autem est in Basan. Supponendum igitur est, Iairum *viginti tres civitates in Galaad* cepisse, quibus nomen Havoth Iair imposuit, quaeque nomen hoc etiam tempore Iudicum et Regum retinuerunt, quamvis eorum numerus tunc ad triginta excrevisset, cumque alias *sexaginta urbes munitas in Basan* cepisse, quibus nomen idem impositum est sed mox disparuit. Hac ratione omnia, quae de numero et situ « vicorum Iair » tradunt libri sacri, optime conciliantur.

25. — b.) Haud paucae adesse dicuntur *explicationes historicae et archaeologicae,* quae aetatem Moyse iuniorem prodant. De Wette Schrader enumerat *Gen.* 12,6; 13,7; 36,1. 31; *Exod.* 16,36; *Deut.* 3,5. 11; quibus Bleek Wellhausen addit *Exod.* 16,35; *Num.* 15,32; *Levit.* 18,28; *Deut.* 2,12; 33,1; 34 [1]. De singulis pauca; duas ultimas dumtaxat praetermittimus, quia non tantum *Deut.* 34 relationem de morte Moysis, sed etiam benedictionem Moysis (*Deut.* 33). immo ipsum canticum Moysis (*Deut.* 32) atque adeo ea, quae a *Deut.* 31,14 sequuntur, ab Iosue operi terminato addita esse censemus; qua nostra sententia mosaicam cantici et benedictionis originem non negari manifestum est [2].

Gen. 12,6 Abrahamo in Palaestinam veniente « Chananaeus *tunc* (אָז) in

terra Chanaan fuisse » dicitur, atqui Moysis tempore Chananaeus nondum erat ex Chanaan expulsus; ergo verba haec a Moyse scribi non potuerunt. Idem ex *Gen.* 13,7 concluditur, ubi ad rixam pastorum Abrahae et Lot explicandam additur: « eo autem tempore (אָז) Chananaeus et Pherezaeus habitabant in terra illa. » — Verum recte monuit iam Goldhagen « misera verborum argutiola in hac obiectione ludi »; ut enim difficultatem extorqueant, particulae אָז (*tunc*) sensum « tunc adhuc » attribuunt, ac si auctor dicere voluisset: « tunc utique aderant, sed nunc non amplius adsunt Chananaei ». Nonne eodem cum iure explicabimus: « tunc iam aderant, antea autem non adfuerunt »? Sed neutra explicatio contextui correspondet; Moyses enim nec praecedens nec consequens tempus respiciens nihil aliud voluit, nisi explicavit, quis Abrahami aetate status Palaestinae esset, ut rationem redderet, cur Abraham totam terram a Sichem usque ad Hebron peragrasset, antequam tentorium figeret, et cur Abraham et Lot « communiter habitare » non potuissent.

Gen. 36,1. 31 posteri Esau enumerantur regesque « qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israel ». Scriptoris igitur tempore filii Israel iam habuerunt regem, ac profecto tantus est numerus principum et regum Idumaeorum eo in loco enumeratorum, ut omnes ab Esau usque ad Moysis aetatem thronum occupare non potuerint. Id quoque accedit, quod ex 3 *Reg.* 11,14-22 quartus ex regibus enumeratis, Adad, tempore Salomonis vixisse videatur. — Ex Geneseos vero verbis non sequitur filios Israel eo tempore, quo haec scripta sunt, iam regem habuisse, dummodo verba, quae immediate praecedunt, considerentur. Paucis enim versibus antea (*Gen.* 35,11) Iacobo promittitur fore, ut ex eius lumbis reges progrediantur; ad quam promissionem alludens Moyses ea, quae de Idumaeorum regibus dicit, quodam modo in confirmationem promissionis Iacobo factae affert: si enim filii Esau, cui promissio facta non est, nihilominus iam tot reges habuerunt, multo magis sperare licet filiis Iacob, cui promissiones factae sunt, se reges esse habituros. Temporis autem spatium, quod ab Esau matrimonio usque ad Israelitarum in Palaestinam ingressum effluxit (sive ducentos quindecim, sive quadringentos triginta annos filios Israel in Aegypto degisse supposueris), plane sufficit, ut Edomitae octo iam reges habuerint; siquidem trecentorum saltem est aut quingentorum annorum. Neque quidquam in textu adest, quo admittere cogamur Idumaeos primum a phylarchis (principibus *Gen.* 36,15 sqq.), deinde ab octo regibus (36,31 sqq.), ac demum iterum a phylarchis (36,40 sqq.) gubernatos esse; e contra, quoniam ex regum enumeratione constat, eos non iure haereditatis sed populi vel optimatum electione ad thronum accessisse, phylarchae et reges eodem tempore Idumaeam rexisse sunt dicendi. Quod autem quartum regem Adad attinet, illum « ab adversario Salomonis, Adad Idumaeo de sanguine regio, qui erat in Edom » diversum esse, non est quod dicamus, quandoquidem ne regem quidem eum fuisse constet, quamvis de regio sanguine esset.

Exod. 16,36, postquam praecepta de manna colligendo sunt data, additur « *Gomor* autem decima pars est Ephi »; atqui cogitari nequit Moysen men-

suram aliquam toti suo populo notissimam accuratius definivisse et cum alia mensura comparasse; rectius igitur statuemus iuniorem scriptorem mensuram obsoletam explicasse. — Quae optime quidem essent dicta, dummodo simul demonstraretur, nomine *Gomor* mensuram quandam certam designari. Nam *Gomor* (עֹמֶר, quod confundendum non est cum *Chomer* חֹמֶר, quae utique mensurae est appellatio) parvum significat catinum vel poculum, « quale secum gestare solent Orientales per deserta iter facientes ad hauriendam, si quam rivus vel fons offerret, aquam... Hoc in poculo alia vasa non habentes etiam manna collegerunt Israelitae »[3]. Quid autem prohibuit, quominus Moyses vasculorum illorum, quae tunc temporis apud Israelitas in usu erant, magnitudinem indicaret, siquidem libros suos non solis coaevis suis destinavit, sed eos in testimonium continuum contra Israel esse voluit (*Deut.* 31,26)? Hoc enim addito omnes cognoverunt, quanta cum liberalitate Deus per quadraginta annos integro populo miraculosum cibum procurasset. Vocabulum *Gomor* (עֹמֶר) autem, quod in sola narratione de manna legitur[4], nullibi de certa mensura adhibetur, atque omnibus in locis, in quibus decima pars Ephi designanda est, semper aut עֲשִׂירִית הָאֵפָה (« *decima Ephi* ») vocatur aut עִשָּׂרוֹן (*decima*)[5]. Nonne mirum foret, si auctor circumlocutione usus esset, ubicunque certa illa mensura nominanda erat, in unico autem loco, in quo de mensura definita non agebatur, illius mensurae nomen proprium posuisset? Nonne aeque mirum, quod singulae familiae Israelitarum in deserto peregrinantes mensuram illam secum habuisse dicantur[6]?

Deut. 3,5 describuntur urbes regis Og in Basan, « munitae muris altissimis portisque et vectibus », ut ex earum firmitate et fortitudine clarius appareat, cum divino dumtaxat auxilio filios Israel eas potuisse expugnare. Quid in hoc versu aetatem Moyse iuniorem innuat, non videmus, nisi forte adversarii indicare velint, tot civitates munitas in parva regione exsistere non potuisse. At egregie eos falli ruinae civitatum illarum, fere dixerim ipsae civitates desertae quidem sed hodie adhuc cum munitionibus suis superstites testantur[7].

Neque quae difficultas in *Deut.* 3,9 lateat, satis apparet. Fines scilicet septemtrionales terrae transiordanicae iam occupatae sese extendisse dicit auctor usque ad « montem Hermon, quem Sidonii Sarion vocant et Amorrhaei Sanir ». Nomina enim illa tempore mosaico in usu fuisse, nemo adhuc negavit; Moysen illa scivisse, quis dubitat? Quo igitur cum iure iunioris scriptoris aetatem prodere dicuntur? Dixerint fortasse, Moysi non fuisse rationem, cur peregrina illa nomina adhiberet; num iuniori scriptori rationem, cur illa afferret, fuisse demonstratur? Ceterum ex illorum, qui regionem transiordanicam peragrarunt, relationibus satis constat, montis Hermon cacumini glacie contecto nomen *loricae* (quae est significatio vocabulorum *Sanir* et *Sarion*) quam optime convenire; cur igitur Moysi, quum in conspectu montis Hermon glacie contecti (concio enim habebatur mense Martio) populum alloqueretur, nominibus illis allatis ad similitudinem hanc alludere non licuit[8]?

Neque tertius ex eodem capite desumtus versus (*Deut.* 3, 11) ullam creat difficultatem. Regis Og, qui solus restiterat de stirpe gigantum, « monstratur lectus ferreus, qui est in Rabbath Ammon, novem cubitos habens longitudinis et quatuor latitudinis, ad mensuram cubiti virilis manus ». Quum Og paucis mensibus antea esset devictus, non intelligunt adversarii, quomodo Moyses de eius lecto velut de re antiqua visu digna sit locutus. Antiquitatis autem nulla fit mentio, sed ob suam magnitudinem lectus tamquam res visu digna proponitur. Triginta octo annis antea filii Israel, quum ab exploratoribus audissent, procerae staturae esse Chanaanitas et quaedam monstra filiorum Enac de genere giganteo terram inhabitare, quibus comparati ipsi quasi locustae viderentur (*Num.* 13,32. 33), animis deficientes terram promissam ingredi noluerant; quam apte igitur nunc Moyses eis in memoriam revocat, unius ex illis gigantibus, qui resistere ausus erat, nihil superesse nisi ingentem lectum, qui ipsis et futuris generationibus sit testaturus, soli Deo hanc victoriam deberi.

1. *De Wette Schrader* l. c. p. 259 sq.; *Bleek Wellhausen* l. c. p. 38-42.

2. Thalmudistae octo solos versus ab Iosue legi additos dixerunt (igitur *Deut.* 34, 5-12 : « Mortuus est ibi Moyses » etc.); plerique christiani interpretes integrum caput 34 a iuniore scriptore additum tenent; nonnulli additamentum inchoare putant inde a 32,48, alii a 31,30, aut a 31,24, aut a 31,14. Ultimam hanc sententiam probabiliorem censemus, quia Iosue ibi iam quodammodo in Moysis locum substituitur. Quod si quidquam ab altera manu Deuteronomio additum negent nonnulli adversarii, quia idem in ultimis, qui in prioribus, capitibus est stylus, respondemus longe maiorem trium ultimorum capitum partem (32,1-43 et 33,2-29) revera Moysen habere auctorem, reliqua autem tam pauca esse, ut de eorum stylo certum iudicium a prudente non feratur.

3. *Michaelis* Supplem. ad lexic. hebr. p. 1929.

4. *Exod.* 16,16. 18. 22. 32. 33. 36. Textus *Lev.* 23,10. 11. 12. 15. quos *Fürst* Concord. hebr. et chald. p. 844 sub eodem vocabulo annumerat, pertinent ad alterum עֹמֶר, quod ipse eadem pagina exhibet quodque *manipulum* (Vulg. Alex. δρᾶγμα) significat. Recte enim duo עֹמֶר distinguit, alterum a rad. עמר *connectere*, colligere (unde manipulus), alterum a rad. עָמַר, cuius significatio fuisse videtur *excavare* (unde vas vel poculum).

5. *Lev.* 5,11; 6,13; *Num.* 5,15; 28,5; *Exod.* 29,14; *Levit.* 14,10 et saepissime.

6. *Smith* l. c. p. 471 : « It would be a fact unique in the history of the world, that the statutory measure should have been in the hands of every single Hebrew family in the deserts of Arabia, at a time when their national organisation had not yet begun, and when their hurried flight from Egypt made them leave much behind ». Cfr *Hengstenberg* l. c. II. p. 213.

7. Cfr *Kiepert* Lehrbuch der alten Geographie. Berlin 1878. p. 181; *Porter* The giant cities of Bashan. London 1865. p. 13 : « Often, when reading the passage (*Deut.* 3), I used to think, that some strang statistical mystery hung over it; for how could a province measuring not more than thirty miles to twenty support such a number of fortified cities, especially when the greater part of it was a wilderness of rocks? But mysterious, incredible as this seemed, on the spot with my own eyes *I have seen* that is it literaly true. *The cities are there to this day* »; *Wetzstein* Hauran und die Trachonen. Berlin 1860.

8. *Porter* The giant cities of Bashan. p. 30 : « As I looked on that western barrier of Bashan, the first sunbeams touched the crest of Hermon; and as they touched it, its icy crown glistened like polished steel, reminding me how strikingly descriptive was the name given to that mountain by the Amorites : *Shenir* the *breast-plate* or *shield* ». Quibus verbis addit *Smith* l. c. p. 478 : « From the spot where Moses was speeking, Hermon was clearly visible in the north-west; and perhaps the very phenomenon, which gave rise to the Sidonian and Amorites names, may on that morning of early March have been conspicuous to all Israel, and called forth an appropiate notice. »

Bleek Weilhausen etiam in sequentibus iunioris temporis vestigium invenimt. *Exod.* 16,35 : « Filii Israel comederunt manna quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem; hoc cibo aliti sunt, usque quo tangerent fines terrae Chanaan »; quibus ex verbis deducunt, manna iam cessasse, quando haec scripta sunt; ex *Ios.* 5,12 autem manna non cessavit nisi post primum pascha in terra cisiordanica celebratum. — Verum « Moyses, inquit Goldhagen, vaga eiusmodi enuntiatione usus satis docet, talia se scripsisse, quando manna necdum defecerat. Poterat etiam, quod scripsit, sine prophetica facultate commemorare; revera enim iam per quadraginta annos, licet necdum finitos, Israelitae manna comederant. Insuper rem post obitum suum statim eventuram, optime sibi compertam, et hactenus ob deserti sterilitatem dilatam annon his verbis potuit indicare »[9]? Addamus nihil obstare, quominus aliquis, si voluerit, glossam a iuniore manu additam haec verba esse asserat.

Num. 15,32 « Factum est autem, quum essent filii Israel in solitudine » etc.; atqui per quadraginta continuos annos in deserto peregrinabantur; ad quid igitur haec loci determinatio, si Moyses omnia in deserto scripsit? — Neque tamen deest satis bona ratio, qua additum explicatur. Nam leges praecedentes de futuro tempore illo agunt, quo Israelitae terram promissam iam sint occupaturi (cfr 15,1. 17.), atque in ultima lege poena mortis in eum statuitur, « qui per superbiam (בְּיָד־רָמָה « manu elevata », i. e. palam et proterve) aliquid commiserit, sive civis sit ille sive peregrinus, quoniam adversus Dominum rebellis fuit. Atque in huius legis confirmationem refert Moyses, quod etiam iam « *in deserto* » Deus hominem aliquem (num Israelita an peregrinus fuerit, non indicatur) hac poena puniendum mandaverat, quia sabbatho ligna publice collegerat; venia tamen dignior videbatur, qui peregrinationis tempore hac ratione sabbathum violavit, quam qui civitatem suam quietus incolens eodem modo acturus esset.

Deut. 2,12. « In Seir autem prius habitaverunt Horraei, quibus expulsis atque deletis habitaverunt filii Esau, *sicut fecit Israel in terra possessionis suae*, quam dedit illi Dominus »; atqui ante Moysis mortem filii Israel nondum expulerant Chananaeos, nequedum terram possessionis suae occupaverant; quomodo igitur Moyses statum Idumaeorum quiete terram suam incolentium cum Israelitarum statu comparavit? — Respondet iam Goldhagen : « Etsi Israelitae nondum Iordanem eo tempore transierant, possessionem tamen iam ceperant duplicis regni cis Iordanem Amorrhaeis erepti, de quo

Moysis verba accipi possunt [10] ». Idem autem valet de textu, quem Davidson aliique ex *Levit.* 18,28 afferunt : « Cavete ergo, ne et vos similiter evomat, quum paria feceritis, *sicut evomuit gentem, quae fuit ante vos* » [11]. Nisi dicere malueris, id quod verius videtur, versionem vulgatae non satis esse accuratam. In toto enim capite de tempore futuro est sermo : 18,3 » iuxta morem regionis Chanaan, *ad quam ego introducturus sum vos*, non agetis »; 18,24 « nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatae sunt gentes, quas *ego eiiciam* ante conspectum vestrum »; ideo 18,28 etiam non praeteritum, sed futurum tempus exspectamus, ita ut praeterit. קָאָה latino futuro exacto sit reddendum [12].

9. *Goldhagen* Introd. II. p. 52.

10. *Goldhagen* l. c. p. 51.

11. *Davidson* Introd. I. p. 5; cfr *Smith* l. c. p. 410 sqq.

12. Ceterum קָאָה potest etiam explicari velut partic. femin. nec ulla remanet difficultas. Aliis tamen interpretibus catholicis praeplacet admittere glossam recentiorem.

26. — c.) Tertio loco *geographicas difficultates* examinemus. Atque α.) multis in locis nomina geographica adhiberi dicuntur, quae apud iuniores Hebraeos usitata tempore mosaico incognita fuerunt. Eiusmodi a De Wette Schrader et Bleek Wellhausen allegantur Hebron (*Gen.* 13,18; cfr *Ios.* 14,15; 15,13; 1 *Paral.* 2,42), Dan (*Gen.* 14,14; *Deut.* 34,1 ; cfr *Iudic.* 18,29), Bethel (*Gen.* 12,8; 28,19; 35,15; cfr *Ios.* 18,13); Havoth Iair (*Num.* 32,41; *Deut.* 3,14; cfr *Iudic.* 10,4) [1]. Quibus alii addunt : Bala, quae est Segor (*Gen.* 14,2. 8), fons Misphat, quae est Cades (*Gen.* 14,7), Ephrata, ipsa est Bethlehem (*Gen.* 35,19).

Hebron igitur nomen suum a Caleb accepisse censent, cui illa civitas a Moyse promissa et a Iosue attributa est, quique illam secundum nomen filii sui appellavit; prius enim *Kiriath Arba* nominabatur. — At alterum hoc nomen civitati fundatae primitus impositum non esse certo constat; etenim ex *Ios.* 14,15 (cfr 15,13; 21,11) illud ab Arba, Enacitarum patre, derivari scimus; Enacitae autem civitatem non fundarunt, sed Hethitis eripuerunt, qui Abrahae tempore ibi sedes suas habuerunt (*Gen.* 23,3. 20). Hebronis vero nomen, quo civitas ante Enacitarum occupationem appellabatur, nova ista appellatione non interiit; invenitur enim in templo Medinat Habu inscriptum a Ramses III [2], sub cuius regno Israelitae in deserto peregrinabantur; satis diu igitur antequam Caleb illam occupare potuit. Quapropter Caleb post devictos Enacitas civitati recuperatae pristinum nomen patriarchis usitatum restituisse est dicendus. Quam ob causam in hac quaestione 1 *Paral.* 2,42 allegetur, non facile apparet, etsi aliquis Hebron ibi inter filios Calebi cuiusdam enumeretur. Nam alter est Caleb, qui regionem Hebron expugnavit, alter ille, cuius posteri 1 *Paral.* 2 enumerantur; num forte Caleb, qui quadraginta annos natus ex Aegypto exiit (*Ios.* 14,7), exitus tempore *pronepotem* iam habuit, quem Deus in deserto ad tabernaculum foederis exstruendum elegit (1 *Paral.*, 2,18-20; *Exod.* 31,2)?

Dan quoque post Moysis aetatem, quum a Danitis occuparetur, nomen suum accepisse asseritur; antea enim Lais vel Leschem appellabatur (*Ios.* 19,47; *Iudic.* 18,29). — Duplici modo haec difficultas solvi solet. Alii enim in dubium vocant, num Dan illud, quo Abraham Chodorlahomor eiusque socios persecutus est (*Gen.* 14,14), sit idem illud, cui Danitae nomen patris sui imposuerunt (*Iud.* 18,29). Neque probabilitate caret haec difficultatis solutio. Quoniam enim Danitarum civitas in radicibus montis Hermon ad unum ex Iordani capitibus est sita, non satis explicatur, cur Chodorlahomor in Mesopotamiam reversurus per illud oppidum iter instituerit, nec quomodo ibi devictus Damascum versus fugam arripuerit. Verum probabilior est altera solutio, quae Danitas oppido pristinum quidem nomen restituisse sed alteram nomini significationem attribuisse censet. Nam prope civitatem Lais vel Leschem Pan, quem Phoenices Baal Iaan vel Dan Iaan (dominum vel iudicem tibicinem) appellabant, celeberrimum possedit fanum, a quo civitas quoque interdum Dan Iaan nominata est (2 *Reg.* 24,6)[3]. Quid igitur mirum, quod Danitae hoc solo nomine in memoriam patris sui civitatem occupatam nominaverint? Ceterum plerique omnes hodie concedunt, pericopen de quatuor regum expeditione Moyse non esse iuniorem sed antiquiorem et ab eo in opus suum transumtam [1]; ad summum ergo antiquiori nomini *Lais* utpote obsoleto, novum nomen usitatius a librario quodam substitutum esse concedendum est.

Bethel hoc nomine, antequam tabernaculum foederis eo sit translatum, negant esse appellatam; mosaico enim tempore eius nomen Luzam fuisse ex *Ios.* 18,3 et *Iudic.* 1,23 constare censent. Attamen *Ios.* 16,2 Bethel a Luza distinguitur: quare hac fere ratione varii textus de Bethel et Luza concilientur oportet. Iacob locum, in quo iam avus eius Abraham tentorium suum fixerat (*Gen.* 13,3) et ipse prophetico somnio futuram posterorum suorum gloriam praeviderat, Deo consecravit « appellavitque nomen urbis (vicinae) Bethel (i. e. domum Dei), quae prius Luza vocabatur » (*Gen.* 28,19), atque ex Mesopotamia redux nomen hoc sollemni modo renovavit (*Gen.* 35,1-7). Hinc a Iacobi posteris locus iste ob visionem celeberrimus aeque ac vicinum oppidum vocari solebant Bethel, dum indigenae antiquum oppidi sui nomen Luzam retinerent. Qua ratione factum est, ut Iosuae tempore oppidum utroque nomine appellaretur nec pristina appellatio interiret, nisi postquam Ephraimitae locum occuparunt (*Iudic.* 1,22 sqq.).

Havoth Iair difficultatem non creant, quia *Iudic.* 10,4 (in text. hebr.) non asseritur eas nomen ab iudice Iair traxisse; si vero assereretur (text. Vulg.), facillima est difficultatis solutio; vici enim illi non semper in Israelitarum potestate manserunt, recuperatis autem iudex Iair pristinum nomen restituit. De reliquis nominibus quidquam addere opus non est; eorum enim origo nobis prorsus est incognita. Illud vero solum iam cautos reddere debet adversarios nostros, ne nomina illa post mosaicam aetatem exorta asserant, quod pleraque in *Gen.* 14 occurrant et quidem relate ad illam regionem, quae Sodomae et Gomorrhae interitu funditus immutata est; regionis autem immutationem post se traxisse nominum mutationem, facile intelligitur.

1. *De Wette Schrader* l. c. p. 264; *Bleek Wellhausen* l. c. p. 40.

2. *Brugsch* Geographische Inschriften altaegyptischer Denkmaler. Leipzig 1858. II. p. 76.

3. Egregie *Smith* The Pentateuch p. 446-454 hanc sententiam explicat et demonstrat; cfr etiam *Fürst* Hebr. Handwörterbuch. Ed. 3. cur. Ryssel s. v. דָּן. S. Hieronymus 2 *Reg.* 24,6 nomen דָּן יַעַן vertit « *Dan sylvestria* », ac si scriptum esset דָּן יַעַר, at nulla est ratio lectionis hebraicae relinquendae.

4. Cum *Noeldeke* (Zur Kritik des A. T. 1869. p. 156 sqq.) paucisque aliis etiam *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. 65 sq.) pericopen hanc nihil esse declarat nisi iudaicum quendam Midrasch tempore exsilii in Babylonia ideo confictum, ut Abraham celebraretur. At egregio *de Hummelauer* (Comm. in Genes. 1895. p. 375) : « Perpenso pericopae stilo et collatis textibus cuneiformibus iam nemini sensato fas est infitiari, pericopen esse perantiquam et narrationem plane historicam ».

β.) Praeter ista nomina aliae nonnullae expressiones geographicae afferuntur, quae iuniorem Pentateuchi originem prodant.

Gen. 40,15 Ioseph se dicit sublatum « *de terra Hebraeorum* », iam vero nec Iosephi nec Moysis tempore nomen hoc in usu esse potuit, quum Palaestinam nondum occupassent Hebraei [5]. — Sed « iure Ioseph potuit regionem Chanaan dicere terram Hebraeorum sive Trans-Euphratensium, utpote qui iam satis numerosi sedem ibi fixerant et vicinis gentibus eo nomine noti fuerant » [6]. Quae verissime sunt dicta. Nomen enim Hebraeorum non tantum Moysis sed etiam Iosephi tempore antiquius est, siquidem Abraham iam vocatur Hebraeus (הָעִבְרִי Alex. ὁ περάτης *Gen.* 14,13), quia ex Mesopotamia Euphrate traiecto in Palaestinam immigraverat. Apud exteras gentes hoc nomine eius posteri appellabantur, et Moysis aetate nomen Hebraeorum penes Aegyptios fuisse usitatum, non solum ex *Exod.* 1,16; 2,6 etc. constat, sed etiam ex monumentis aegyptiacis tempore exitus Israelitarum exstructis, in quibus sub forma *Apuru* vel *Apuriu* invenitur [7]. Verum quidem est, terram Chanaan nec Iosephi nec Moysis tempore ab Hebraeis iure possessionis fuisse occupatam, at partem eius saltem Iosephi aetate frequentes incolebant. Abraham iam trecentos octodecim viros expeditos ad bellum ex vernaculis suis elegit, Iosephi igitur tempore tribus Hebraeorum multo erat numerosior nec Aegyptiis incognita. Aptissime igitur et Ioseph et Moyses verbis « terrae Hebraeorum » uti potuit; immo iunior scriptor procul dubio eum non adhibuisset, siquidem nusquam in toto V. T., nisi hoc solo in loco, Palaestina hoc nomine appellatur, sed semper « terra Chanaan », « terra Israel », « terra filiorum Israel » etc.

Gen. 12,18; *Exod.* 26,22 et saepissime in Pentateucho regio occidentalis vocabulo יָם (mare) designatur: רוּחַ יָם ventus maris i. e. ventus occidentalis (favonius), יָמָּה versus mare i. e. versus occidentem, מִיָּם ab occidente etc.; atqui haec denominatio scriptorem in Palaestina vixisse supponit [8]. Mira sane obiectio. Neque enim quisquam dubitat, quin denominatio haec exorta sit in terra, quae mare ab occidente habuit; sed num forte Moyses sibi ipse linguam novam creavit, an a maioribus acceptam adhibuit? Iam maiores

eius ipsi linguam suam pristinam aramaicam post ingressum in terram Chanaan cum lingua vicina Chanaanitarum permutaverant ab iisque etiam nomina regionum coeli acceperant.

Deut. 1,1 « Haec sunt verba, quae locutus est Moyses ad omnem Israel *trans Iordanem* » etc.; atqui Moyses ipse Iordanem non est transgressus atque conciones has habuit « in terra Moab », quae Israelitis quidem in occidentali plaga Iordanis degentibus trans Iordanem, Moysi autem cis Iordanem erat. Verba igitur haec a scriptore in occidentali ripa Iordanis habitante scripta sunt[9]. — Difficultas haec ab antiquioribus interpretibus iam pridem agitata, mirum est, quod semper recoquatur, quum admodum difficilis non sit eius solutio. Etenim eo tempore, quo patriarchae in Palaestina commorabantur, eam terrae partem, quae trans Iordanem versus Orientem patet, cum Chanaanitis עֵבֶר « trans Iordanem » vocare assuefiebant, unde Israelitis עֵבֶר erat regio « trans Iordanem » versus Orientem, sicut Romanis Gallia transalpina erat illa antiquae Galliae pars, quam Romae trans Alpes habebant. Quemadmodum igitur romanus scriptor, sive Romae sive Lugduni scripsit, terram illam Galliam transalpinam appellare potuit, ita Moyses, sive in orientali sive in occidentali ripa Iordanis scripsit, plagam orientalem appellare potuit עֵבֶר « regionem trans-iordanicam ». Nihilominus עֵבֶר nativam suam significationem non amisit; et sicut Romanus aliquis Lugduni scribens, si nulla timenda erat ambiguitas, etiam Galliam septemtrionalem « Galliam cisalpinam » vocare potuit, ita Moysi quoque, ubi ambiguitas deerat, occidentalem Iordanis plagam עֵבֶר « regionem transiordanicam » vocare licuit, id quod revera fecit *Deut.* 3,25. Ad vitandam autem ambiguitatem duplici hac vocis significatione satis obviam interdum coeli regio additur quum a Moyse ipso (*Deut.* 11,30) tum a iunioribus (*Ios.* 5,1; 12,7 etc.); utramque autem significationem in uno eodemque versu coniunctam videmus *Num.* 32,19. Rubenitae enim et Gaditae in orientali plaga Iordanis degentes Moysi dicunt: « nec quidquam quaeremus *trans Iordanem* (מֵעֵבֶר לַיַּרְדֵּן i. e. in occidentali plaga Iordanis), quia iam habemus nostram possessionem *trans Iordanem versus Orientem* » (מֵעֵבֶר יַרְדֵּן מִזְרָחָה). Recte igitur *Gesenius*: « manifestum est, עֵבֶר *ab uno eodemque scriptore de ulteriore et citeriore regione dici potuisse*. Similis ratio est locutionis עֵבֶר הַנָּהָר, quae non solum transeuphratensem regionem significat (*Ios.* 24,2. 3; 2 *Sam.* 10,16; 1 *Chron.* 19,16) sed etiam regionem ciseuphratensem (1 [3] *Reg.* 5,4 [4,24]; *Esdr.* 8,36; *Neh.* 2,7.9; 3,7), qui quidem linguae usus in exsilio ortus esse videtur[10] ».

5. *Bleek Wellhausen* l. c. p. 39; *Dillmann* (Genesis 1882. p. 389) quoque hac in expressione videt anachronismum.

6. *Goldhagen* Introductio II. p. 57.

7. De probabili origine nominis *Hebraeorum* cfr *Introd. gener.* 86. n. 5. (Ed. 2. p. 252) et de eius antiquitate *Smith* The Pentat. p. 398 sqq.

8. *De Wette Schrader* l. c. p. 259; simili modo *Dillmann* (Genesis p. 211): « Die Anwendung des Wortes *Negeb* (= siccitas, terra arida) für Süden ist rein *palästinensischer* Sprachgebrauch, wie *jam* für Westen ».

9. *De Wette Schrader* l. c.; *Bleek Wellhausen* l. c. p. 40 sqq. etc.

10. *Gesenius* Thesaurus ling. hebr. p. 986. — Controvertitur num עֵבֶר proxime significet *solam regionem ulteriorem* trans flumen vel mare etc. sitam, an *regionem sive citeriorem sive ulteriorem*. Quam controversiam, quum quaestioni solvendae parum inserviat, non ingredimur (priorem sententiam tenent *Hengstenberg* Authentie des Pentat. II. p. 313 sqq.; *Gesenius* in Thesaur. et Lex. hebr. germ. Ed. 9. 1883. p. 593; *Smith* The Pentat. p. 429; alteram *Reinke* Beiträge III. p. 329 sqq., *Welte* Nachmosaisches p. 178 sq.; *Fürst* Hebr. Lex. Ed. 3. 1876. II. p. 73 etc.); omnes enim in eo consentiunt, quod Moyses ripam orientalem nomine עֵבֶר designare potuerit, quia is usus loquendi iam in linguam hebraicam transierat, antequam Iacob cum filiis suis in Aegyptum immigravit. Atque ille quoque usus, quo עֵבֶר הַנָּהָר regionem occidentem versus ab Euphrate designavit, diu ante exsilium a Chaldaeis ad Hebraeos transire potuerat, inde enim ab Ezechiae aetate frequens erat Chaldaeorum et Hebraeorum commercium.

27. — d.) Vix opus est illam attingere difficultatem, quae *ex allegatione « libri bellorum Domini »* (*Num.* 21,14) desumitur; etenim quamvis eam exaggerare conetur Bleek-Wellhausen, nulla profecto est. « Probabiliter, inquit, libri istius argumentum victoriae erant a Iosue in expugnanda Palaestina reportatae. Etiamsi autem liber iste tempore mosaico exstitisset, non facile tamen concedi potest, Moysen aut scriptorem mosaicae aetatis librum istum eo modo adhibuisse, quo ibi adhibetur, sc. ut ex illo carmen desumeret mosaica aetate exortum. Quidquid igitur dicatur, citatio illa scriptorem prodit, qui diu post Moysen vivens israeliticam historiam ex traditionibus oralibus et scriptis libris composuit » [1]. Omittamus admirabilem illam logicam, qua ex incertis praemissis certa conclusio eruitur, atque interrogemus, quibus argumentis probabile reddatur, « librum bellorum Domini », qui *ex hoc solo textu* (*Num.* 21,14) nobis innotuit, de Iosue victoriis tractasse? Num ante Moysis mortem Israelitae contra Amalecitas (*Exod.* 17,16) et in expugnanda regione transiordanica non gesserant « bella Domini »? Num priores has victorias carminibus celebrare non licuerat? Num Moysi carmen recenter compositum ex libro recenter scripto allegare non licuit, quum tamen moderni nostri scriptores sexcenties idem faciant?

1. *Bleek Wellhausen* l. c. p. 43; *De Wette Schrader* l. c. p. 259 non tantum in allegatione « libri bellorum Domini », sed etiam in citato proverbio (*Num.* 21,27) invenit difficultatem; textus hebraicus ibi habet : « ideo dicunt poetae » (הַמֹּשְׁלִים cfr *Gesen.* Thes. p. 828; *Fürst* Lexic. p. 799); quaenam sit haec difficultas, ignoro.

28. — e.) Ultimo loco leges nonnullae illum rerum statum, qui post Moysis mortem et terrae promissae occupationem exortus sit, supponere dicuntur. Quod assertum, etsi sine ulla haesitatione concedi possit, quum integra fere legislatio futurum populi statum respiciat, brevi tamen indiget examine, ut quid valeant adversariorum argumenta clarius perspiciatur. Haec exempla a de Wette Schrader et Bleek Wellhausen afferuntur [1].

α.) Parum probabile censent Moysen *legem de futuro rege* tulisse (*Deut.*

17,14 sqq.). Quomodo enim quidquam de regiminis forma statuere potuit, quae cum theocratia ab ipso introducta pugnare videbatur quamque ipse introducere noluit? Ideo etiam populus, quum postea regem sibi postulasset, Dei iram provocavit (1 *Reg.* 8). — Legem obiectam cum iis, quae 1 *Reg.* 8, narrantur, non pugnare *supra* (21. 3 et n. 15) ostendimus; id igitur solum hoc loco quaeritur, Moysesne ipse legem hanc ferre potuerit? Et cur non potuit? Num forte ignoravit, Deum Abrahamo et Iacobo praedixisse, fore ut ex eorum lumbis reges progrederentur, atque tribui Iudae sceptrum promisisse[2]? Quae si non ignoravit, profecto de forma regiminis, quam vaticinia illa promiserant, legem ferre potuit. Quam parum autem cum theocratia a Moyse fundata pugnet regalis dignitas, ex Samuelis verbis elucet, qui populum quidem, quia indebito modo regem petierat, reprehendit, sed simul hoc peccato foedus divinum non esse irritatum docet : « Non derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum, quia iuravit Dominus facere vos sibi populum » (1 *Reg.* 12,20 sqq.). Atque iuniores prophetae, quos mosaicam legislationem continuo prae oculis habuisse et inculcasse certum est, cur populum nunquam vituperarunt, quod regem sibi dederat, si regia dignitas legislationi illi est contraria? Nonne ab ipso Paralipomenon auctore, quem integrum Pentateuchum cognovisse et agnovisse omnes concedunt adversarii nostri, pugnam inter theocratiam et inter regalem dignitatem non adesse diserte docetur, si reges theocraticos « *in throno regni Iahve super Israel* » sedisse asserit (1 *Paral.* 29,23; 28,5)? Revera Dominus Deus semper erat populi sui rex, cuius vices usque ad Samuelem iudices immediate a Deo constituti gerebant, et post Saulem et Davidem reges iure haereditatis a Deo constituti atque simul semper per prophetas edocti. Erroneam igitur theocratiae ideam sibi fingunt adversarii, ut mosaicam Legem impugnent.

β.) *Deut.* 19,14 : « Noli transferre terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra, quam acceperis possidendam »; atqui haec non sunt scripta, nisi postquam diuturnum iam tempus quieti Israelitae in terra promissa peregerant; ergo diu post Moysis aetatem. — E contrario haec scribi non potuerunt, nisi ante occupationem terrae, quamvis procul dubio *futuram* possessionem quietam et satis diuturnam supponant. Ut enim taceamus leges, quae praecedunt (cfr 19,1. 8) et quae sequuntur (19,17), terrae occupationem velut futuram respicere, in ipsa hac phrasi sola tempora futura adhibentur, nam etiam praeter. גָּבְלוּ omnino per futurum exact. est reddendum, atque accurata textus hebraici versio est haec : « Noli transferre proximi tui terminum, quem fixerint (fut. exact.) maiores, in possessione, quam *possidebis* (תִּנְחַל) in terra, quam Dominus Deus tuus *dabit* (נֹתֵן) tibi possidendam ».

γ.) *Leges* quoque *de bello gerendo* (*Deut.* 20) terram iam occupatam supponere dicuntur; quae enim 20,5. 6 leguntur, Israelitis antequam sedem fixam habuerunt praecipi non potuerunt. — Id quidem optime; sed neque ea, quae 20,16 sqq. leguntur, post occupatam terram praecipi potuerunt. Quapropter ut haec conciliemus, dicamus oportet leges has ante terrae occu-

pationem esse latas, Moysen autem, utpote legislatorem prudentem, omnia bella respexisse, quae sive in terra promissa expugnanda sive postea Israelitis erant gerenda.

δ.) *Exod.* 22,28. 29 Israelitae sacerdotibus vini et frugum primitias iam afferre supponuntur; etenim quamvis antea nihil omnino de primitiis offerendis sit praescriptum, hoc loco iam monentur, ne eas reddere tardent, atque diu postea modus, quo sint offerendae, explicatur. Item *Exod.* 23,10. 11. 16 leges de agris, vineis, olivetis colendis et de sollemnitate primitiarum celebranda traduntur; id quod sane mirum, quum per plus quadraginta annos agros non essent habituri. Immo *Exod.* 23,19 de « domo Dei » iam est sermo, cuius exstructio multo tardius praecipitur. — Sed quid? Num modernorum legislatorum instar Moyses scriberet necesse fuit: « *Art.* 1. Offer primitias tuas; *Art.* 2. Noli tardare in iis offerendis; *Art.* 3. De modo, quo offerendae sunt, postea statuetur »? Annon dicens : « Decimas tuas et primitias tuas *non tardabis reddere;* primogenitum filiorum tuorum dabis mihi, » etiam ipsam oblationem iniunxit? — Quod ad *Exod.* 23, 10 attinet, tria haec probe sunt consideranda : a.) Moysen eo tempore, quo leges istae sunt latae, sperasse fore, ut post paucos menses populus terram promissam ingrederetur; b.) etsi scivisset Israelitas non nisi post quadraginta annos terram esse ingressuros (id quod non ignoravit verus legislator, Deus), leges etiam ferri potuisse, sicut a nostris quoque legislatoribus haud raro leges ferri solent satis diu antequam exsecutioni sunt mandandae; c.) leges istas, quae proxime annum remissionis spectant, optime illo ipso in loco esse insertas, in quo de caritate erga proximum exercenda agitur. — Difficultatem demum in locutione « *domus Dei* » iam *Exod.* 23,19 adhibita nemo inveniet, qui animadverterit eo in loco (23,18. 19) explicari, quid in tribus festis immediate antea praescriptis (23,14-16) sit agendum, in quibus « omne masculinum coram Domino Deo » apparere debuit (23,17). « Domus Dei » igitur idem est, quod « coram Domino Deo », et Moyses, quoniam omnia simul eodem tempore tradere nequivit, accuratiorem huius « domus Dei » descriptionem in aliud tempus distulit.

ε.) *Levit.* 26, 3-45 Moysi exhortatio attribuitur, quae populum in Palaestina sedentem multoties iam idololatriae sese dedisse atque ob hoc peccatum multas iam poenas solvisse supponit. Certe 26,30 (« destruam excelsa vestra et simulacra confringam ») docet populum iam in excelsis sacrificasse, id quod ante regum aetatem factum non est; 26,34 et 43 insinuant annos remissionis non esse observatos etc. — At lege quaeso, pulcherrimam illam exhortationem incipiens a primo versu, et nihil invenies, quod Moyses scribere non potuerit, dummodo futura a Deo revelari posse concedas. Vividissimis enim coloribus poenae describuntur, quas populus, si praecepta duobus primis versibus expressa non observaverit, luiturus sit, atque inter illas ultimo loco exsilium et dispersio inter gentes proponuntur. Deus ipse est, qui ibi loquitur et futuram populi sortem describit : qui vaticinii possibilitatem negat, is utique haec post eventum esse scripta dicet; at iis, qui miracula et vaticinia non admittunt, libri sacri non sunt dati.

ζ.) Ultimum quoque Moysi canticum (*Deut.* 32,1 sqq.) abiudicatur, quo-

niam ex 32,12-14 appareat, populum eo tempore terram promissam quiete possedisse, et ex 32,15-18, eum iam idololatriae fuisse deditum. — Quae obiectio, quum eidem, cui praecedens, fundamento innitatur, eadem responsione refutatur. Prophetico spiritu Moyses in toto carmine futuram populi sui historiam describit; nec ulla est difficultas, nisi omnis prophetia negatur.

Atque haec hactenus! Quid adversariorum valeant argumenta, exempla ex eorum libris accurate allata docent; alii quidem alia afferunt, sed omnia eiusdem sunt generis : aut erroneae textuum interpretationi, aut gratuitis suppositionibus, aut praeconceptis erroribus philosophicis innituntur.

1. *Bleek Wellhausen* Einl. p. 43 sqq.; *De Wette Schrader* Einl. p. 298.
2. *Gen.* 17,6; 35,11; 49,10.

§ 5. — *De Pentateuchi unitate.*

29. — Argumentis, de quibus hucusque egimus, se rem suam non evicisse neque Pentateuchi antiquitatem destruxisse, « criticos » modernos non fugit; immo non desunt, qui omnes illos textus obiectos, quum satis facile ita explicentur, ut nullam prorsus relinquant difficultatem, non nisi secundo aut tertio loco confirmationis gratia esse afferendos censeant; unum enim se habere gloriantur argumentum, quo certam et plenam consequantur victoriam mosaicamque Pentateuchi originem funditus evertant. Ex variis enim fragmentis vel documentis eum esse compositum asserunt, quorum partes in iunioribus quoque Iosue, Iudicum, immo Samuelis et Regum libris deprehendantur; integrum igitur opus pentateuchicum, quod hodie exstat, satis recenti, ne dicamus recentissimo, tempori esse adscribendum, quoniam partes, ex quibus compositum sit, Moyse sint multo recentiores[1].

Si de sola Genesi ageretur atque Moyses ipse antiquiora fragmenta vel documenta collegisse et in unum opus secundum certum finem apte coniunxisse diceretur, opus vix esset hanc quaestionem attingere. Sua enim auctoritate liber historicus non privatur, si antiquis documentis nititur aut etiam antiquis documentis vix ac ne vix quidem mutatis compositus est. Id olim Astruc, primus documentorum inventor primique eius asseclae censuerunt censentque hodie quoque aliqui catholici, atque nos quoque aliqua documenta scripta a Moyse in suum opus transumta esse concedimus. Plane autem diversum est systema hodiernae « scholae criticae », quae non tantum in Genesi, sed in toto Pentateucho librisque Iosue, Iudicum, Samuel etc. varia documenta invenit Pentateuchumque compositum dicit documentis Moyse multo recentioribus. Itaque Pentateuchi antiquitatem et originem mosaicam tenere non possumus, nisi eius unitatem quoque a « criticorum » obiectionibus vindicemus.

Nemo autem exspectabit, nos argumentis positivis eam esse demonstraturos; namque a plus tribus millibus annorum omnes, quotquot divinam revelationem agnoverunt, Iudaei et Christiani, unitatem quoque operis mosaici semper agnoverunt : in possessione igitur sumus, atque adversariorum est titulos instrumentaque afferre, quibus iniustam esse nostram possessionem demonstrent. Si quis vero argumenta pertinaciter postulaverit, eum ad analysin supra (2-6) traditam reiiciemus, quae, quamvis brevis sit neque completa, unitatem illam, quam in opere historico et legali exspectamus, revera adesse satis superque demonstrat; monemus quoque, lingua sua Pentateuchum sese unius auctoris opus prodere et a reliquis V. T. libris distinguere (19, p. 66). Quid quod ipsi adversarii, quibuscum hodie res est agenda, unitatem quandam ultro concedant, quam eorum maiores reiecerunt? Obsoleta enim iam est eorum sententia, qui in Pentateucho nihil nisi fortuitam fragmentorum congeriem viderunt[2], atque omnes hodie « redactorem » statuunt, qui varia documenta ad certam unitatem redegerit et ad finem determinatum disposuerit, licet tam infelici manu, ut a sagacibus et perspicacibus « criticis » suturae hodie adhuc detegantur.

Itaque illud unum nobis est agendum, ut inquiramus, quo cum iure in Pentateucho varia documenta distinguantur et quid valeant characteres illi, quibus « critici » ea dignoscere velint. Supra (11) praecipuos iam enumeravimus; restat ut illos examini subiiciamus[3].

1. Cfr ex. gr. *Strack* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XI. p. 441 : « Gegen die mosaische Autorschaft sind vielerlei Gründe vorgebracht worden. Die meisten von ihnen können erst in zweiter oder dritter Reihe in Betracht kommen, da nicht zu leugnen ist, dass über sie, wenn jeder einzeln betrachtet wird, theils nach dem kritischen, theils nach dem theologischen Standpunkte, welchen der Beurtheiler einnimmt, sehr verschieden geurtheilt werden kann. Ein Grund aber ist, nach meiner Überzeugung, wenn man ihn genau ins Auge fasst, entscheidend. Von ihm aus wird die richtige Würdigung der andern ermöglicht oder doch erleichtert. Nicht nur der die vormosaische Zeit behandelnde Theil des Pentateuchs, sondern *der ganze Pentateuch ist aus verschiedenen* noch gegenwartig in zahlreichen Abschnitten deutlich erkennbaren *Schriften zusammengesetzt, von denen Theile sich auch im Buche Iosua nachweisen lassen.* Mit dieser Thatsache ist die Annahme, dass der ganze Pentateuch von Mose verfasst sei, schlechthin unverträglich ». Verum si *de Wette-Schrader* (l. c. p. 267) velut « reliquorum argumentorum sigillum » « *factum illud plane indubium* » (die über allen Zweifel erhabene Thatsache) affert, *quod documenta, ex quibus Pentateuchus coaluerit, in libris quoque Iudic. Sam. Reg. reperiantur, Strack* (Einl. Ed. 4. 1895. p. 41) contradicit suaque ex parte « factum illud plane indubium » « *non tantum non probatum sed ne probabile quidem* » (weder bewiesen noch auch wahrscheinlich) esse asserit.

2. Iure merito *Strack* (Herzog l. c. p. 443) ex totius Pentateuchi ordine demonstravit erroneam esse opinionem fragmentistarum A. Geddes, S. Vater etc.

3. De hac quaestione conferri merentur ex catholicis *Welte* Nachmosaisches im Pentat. p. 82 sqq.; *Knabenbauer* Der Pentat. u. die ungläubige Bibelkrit. (Stimm.

aus M. L. 1873. IV. p. 365 sqq.); *eiusdem* Beiträge z. pentat. Kritik (Katholik 1873. I. p. 162 sqq.); *Flunk* Pentateuchkritik (Innsbr. Ztschr. f. kath. Theol. 1885. p. 595 sqq.); *I. P. Martin* De l'origine du Pentat. (Introd. à la crit. génér. de l'A. T. 1887. *I. Selbst* Zur Orientirung über Meth. u. Ergebnisse der neuesten Pentateuchkrit (Katholik 1887. I. p. 337 sqq. 449 sqq. 561 sqq.): *eiusdem* Die Bibelwissenschaft des Protestantismus im Kampfe gegen das A. Test. (Katholik 1896. I. p. 142 sqq. 193 sqq. 289 sqq. 419 sqq. 514 sqq.) ac praeterea introductores *Vigouroux* (Manuel bibl. I. p. 291 sqq.), *Ubaldi* (Introd. I. p. 508 sqq.), *Zschokke* (Hist. rev. V. T. p. 547 sqq.), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 188 sqq. 200 sqq.) etc. — Ex acatholicis autem dilaceratores Pentateuchi egregie refutant E. W. *Hengstenberg* (Authentie des Pentat. I. p. 181-414. II. p. 346-442), *Haevernick* (Hdb. der Einl. I. p. 58 sqq.), *Keil* Lehrb. d. Einl. Ed. 3. p. 140 sqq.), *Green* (The Pentat. and. the higher criticism. 1895. p. 59 sqq. aliisque suis operibus), *Rupprecht* (Des Rätsels Lösung. II. 2. 1897. p. 4-243), *Lex Mosaica* (ed. a Valpy French. London 1894. passim).

30. — I. Primum fundamentum, cui documentorum pentateuchicorum distinctio innititur, est DIVERSORUM NOMINUM DIVINORUM USUS[1]. Neminem qui attente Genesin perlegerit effugiet, nonnullis in pericopis Deum semper *Elohim* (אֱלֹהִים, ὁ θεός, *Deus*), in aliis autem *Iahve* (יְהוָה, ὁ κύριος, *Dominus*) appellari. Patres, quum in primo Geneseos capite solum *Dei* (*Elohim*) nomen, inde a 2,4 autem in historia paradisi et lapsus hominis nomen *Domini Dei* (*Iahve Elohim*) semper usurpari viderent, in huius varietatis rationem iam inquisiverunt[2]. Accuratius autem tractari quaestio haec coepta est, quando medio saeculo praecedente medicus parisiensis d'Astruc non in solis duobus tribusve primis Geneseos capitibus sed in integro libro nominum istorum varietatem deprehendere sibi visus est; quia enim per totam Genesin nonnullae pericopae solum aut fere solum nomen Iahve, aliae solum aut fere solum nomen Elohim adhibeant, varia documenta, ex quibus conflatum sit opus, distinguere voluit. Alii deinde eandem nominum varietatem in quinque primis Exodi capitibus observarunt atque promiscuum duorum nominum usum tunc demum inchoari, ubi Deus *Exod.* 6,2 sqq. nomen suum *Iahve* Moysi revelaverit. Hinc moderni « critici » occasionem arripuerunt, ut in toto Pentateucho elohisticas et iahvisticas partes discernerent. Quamvis enim nomina divina omnibus fatentibus inde ab *Exod.* 6,2 eadem prorsus ratione, qua in aliis omnibus libris, promiscue adhibeantur, in iahvisticis tamen et elohisticis pericopis Geneseos alios quoque variorum istorum documentorum characteres detexerunt, qui soli iis iam sufficiunt, ut « cum certitudine » in reliquis pentateuchicis, immo etiam in aliis historicis libris varios istos scriptores distinguant. Qui novi illi characteres sint et quid valeant infra dicemus; hoc autem loco agendum est de divinorum nominum usu, quo veluti primario fundamento totum aedificium

modernorum criticorum nititur. Quapropter exponemus a.) quis sit accuratus status rerum relate ad illum usum in *Gen.* 1,1 — *Exod.* 6,2; b.) investigabimus, quae huic usui ratio sit assignanda.

1. — Pericoparum elohisticarum et iahvisticarum accurata distinctio satis est difficilis duplicem ob rationem. Nam quaenam partes pro pericopis sint sumendae non constat, atque a plerisque « criticis » arbitrario plane modo definiuntur. Praeterea satis paucae numero sunt partes, in quibus alterutrum nomen solum adhibetur; frequentiores sunt illae, in quibus alterutrum praevalet quidem, sed alterum quoque aut saltem aliud ex variis Dei nominibus usurpatur; aliae quoque inveniuntur, in quibus utrumque nomen promiscue positum est, aliae demum, quae, quum nullum nomen divinum exhibeant, ad certam classem revocari non possunt. Unde fit, ut ab aliis alio modo pericopae elohisticae et iahvisticae discernantur. Ut aequum iudicium feramus, duas divisiones adscribimus, quarum prior iisdem fere verbis a duobus unitatis Pentateuchi patronis, uno catholico, protestantico altero, proposita est, altera auctorem habet unitatis adversarium [3].

1. Cfr de integro hoc argumento *Flunk* l. c. p. 600 sqq.

2. Cfr *Tertull.* adv. Hermog. 3. (M. 2,199 sq.) de nominum Dei et Domini significatione disputans, quorum prius ipsam « substantiam i. e. divinitatem », alterum « potestatem » significet: « Argumentari tibi videor, Hermogene. Naviter nobis Scriptura patrocinatur, quae utrumque nomen ei distinxit et suo tempore ostendit. Nam *Deus* quidem, quod erat semper, statim nominat : In principio fecit *Deus* coelum et terram; ac deinceps quamdiu faciebat, quorum dominus futurus erat, *Deus* solummodo ponit : Et dixit *Deus*, Et fecit *Deus*, Et vidit *Deus*, et nusquam adhuc *Dominus*. At ubi universa perfecit ipsumque vel maxime hominem, qui proprie *Dominum* intellecturus erat, *Dominus* etiam cognominatur. Tunc etiam *Dominus* nomen adiunxit : Et accepit *Deus Dominus* hominem, quem finxit, Et praecepit *Dominus Deus*. Ac exinde *Dominus*, qui retro *Deus* tantum, ex quo habuit cuius esset. Nam *Deus* sibi erat, rebus autem tunc *Deus*, quum et *Dominus* » etc. — *S. August.* de Gen. ad liter. 11 (M. 34, 382) : « Proinde nullo modo vacare arbitror, sed nos aliquid et magnum aliquid admonere, quod ab ipso divini huius libri exordio, ex quo ita coeptus est *In principio fecit Deus coelum et terram*, usque ad hunc locum (2,4) nusquam positum est *Dominus Deus*, sed tantummodo *Deus*; nunc vero ubi ad id ventum est, ut hominem in paradiso constitueret, eumque per praeceptum operaretur et custodiret, ita Scriptura locuta est : Et sumsit *Dominus Deus* hominem quem fecit et posuit eum in paradiso operari eum et custodire. Non quod supradictarum creaturarum dominus non esset Deus; sed quia hoc nec propter Angelos, nec propter alia quae creata sunt, sed propter hominem scribebatur, ad eum admonendum, quantum ei expediat habere Dominum Deum, i. e. sub eius dominatione obedienter vivere, quam licentiose abuti propria potestate, nusquam hoc prius ponere voluit, nisi ubi perventum est ad eum in paradiso collocandum, operandum et custodiendum : ut non diceret, sicut et cetera omnia superius : Et sumsit *Deus* hominem, quem fecit, sed diceret : Et sumsit *Dominus Deus* hominem » etc. Cfr quoque *S. Chrys.* in Gen. hom. 14,2 (M. 53,112). Patres autem omnes de solis duobus primis Geneseos capitibus loquuntur, nec quisquam ante d'Astruc ad nominum usum in reliquo libro animum advertit.

3. Priorem *Vigouroux* (Man. bibl. I. p. 297) et *Keil* (Einl. Ed. 3. p. 144) exhibent, alteram *Delitzsch* (Comm. z. Genes. Ed. 4. p. 56); « critici » *solo* divinorum nominum usu, etsi ad eum appellare ament, pericopas non amplius distinguunt. — Ceterum notatu dignum est, Pentateuchum *samaritanum* in nominum usu cum *massorethico* usque ad *Exod.* 6. fere consentire; nam *Samarit.* non nisi *Gen.* 7,9; 28,4; 31,9. 16 *Iahve* pro massor. *Elohim* atque non nisi *Gen.* 14,22; 20,18; *Exod.* 3,14 *Elohim* pro massoret. *Iahve* habere dicitur; cfr *Koenig* Einleitung in das Alte Testam. 1893. p. 163.

31. — Completam igitur pericoparum Geneseos et primorum Exodi capitum enumerationem hanc tradunt *Vigouroux* et *Keil*, qui simul alia nomina divina iisdem in partibus adhibita indicant. Pericoparum argumentum summum ipsi uno verbo adiecimus.

A. In historia primitiva:

Gen. 1,1-2,3 (Creatio coeli et terrae) SOLUM nomen *Elohim* 35ies;

2,4-3,24 (Paradisus; Protoparentum lapsus) *Iahve Elohim* 20ies, *Elohim* ter (3,1. 3. 5.)

4,1-26 (Cain et Abel; Caini posteri; Seth) *Iahve* 10ies, *Elohim* semel (4,25).

5,1-32 (Adami posteri per Seth) *Elohim* ter, *Haëlohim* bis, *Iahve* semel.

6,1-8 (Filii hominum et filii Dei) *Iahve* 5ies, *Haëlohim* bis.

6,9-9,29 (Diluvium; peccatum Cham) *Iahve* 7ies, *Elohim* 15ies, *Haëlohim* bis.

10,1-11,32 (Posteri filiorum Noe; turris babelica; posteri Sem) SOLUM *Iahve* 7ies.

B. In historia patriarcharum:

12,1-13,18 (Abrahae vocatio, iter in Aegyptum, separatio a Lot) SOLUM *Iahve* 13ies.

14,1-24 (Abraham liberat Lot; Melchisedech) *Iahve* semel, *El'Elion* (אֵל עֶלְיוֹן, Deus excelsus) quater.

15,1-21 (Dei foedus cum Abraham) *Iahve* 5ies, *Adonai* bis.

16,1-16 (Abrahae nascitur Ismael) *Iahve* 8ies, *El Roï* (אֵל רֳאִי, Deus omniscius) semel.

17,1-27 (Institutio circumcisionis) *Elohim* 7ies, *Iahve* semel, *El Schaddai* (אֵל שַׁדַּי, Deus omnipotens) semel.

18,1-19,28 (Destructio Sodomae) *Iahve* 16ies, *Adonai* 6ies.

19,29-38 (Lot et filiae eius) SOLUM *Elohim* bis.

20,1-18 (Abraham et Abimelech) *Iahve* semel, *Elohim* quater, *Haëlohim* bis, *Adonai* semel.

21,1-34 (Isaac et Ismael) *Iahve* bis, *Elohim* 11ies, El'Olam (אֵל עוֹלָם, Deus aeternus) semel.

22,1-24 (Sacrificium Isaaci) *Iahve* 5ies, *Elohim* bis, *Haëlohim* ter.

23,1-20 (Sarae mors) SOLUM *Elohim* semel.

24,1-67 (Rebeccae desponsatio) SOLUM *Iahve* 19[ies].

25,1-18 (Abrahae mors) SOLUM *Elohim* semel.

25,19-26,35 (Nativitas Esau et Iacob; Isaac et Abimelech) SOLUM *Iahve* 11[ies].

27,1-46 (Isaac benedicit Iacob) *Iahve* ter, *Haëlohim* semel.

28,1-9 (Iacob mittitur in Mesopotamiam) *Elohim* semel, *El Schaddai* semel.

28,10-22 (Deus apparet Iacob in Bethel) *Iahve* quater, *Elohim* quater

29,1-32,33 (Iacob in Mesopotamia; revertitur in Chanaan) *Iahve* 10[ies], *Elohim* 20[ies], *Haëlohim*, *Haël* et *El* semel.

33,1-37,30 (Iacob et Esau; Simeon et Levi; Esau posteri; Ioseph a fratribus venditus (*Elohim* 20[ies], *Haëlohim* semel, *El* quater, *El Schaddai* semel.

38,1-30 (Iuda et Thamar) SOLUM *Iahve* ter.

39,1-23 (Ioseph et Putiphar) *Iahve* 8[ies], *Haëlohim* semel.

40,1-48,22 (Ioseph et fratres eius in Aegypto) *Elohim* 16[ies], *Haëlohim* 9[ies], *Haël* semel, *El Schaddai* ter.

49,1-33 (Iacobi benedictio) *Iahve* semel, *El Schaddai* semel, *El Abika* (Deus patris tui) semel.

50,1-26 (Iosephi mors) SOLUM *Elohim* quater.

Exod. 1,1-2,25 (Israelitae in Aegypto, Moysis nativitas, eius fuga ad Madianitas) *Elohim* 5[ies], *Haëlohim* ter.

3,1-4,31 (Deus apparet Moysi eumque ad liberandos Israelitas mittit) *Iahve* 24[ies], *Elohim* ter, *Haëlohim* 7[ies].

5,1-6,1 (Pharao magis opprimit populum) SOLUM *Iahve* 8[ies].

Delitzsch quatuor classium pericopas distinguit, elohisticas, iahvisticas, mixtas, in quibus Elohim et Iahve promiscue usurpantur, et eas, quas « latentis characteris » appellat, quia in iis nullum Dei nomen adhibetur, in hunc modum :

Elohisticae.	Iahvisticae.	Mixtae.	Latentes.
Gen. 1,1-2,3;			
	2,4-3,24; 4;		
5 [1];	6,1-8;		
6,9-22;	7,1-9;		
7,10-24 [2]; 8,1-19;	8,20-22;		
9,1-17;	9,18-27; 10; 11,1-9;		11,10-32,
	12; 13;	14;	
	15; 16;		
17 [3];	18; 19;		

(1) At 5,29 *Iahve*
(2) At 7,16 *Iahve*
(3) At 17,1 *Iahve*

Elohisticae.	Iahvisticae.	Mixtae.	Latentes.
20 [4]; 21 [5];		22,1-19;	22,20-24; 23;
	24;		
25,1-18 [6];	25,19-26;		25,27-34;
	26; 27,1-40;		27,41-45;
27,46-28,9 [7];		28,10-22;	29,1-30;
		29,31-30,24;	
	30, 25-43;		
31 [8];		32;	
33;			34;
35;			36; 37;
	38; 39;		40;
41-50 [9].			
Exod. 1;			2;
		3,1-4,17;	
	4,18-6,1.		

(4) At 20,18 *Iahve*.
(5) At 21,1. 33 *Iahve*.
(6) Semel dumtaxat *Elohim*.
(7) Semel dumtaxat *Elohim* et semel *El Schaddai*.
(8) At 31,3. 49 *Iahve*.
(9) At 49,18 *Iahve*.

32. — Ex allatis enumerationibus haec duo liquido discimus :

a.) paucissimas esse pericopas, si nomine hoc continuam aliquam et completam narrationem intelligimus, quae alterutrum nomen solum adhibeant; mediis enim in partibus, quae elohisticae vocari solent, nomen *Iahve* reperitur, et mediis in iahvisticis capitibus nomen *Elohim*, praeter quae alia divina nomina non infrequenter adhibentur[1]. Ex. gr. in narratione de paradiso et protoparentum lapsu (2,4-3,24) generatim quidem *Iahve Elohim*, sed in Evae et serpentis colloquio, quod a reliqua pericope nullatenus potest separari (3,1-5), ter *Elohim* usurpatur; in narratione de filiis Adam (4,1-26) *Iahve* quidem multum praevalet, sed 4,25 habetur *Elohim*, quamvis omnes versum iahvisticum dicant; enumeratio posterorum Adam (5,1-32) elohisticis partibus adnumeratur, atque revera ter *Elohim* et ter *Haëlohim* usurpatur, at 5,29 legitur *Iahve;* narratio de filiis Dei et filiis hominis inter iahvisticas partes recensetur, quia quinquies adhibetur *Iahve*, duo enim *Haëlohim*, quae ibi leguntur, negliguntur. Atque ita per totam Genesim; immo in eodem immediato contextu atque in eodem versu vel eadem brevissima sententia utrumque nomen videmus coniunctum[2]. Nonnullis autem in locis ab Iahvista vel a redactore nomina mutata esse aeque gratuito ac frustra asseruntur : gratuito, quia supponit quod in quaestione versatur, an scilicet documentum elo-

histicum a documento iahvistico sit distinguendum; frustra vero, quia, si nonnullis in locis eiusmodi mutatio conceditur, nihil obstat, quominus omnia illa nomina a iuniore manu mutata dicamus, atque proin ipsum fundamentum funditus corruit. Si quis vero ne in Genesi quidem documenta ex divinis nominibus adhibitis apte separare potest, multo minus nominum istorum usum ad cognoscenda et discernenda documenta in aliis libris adhibere poterit[3].

b.) Ex iisdem autem enumerationibus id quoque elucet, longissime a vero aberrare eos, qui partibus elohisticis seorsim sumtis unum atque completum quoddam opus constitui asserunt, quod continuam aliquam narrationem bene inter se connexam exhibeat, ita ut scriptor elohisticus nusquam ea supponat, quae a Iahvista sint tradita. Neque magis iahvisticum opus continuam illam narrationem exhibet. Etenim in elohistico illo opere, quod supponitur, lapsus hominis non attingitur, et tamen *Gen.* 6,11-13, quae pars ab omnibus Elohistae attribuitur, universa eaque pessima morum corruptio notatur. A foedere, quod Deus pepigit cum Noe (9,17), Elohista saltu plus quam rhodio in mediam Abrahami historiam transilit (17,1), cuius genealogiam prorsus ignoras, nisi forte 11,10-32, qui versus « latentis characteris » dicuntur, Elohistae attribueris; sed ne tunc quidem difficultatem omnem effugies, quia 11,31 Abraham habitat in Haran, 17,1 sqq. autem iam diu in Chanaan sedem habuisse supponitur; Abrahae vero vocationem, cui tota reliqua historia innititur, ignoravit rationalistarum Elohista. Item Elohista ex historia Ismaelis (25,18) in mediam historiam Iacob transit (27,46); neque quidquam iuvant versus « latentis characteris » (25,27-32 et 27,41-45) ad nexum stabiliendum, quia nec de Esau nec de Iacob in elohistico opere antea sermo fuit. A morte Isaac (25,29) transilit Elohista ad historiam Iosephi in Aegypto ex carcere liberati (41,1 sqq.); quomodo autem in Aegyptum et in carcerem venerit Ioseph, ignorant lectores operis elohistici. Atque ut videas, quam pulcherrimus nexus in opere iahvistico sit, animadverte, Iahvistam Iosephum in carcere relinquere (39,23), ut ad Moysen ex Madian in Aegyptum revertentem transeat (*Exod.* 4,18), nec quidquam nexui restituendo inserviunt capita « latentis » (*Gen.* 40. *Exod.* 2) aut « mixti characteris » (*Exod.* 3,1-4,17).

Quicumque igitur « documentorum hypothesim » *soli* divinorum nominum usui superstruxerit, aedificii sui fundamenta velut in aqua posuit; etenim isto charactere forsitan pauca quaedam fragmenta in Genesi discernantur, at numquam ad integrum documentum pervenietur; quare non mirum, quod antiquiores rationalistae fragmentorum hypothesim praetulerint, moderni autem, qui eam absurdam esse viderunt, infirmum hoc fundamentum aliis characteribus munire et

consolidare studuerint. Quid nova illa munimenta valeant, statim inquiremus, postquam primum et primarium hoc fundamentum accuratiori examini subiecerimus.

1 A *Gen.* 1,1 ad *Exod.* 6,1 nomen *Iahve* adhibetur 211[ies], nomen *Elohim* 140[ies]; ex reliquis nominibus divinis *Haelohim* 35[ies] (frequentius cum *Elohim*, aliquoties cum *Iahve*), *Adonai* 9[ies] (plerumque cum *Iahve*, semel cum *Elohim*), *El*, *Hael*, *El 'Elion*, *El 'Olam*, *El Schaddai* etc. 14[ies] (frequentius cum *Elohim*, aliquoties cum *Iahve*). Universe ergo *Iahve* praevalet quum nomini Elohim, tum omnibus reliquis nominibus simul sumtis.

2. *Gen.* 7,16 In arcam « introierunt, sicut praeceperat ei *Deus* (*Elohim*), et inclusit eum *Dominus* (*Iahve*) deforis »; 9,26. 27 in benedictione Noe : « Benedictus *Dominus* (*Iahve*), Deus Sem... Dilatet *Deus* (*Elohim*) Iapheth »; 14,19-22; 27,27. 28 in benedictione Isaac : « Ecce odor filii mei sicut odor agri, cui benedixit *Dominus* (*Iahve*). Det tibi *Deus* (*Elohim*) de rore coeli »; *Exod.* 3,4 « Et vidit *Dominus* (*Iahve*), quod pergeret ad videndum, et clamavit ad eum *Deus* (*Elohim*) » Cfr *Exod.* 18,1 : Audivit Iethro « omnia quae fecerat *Deus* (*Elohim*) Moysi et Israeli, populo suo, et quod eduxisset *Dominus* (*Iahve*) Israel de Aegypto ».

3. Ipse *Delitzsch* (l. c. p. 57) inde ab *Exod.* 6,2 sqq. nomen Elohim pro signo characteristico non amplius inveniri fatetur nisi in paucissimis textibus, inter quos praecipuus sit *Exod.* 13,17-22 : at in sex istis versibus quater quidem legitur *Elohim*, sed semel (13,21) *Iahve*; praeterea l. c. p. 25 etiam in *Exod.* 18 nomen *Elohim* vocat signum characteristicum, at 18,1. 8. 9. 10. 11. legitur *Iahve*.

33. — 2. Restat enim, ut qua ratione variatio nominum divinorum explicari possit, pro viribus explicemus. Quem in finem adnotemus, nomina *Elohim* et *Iahve*, licet vero Deo significando inserviant, nequaquam esse plane synonyma, sed sub alia et alia ratione eum designare[1]. Nomine enim *Elohim*, quaecunque eius radix statuitur, de qua adhuc sub iudice lis est[2], omnibus fatentibus Deus praesertim nominatur magnitudinis et potentiae ratione habita; quare communissimum est nomen divinum usurpaturque, ubi de Deo creatore, totius mundi gubernatore, omnium creaturarum domino sermo est : immo etiam de falsis diis adhiberi potest. *Iahve* vero, quod vi etymologiae suae τὸν ὄντα designat[3], i. e. eum, qui absolute est exsistens et independens[4] ideoque aeternus[5] et immutabilis[6], ac proin fidelissimus in promissis[7], est nomen Dei, quatenus populum israeliticum speciali foedere sibi coniunxit; quapropter de falsis diis nec unquam adhibetur nec adhiberi potest. Quae utriusque nominis habitudo praeclare ex *Ps.* 18 (19) elucet, qui Deum mundi creatorem et conditorem supranaturalis revelationis celebrans illum in priore parte (2-7), ubi de creatione agit, *El* (= Elohim), in altera (8-15), ubi de lege revelata, *Iahve* appellat. Revera nomen *Iahve* in reliquis libris videmus usurpatum, quotiescunque sive verus Deus falsis ethnicorum diis, qui etiam *Elohim* vocantur, opponitur, sive singularis illa relatio, quae Deum inter et populum Israel intercedit, praedicatur et effertur; quoniam vero *Iahve*

et *Elohim* duo eiusdem Dei sunt nomina, alterutrum pro lubitu ponuntur, quotiescunque specialis illa ratio deest, nec ullus error est timendus.

At eodem modo utrumque nomen in Genesi adhiberi, attentum lectorem non fugiet; non pauci enim sunt textus, in quibus consulto alterutrum ab auctore positum esse non est ambigendum. In introductione, quae historiam creationis universae narrat, Deus semper vocatur *Elohim*, ut potentia et magnitudine eius descripta tamquam dominus omnium creaturarum promulgetur (1,1-2,3). Quam primum autem Moyses ea narrat, quae Deus benignissimus primis parentibus largitus est, ut eos ad se attraheret, atque relationem, quae Deum inter et primos homines post eorum lapsum intercessit, futuraeque redemtionis primam promissionem describit (2,4-4,25), nomine *Iahve Elohim* utitur, utrumque nomen coniungens, ut bene intelligant Israelitae, non alium esse *Elohim*, qui omnia creavit, et alium *Iahve*, qui homines ad se attrahit : attamen in hac ipsa pericope Serpens et Eva colloquentes (3,1-5) Deum non appellant *Iahve*, sed *Elohim*, idque aptissime, uti per se patet. Non minus clarum est, cur Noe in sua benedictione *Elohim* invocet, ut Iapheth dilatet, Deum autem Sem, in cuius posteritate promissiones erant conservandae, *Iahve* vocet (9,26. 27), cur Melchisedech Deum appellet *El'Elion*, Abraham autem eum dicat *Iahve El'Elion* (14,19-22), et cur in tota fere historia patriarcharum (12,1 sqq.) nomen *Iahve* praevaleat. Etenim nomine hoc essentiali, quo divina *immutabilitas* insigni quadam ratione simul praedicatur, adhibito statim iam intellexerunt lectores, promissiones illas certo certius adimpletum iri; hinc nominis *Iahve* usus in promissionibus Abrahae (12,1; 18,17; 22,16), Isaac (26,2-5), Iacobo (27,27 cfr 7; 28,13) factis, atque in assignanda terra Chanaan, cuius possessio initium et pignus fuit impletionis maiorum promissionum (12,7; 13,5; 15,7. 18; 24,7); hinc Deus idem nomen, quum populum liberare et sollemni foedere secum coniungere vellet, integrae isti periodo velut symbolum et tesseram assignat (*Exod.* 3,14), quemadmodum postea apud prophetas Osee et praesertim Ezechiel (cfr *infra* 274), sive quum populum ad maximam felicitatem se adducturum promitteret sive quum foederi semel inito semper se fidelem inhaesurum significaret, velut sigillum haec verba apposuit : « Et scies, quia ego *Iahve* » (*Os.* 2,22; *Ezech.* 5,13 et fere septuagies).

Multi igitur sunt Geneseos textus, in quibus Moyses alterutrum nomen significatione eorum speciali attenta adhibuit; neque tamen diffitemur non esse pauciores, in quibus significationis ratio non nisi coacte ad alterutrius usum explicandum adhibetur. Verum id in Genesi non magis est mirum, quam in reliquis libris sacris aut profanis,

nec ullo modo nos cogit, ut diversos Geneseos auctores statuamus. Inter Psalmos habemus alios, qui certe Davidem auctorem habent, et in quibus nomen *Iahve* aut solum adhibetur, aut saltem praevalet, atque alios certe davidicos, qui solum nomen *Elohim* adhibent, immo idem psalmus 13 (14), qui est iahvisticus, in altero Psalterii libro repetitur (Ps. 52 [53]) nomine *Iahve* prorsus expuncto; num duos eiusdem psalmi statuemus esse auctores [8]? In aliis quoque libris satis longae leguntur pericopae, in quibus alterutrum nomen solum aut fere solum adhibetur; ex. gr. 1 *Reg.* 3,19-4,6 *Iahve*, 4,7-22 *Elohim* adhibetur; quis eam ob causam scriptorem iahvisticum et scriptorem elohisticum distinguit? Utrumque nomen Israelitis erat sacrum, atque interdum alterutrius significatione attenta illud adhibebant, quod speciali quadam ratione postulabatur, interdum autem, speciali illa ratione deficiente, pro libitu mox unum mox alterum usurpabant, aut eodem nomine continuantes aut altero variantes orationem. Annon idem nos quoque quotidie facimus, quum interdum ad nominum significationem attendentes aut *Deum* dicimus aut *Dominum*, aut *Christum* aut *Salvatorem* aut *Dominum*, aut *Matrem Dei* aut *Beatissimam Virginem*, interdum neglecta significatione nomina eadem aut repetimus aut variamus? Quis praeter rationalistam, si *Gen.* 7,16, legerit : « introierunt, sicut praeceperat *Elohim*, et clausit *Iahve* deforis » alteram versus partem alteri scriptori attribuet? Ubi ergo specialis ratio certum divinum nomen non postulabat, Moyses aeque atque alii scriptores [9], ob varietatis studium nomina divina variavit, nec ulla in hac variatione invenitur discernendorum documentorum ratio.

1. De divinis nominibus optime disseruerunt ex catholicis *L. Reinke* Beiträge. III. Münster 1855. p. 3-146, ex protestanticis *Hengstenberg* Authentie des Pent. I. p. 181-414, a quibus reliqui magis minusve dependent.

2. אֱלֹהִים pluralem excellentiae (cfr אֲדֹנָי, שַׁדַּי), sing. אֱלוֹהַּ nonnulli a rad. אלה parum recte derivant (*Fleischer* apud Delitzch Comm. ü. d. Gen. Ed. 4. p. 56 sq.; *Gesenius* Handwörterbuch. Ed. 9. p. 44), quae in hebraico non usitata in arabico aut *obstupuit, tremuit* (intransit.) aut *coluit, adoravit* (transit.) significat, ita ut אֱלוֹהַּ sit *numen timendum* vel *colendum*; at verbum istud arabicum ipsum esse denominativum rectius statuitur. Quapropter iure merito alii אֱלֹהִים et אֱלוֹהַּ ab אֵל non esse separanda monent, sive ultimum hoc derivetur ab אול vel איל (*praecedere, fortem esse*), sive vocabulum primitivum esse dicatur, id quod praeferendum videtur : « Ut dicam quae sentio, inquit *Gesenius* (Thesaur. ling. hebr. p. 49), nostrum etiam vocabulum, utpote haud dubie antiquissimum, his quae dixi primitivis adnumerandum videtur, et variae illae radices biliterae, quarum syllaba communis est אל quarumque analogiam sequuntur Dei nomina, significationes habent a numinis notione repetitas... Quod ad nostrum אֵל attinet, potest illud, quamquam proprie primitivum, etymo radicis אול quodammodo aptatum et accommodatum esse, ita ut Hebraeis in vocabulo illo *roboris*

et *fortitudinis* notio obversaretur ». Cfr etiam *Fürst* Concord. hebr. p. 64 s. v. et Handwörterb. Ed. 3. p. 85.

3. Cfr *Fürst* Concord. hebr. p. 306 : « יְהֹוָה nomen proprium Dei veri et vivi, quod propter sanctitatem et significatus profunditatem שֵׁם הַמְיֻחָד vel שֵׁם הַמְפֹרָשׁ etc., nominatur nullaque unquam ratione creaturis, veluti nomen *Elohim*, tribuitur. Originem huius nominis in verbo הָיָה (= הָוָה) quaerendam esse inter omnes constat. Factum est ex futuro verbi היה ad similitudinem formarum יִצְחָק, יַעֲקֹב, יֵשׁוּעַ [?], quibus status perpetuus, continuus et infinitum durans exprimitur. Quare יְהֹוָה vertendum est *ens aeternum* (der Ewigseiende) explicatioque nominis, qua aeternitas illa tamquam tres in aeones dispescitur (ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐσόμενος *Apoc.* 1, 8) non in vocabuli tamquam compositi tripartiendi etymo [י = יְהִי, הֹו = הֹוֶה, וָה = הָוָה] sed in futuri vel potius imperfecti, quod statum diuturniorem limitibusque temporis non circumscriptum denotat, emphasi maxime fundata est. Quae emphasis aperte docetur divina divini nominis paraphrasi אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה, id quod neque ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ut exstat in Alexandrina, neque γενήσομαι ὅπερ ἐγενόμην vertendum est [sed cum Vulg. : *sum qui sum*], quum potius, ut ita loquar, Dei qui cum Moyse colloquitur, Deique qui futurus sit (τοῦ ἐσομένου, τοῦ ἐρχομένου) [atque etiam Dei qui erat promissionesque patribus dedit] identitas, Deique proinde, etiamsi multimodis et in praesenti et in futuro se exserat [et in praeterito se exseruerit] immutabilitas enuncietur. Qua identitate (modo recte eam intelligas) simul Dei gratia ac veritas subindicatur, ita ut sapientissime traditum sit, quum nomen *Elohim* Deum omnipotentem ac iustum (מִדַּת הַדִּין) indicet, nomine *Iehovah* eius gratiam ac misericordiam (מִדַּת הָרַחֲמִים) denotari ». Attendas tamen velim, vi etymi sui *Iahve* esse *eum qui est* i. e. qui absolute et per se solum est, unde deinde necessario consequitur, eum esse *ens aeternum*, *immutabile*, fidelissimum in promissis etc.

4. Cfr *Exod.* 3,14 « Sum qui sum,.. *qui est* (hebr. *qui sum* אֶהְיֶה) misit me ad vos ».

5. *Gen.* 21,23 « *Iahve Deus aeternitatis* », *Is.* 41,4 « Ego *Iahve* primus et cum novissimis ego idem »; cfr 48,12 « ego primus et etiam novissimus ».

6. *Mal.* 3,6 « Ego *Iahve*, non mutor ».

7. *Deut.* 7,9 « *Iahve est Deus, Deus fidelis* custodiens pactum et gratiam diligentibus se »; cfr *Is.* 26,4 (sec. hebr.) : « Confidite in *Iahve* in aeternum, in *Iahve* est praesidium aeternum »; *Exod.* 3, 13 sqq.; 6,2 sqq.

8. De Psalmis iahvisticis et elohisticis cfr *infra* 182.

9. Cfr ex. gr. 2 Reg. 6, ubi 1-8 quater « arca *Elohim*, 9-11 ter « arca *Iahve* », 12 bis « arca *Elohim* », 13-18 quater « arca *Iahve* ». Quomodo autem nomina a iunioribus quoque scriptoribus distinguantur, optime elucet, si *Ion.* 3,4-10 et 2,1-11 comparaveris.

34. — At id non est mirum, inquiunt adversarii[1], quod nomina divina in Genesi variantur, sed quod inde ab *Exod.* 6. cessante hac variatione solum fere nomen *Iahve* adhibetur. Quod explicari non potest nisi ex intimo nexu cum nominis huius revelatione, quae *Exod.* 6. narratur ; « Ego sum *Iahve* et apparui Abrahae Isaac et Iacobo tamquam *El Schaddai*, sed quod ad nomen meum *Iahve* attinet, non manifestatus sum (me non manifestavi) eis ».

Intimum hunc nexum libentissime concedimus, dummodo recte intelligatur. Is autem 1.) ex eo non est desumendus, quod nomen *Iahve* hoc loco prima vice reveletur ac proinde patriarchis fuerit incognitum[2]. Procul dubio si quis verba *Exod.* 6,2 premere voluerit, id ex eis eodem modo deducet, quo ex *Ioan.* 1,17 nonnulli absurde concludunt, Vetus Test. omni gratia et veritate caruisse, aut ex *Ioan.* 7,39 prophetis Spiritum S. non esse datum. Verum si in illis similibusque locis limitationem quandam admittendam esse constat[3], eadem etiam in *Exod.* 6,2 admitti potest ac debet. Patriarchis enim revera haud incognitum fuisse nomen *Iahve* a.) ex eo iam elucet, quod non solum ipsi Deum illo appellent sed eodem Deus eos alloquens se ipse haud semel designet[4]. In colloquiis in Genesi relatis nomen *Iahve* circiter *octogies* adhiberi dicitur; omnibus autem istis in locis nomen *Iahve* nomini *Elohim* antea adhibito esse substitutum, non magis nobis persuadere possumus, quam Moysen patriarchas nomine utentes introduxisse, quod quid valeret non intellexerunt aut Deo cum eis colloquenti verba attribuisse, quorum significatio ab eis percipi non posset. b.) Accedit autem, quod Deus, quum Moysen ad populum suum mitteret, hoc suum. nomen *Iahve* velut signum dederit, quo divinam Moysis missionem cognoscerent (*Exod.* 3,13. 14); nomen autem Israelitis incognitum atque eo usque non auditum illis non erat signum aptum. c.) Gravissimum est, quod ipsa sua forma nomen sese aetate mosaica antiquius esse prodat; si enim Moysis tempore esset formatum, non יהוה sed יהיה sonaret, siquidem in toto Pentateucho היה, nec unquam antiquior forma הוה usurpatur. d.) Ante mosaicam aetatem demum iam habentur nomina cum nomine *Iahve* composita; Moysis ipsius mater vocabatur יוֹכֶבֶד (*Iahve*, est gloria eius), atque ante mosaicam aetatem probabilius etiam referenda sunt nomina אֲחִיָּה (frater i. e. amicus *Iahve*) et יוֹנָתָן (*Iahve*, est donator. 1 *Paral.* 2,25. 32); celeberrimum demum est nomen *Moriah*, quod certe compositum est ex מְרָאִי־יָהּ (visio Iehovae)[5]. Quapropter rectissime *Bonfrerius* in *Exod.* 6,3 : « Quae verba non ita intelligenda sunt, quasi patriarchae illi nescirent Deum sic vocari eiusdemque nominis quoad vim et potestatem notitiam aliquam confusam non haberent, sed quod non ita distincte sit illis explicata vis istius nominis (quod Dei esse, sive ens illimitatum significat), sicut Moysi et ceteris istorum patriarcharum posteris, et reipsa paullo post tot prodigiis ac miraculis ostensurus esset, se esse fontem omnis esse, utendo creaturis quomodolibet » etc.

Si igitur, id quod hodie a plerisque interpretibus conceditur et allatis argumentis extra dubitationem, nisi fallimur, est positum, iam ante Moysen nomen *Iahve* cognitum atque a patriarchis adhibitum est,

nulla omnino adest ratio, cur auctorem, qui *Exod.* 6,3 scripsit, antea ab hoc nomine adhibendo abstinuisse dicamus atque duos Geneseos scriptores statuamus, Elohistam, qui *Exod.* 6,3 et pericopas elohisticas, et Iahvistam, qui iahvisticas scripserit.

2.) Nexus autem ille intimus, quem inter *Exod.* 6,2 sqq. et inter continuum usum nominis *Iahve* in sequentibus Pentateuchi partibus adesse concessimus, ex differentia nominum *El Schaddai* et *Iahve* satis clare explicatur. Secundum *Exod.* 6,3 Deus patriarchis sese manifestavit tamquam *El Schaddai* (Deus omnipotens), inde autem a Moysis tempore velut *Iahve* agnosci voluit. Aliqui putarunt *El Schaddai* esse synonymon nominis *Elohim*, at errarunt. Ubi enim prima vice adhibetur, *Iahve* sibi hoc nomen attribuit (*Gen.* 17,1) : Abrahae nonaginta novem annos nato « *apparuit Iahve* dixitque ad eum : *Ego El Schaddai* », ac deinde promissiones repetit, quas ei antea sub nomine *Iahve* fecerat (*Gen.* 15,1 sqq.; 12,1. 7); revera in tota Genesi nomen *El Schaddai* non adhibetur, nisi ubi de promissionibus est sermo (17,1; 28,3; 35,11; 43,14; 48,3; *Exod.* 6,3). Quapropter rectius dicitur esse synonymon nominis *Iahve*, sed aliqua cum differentia, uti ex *Exod.* 6,3 apparet. Promissiones patriarchis dans Deus simul revelavit potentiam suam, qua eas implere *potuit*; promissiones factas autem implens simul revelavit suam immutabilitatem et fidelitatem, qua eas implere *voluit;* hinc patriarchis apparuit tamquam *El Schaddai, Deus omnipotens*, qui quod promittit *dare potest*, inde autem a Moysis tempore clarius et distinctius apparet tamquam *Iahve*, *ens absolutum ideoque immutabile et fidelissimum*, qui quod promisit *revera dat.* Quapropter etiam solo patriarcharum tempore nomen *El Schaddai* adhibetur atque postea disparet[6].

Atque hinc quoque explicatur, cur inde ab *Exod.* 6. Moyses plerumque nomen *Iahve* adhibeat altero nomine *Elohim* fere neglecto. *Iahve* enim nominari Deum, quatenus speciali foedere populum secum coniunxit, supra diximus, neque inepte ideo *Iahve* aiunt esse « *Deum foederis* », « *Deum theocratiae* ». Quam denominationem eo sensu non esse intelligendum evidens est, quo ethnici illam interpretati esse videntur, ac si *Iahve* esset deus, ut ita dicam, nationalis Iudaeorum (cfr *Is.* 36,18 sqq.; 4 *Reg.* 18,30), sicut gentes suos quaeque deos nationales colebant; sed ita intelligatur oportet, ut Deus universum genus humanum salvaturus hunc populum elegerit ac foedere speciali suum fecerit, per quem deinde omnibus praestaret salutem (« Salus ex Iudaeis est » *Ioan.* 4,22), ut Israel igitur semen quoddam esset, ex quo theocratia (regnum messianicum) totum genus humanum complectens exoriretur. Iam vero postquam Moysis vocatione et missione Deus fundamenta huius foederis atque theocratiae iecerat atque ea in occasione

velut *Iahve* sese revelaverat, qui promissiones olim datas iam esset impleturus, Moyses in ultimis libris, qui toti de huius theocratiae fundatione agunt, nominibus *Elohim* et *Schaddai* nomen *Iahve*, utpote *entis absoluti*, *immutabilis*, *fidelissimi*, apte praetulit [7].

1. Ita *Delitzsch* Comment. über die Genesis. Ed. 4. 1872. p. 28.

2. Cum multis antiquioribus etiam *Emin. Franzelin* (De Deo uno. Ed. 2. 1876. p. 271 sqq.), *Haneberg* (Gesch. der Offenb. Ed. 4. 1876. p. 206 sq.), *Himpel* (Kirchenlex. VI. Ed. 2. 1889. p. 1281 sq.), *de Hummelauer* (Comm. in Genes. 1895. p. 4 sqq.; in Exod. et Levit. 1897. p. 25 sq.) etc. saltem velut probabilius id admittunt.

3. *S. Aug.* in Ioan. (7,39) tr. 32,6 (M. 35,1644 sq.): « Prius quaerendum est, ne quem forte moveat, quomodo nondum erat Spiritus in sanctis hominibus, quum de ipso Domino recens nato legatur, quod eum in S. Spiritu agnoverit Simeon, agnoverit etiam Anna vidua prophetissa, agnoverit Ioannes ipse, qui eum baptizavit;... Multa ergo indicia praecedentia S. Spiritus habemus, antequam Dominus glorificaretur resurrectione carnis suae. Non enim alium Spiritum etiam prophetae habuerunt, qui Christum venturum praenuntiaverunt. Sed *modus quidam erat dationis huius, qui omnino antea non apparuerat*; de ipso hic dicitur » etc.

4. Cfr *Gen.* 14,22; 15,2. 8; 24,3 sqq. etc. — 15,7; 28,13 etc.

5. Cum *Em. Franzelin* (l. c.) nomen *Iochebed* proprie fuisse *Elichebed* aliqui opinantur; nomina divina enim in nominibus propriis interdum permutari. Sed licet id *per se fieri potuisse* concedamus, id tamen *factum esse* probandum est. Difficile autem id probatur, quia idem in aliis nominibus antemosaicis cum *Iahve* compositis factum esse, supponendum esset; atqui in nomine *Moriah* haec permutatio vix ac ne vix quidem potest admitti. Nam hoc nomen (*Gen.* 22,2 *terra Moriah*, Vulg. : *terra visionis*) a Moyse ipso explicatur: « appellavit (Abraham) nomen loci illius *Iahve videt* (יהוה יִרְאֶה vel melius יהוה יֵרָאֶה *Iahve apparet*); unde usque hodie dicitur: In *monte Iahve apparet* » (הַר יהוה יֵרָאֶה, pro quo *S. Hier.* iterum, sed erronee, legit הר יהיה יִרְאֶה *mons Dominus videbit*). Ex hac locutione, hophalica formatione niphalicae substituta, exortum est nomen בְּרָאֵי־יָהּ seu מוֹרִיָּה (visio Domini). Notandum autem est, Hophal verbi ראה in solo Pentateucho usurpari (*Exod.* 25,40; 26,30; *Deut.* 4,38; *Lev.* 13,49), montem ergo a Davidis visione nomen suum accipere non potuisse (2 *Paral.* 3,1 ἐν ὄρει τοῦ Ἀμωρία [הַמּוֹרִיָּה], οὗ ὤφθη Κύριος τῷ Δαυίδ). Porro animadverte Syrum in *Gen.* 22,1 et 2 *Paral.* 3,1 simili modo quo Alexandrinum in 2 Paral. 3 tantum, hebraicum articulum in sua nominis transcriptione (אמריה) retinuisse neque vero de *terra Amorrhaeorum* cogitasse, licet *de Hummelauer* (l. c.) id probabilius esse censeat. Neque *iuniores* Iudaei, quum Hophal verbi ראה ignorarent, ab hac radice nomen *Moriah* primi potuerunt derivare.

6. Deus vocatur *El Schaddai* in sola historia patriarcharum et SEMEL *Ezech.* 10,5; sed nudum nomen *Schaddai* bis a Balaam, saepe in l. Iob, septies alibi adhibetur.

7. De relatione nominis *Iahve* ad foedus cfr *Knabenbauer* Proph. Min. I. p. 45 sq.

35. — II. Quomodocunque res consideratur, debile atque inane esse primum fundamentum est manifestum; at munimenta quoque, quibus illud consolidare et confortare conati sunt rationalistae, parum valere demonstratu non admodum est difficile. Ut nimirum elohisticas et iahvisticas partes in Genesi distinguendas atque documenta illa elohistica

et iahvistica in aliis quoque Pentateuchi libris admittenda esse ostenderent, praeter nominum divinorum usum etiam alias differentias in partibus illis quaesiverunt, et felici cum successu omnia invenerunt, quae ardenti cum studio desiderarunt. Si illis fidem adhibemus, Elohista et Iahvista, quos sibi finxerunt, quum DICENDI ET NARRANDI GENERE tum RELIGIOSIS HISTORICISQUE OPINIONIBUS quam maxime inter se dissentiunt. Namque Elohista non tantum vocabulis nonnullis utitur formisque, quibus caret Iahvista, sed etiam in narrandi modo est diffusus, verbositatis et repetitionum amans; praeterea genealogias in deliciis habet, Deum antiquis temporibus non novit nisi sub nomine Elohim vel El Schaddai nec quidquam scit de sacrificiis vel altaribus vel mundorum et immundorum animalium distinctione in primitivis illis temporibus, sed agrestiorem quendam cultum Dei in Baetyliis (Bethel) solum agnoscit; commercium Dei cum hominibus depingit rudi et simplici modo, atque homines primitivi moribus et naturalibus viribus secundum eius sententiam sunt perfectiores, quam recentiores generationes [1]. Toto igitur coelo distat ab Iahvista, cuius dicendi genus est comtum, elegans, ornatum et ad vitam omnia depingens; qui etymologiis ludere amat sermonique carmina, proverbia, orationes poeticas interserit; qui cultum Iahve iam in prisca tempora transfert atque leviticas leges in antiquitate praeformat, ideoque primitivis temporibus iam altaria et sacrificia, distinctionem animalium mundorum et immundorum aliaque eiusmodi affingit, qui demum generatim splendore quodam mythico prisca tempora exornat atque res conditionesque suae aetatis priscis aetatibus attribuere studet [2]. Attamen quoniam in pericopis non paucis, quas ne systema suum funditus destruerent Iahvistae dare non potuerunt, illae proprietates, quas Elohistae esse dicunt, nullatenus inveniuntur, statuerunt Elohistam II., cuius genus dicendi sit facile, perspicuum et grave, et qui non tantum in loquendi modo, sed etiam in traditionibus et opinionibus suis Iahvistae quam Elohistae I. sit similior [3].

1. Alii quidem alio modo suos scriptores distinguunt; sed operae pretium non est omnia omnium « criticorum » figmenta examinare, praesertim quum differentiae non magni sint momenti. Quare in hac particula praesertim ad illam systematis formam respicimus, quae a De Wette Schrader proposita satis multos habet patronos. Ceterum ea, quae respondebimus, longe pleraque contra omnes rationalistas valent. Ita *De Wette Schrader* Einl. Ed. 8. p. 272 sq. suum Elohistam I. describit : « *Elohist I.* breit, umständlich, mit Wiederholungen; Vorliebe für Geschlechtsverzeichnisse; Gott der Urzeit nur als Elohim und El Schaddai bekannt, keine Opfer und Altäre, Baityliendienst; unmittelbarer und schlichter Verkehr des Menschen mit Gott, oder dieser vermittelt durch einfache Erscheinungen. Ihm ist die Urzeit in sittlicher und leiblicher Hinsicht vollkommener und einfacher, so wie dieses auch gilt von den patriarchalischen Sitten ».

2. *De Wette Schrader* l. c. « *Iahvist* gewandt, anschaulich, lebendig schildernd;

geflissentliches Etymologisiren, Einschaltung von Liedern und Sprichwörtern, auch poetischen Reden; Vorliebe für runde Zahlen; Beginn des Iahveeultus schon in der Urzeit, kennt Opfer schon bei den Söhnen des ersten Menschenpaares, wie überhaupt in der Urzeit; Unterscheidung reiner und unreiner Thiere, Iahveorakel, Leviratsche, Blutrache, Altäre, Künste, Handwerke u. s. w. in der Urzeit » etc.

3. *De Wette Schrader* l. c. « *Elohist II.* klar, fliessend, gewählt und nicht ohne Würde, daher überwiegend an das Thatsächliche sich haltend; Gott in der Vorgeschichte überwiegend Elohim, Offenbarung Gottes im Traume, Engel Gottes, Anthropomorphismen von Gott gebraucht ». Secundum *Wellhausen* (Prolegomena zur Gesch. Israels 1883. p. 8) aliosque ea, quae Elohistae II. attribuenda sunt, hucusque a iahvisticis partibus nondum accurate discernuntur (« Der Elohist[a] ist nicht bloss im Stoffe und in der Anschauung dem Iehovisten nächst verwandt, sondern er ist uns nur als ein Ingredienz der jehovistischen Schrift erhalten, was zuerst Nöldeke erkannt hat ». Cfr etiam *Reuss* Gesch. des A. T. 1881. p. 252 sq.). Quare non mirum, quod Elohistae II. characteres nondum accuratius sint definiti.

36. — Priusquam singula, quae afferuntur, examinabimus 1.) pauca de tota hac argumentatione praemittamus oportet.

a.) Quam universam petitioni principii inniti et in circulo vitioso versari, eruditi nostri adversarii non animadvertunt. Velut rem enim plane certam non demonstrant sed temere asserunt, diversos esse Pentateuchi auctores sibique ipsi Elohistam I. et II. ac Iahvistam suos vel opus suum iehovisticum ex iahvistico quodam et altero elohistico coagulatum (I E) suumque librum quatuor foederum vel codicem sacerdotalem (P C) creant; deinde in pericopis illis, quas nullo prorsus fundamento nixi[b] proindeque arbitrarie scriptoribus illis fictis attribuunt, vocabula, locutiones, dicendi modos, certa argumenta tractata conquirunt eaque istis scriptoribus ita propria declarant, ut eorum characteres distinctivi sint dicendi. Si vero dictiones etc. illas, quas Elohistae proprias declararunt, etiam cum nomine Iahve coniunctas inveniunt, statim aut ad Elohistam II. confugiunt, qui interdum nomine Iahve sit usus, aut faciliore effugio de colore iahvistico, de imitatione iahvistica etc. loquuntur (11), aut demum praeter opera, ex quibus Pentateuchus coaluisse statuitur, fragmenta nonnulla a iunioribus operi inserta esse declarant[1]. Num cum vera scientia congruat consentiatque hic rerum tractandarum modus, ipsi videant[2].

b.) Quid porro de inaudita illa licentia dicemus, qua singulas Pentateuchi pericopas in minuta, immo minutissima fragmenta pro arbitratu suo discerpunt? Illud certe non diffitemur, ex dicendi genere

a.) Scriptor, quem De Wette Schrader Elohistam II. vel auctorem theocraticum nominat, a Wellhausen aliisque Elohista simpliciter appellatur; quia suppositum opus Elohistae I. vel auctoris annalistici sub nomine codicis sacerdotalis (P C) vel libri quatuor foederum redacti (R Q) allegare solent.

b.) Fundamentum enim eis esse non posse nomina divina iam ostendimus, atque ipsi ex parte saltem concedunt, siquidem Elohistam II. ab Elohista I. distinguunt, quamvis ab utroque nomen Elohim adhibeatur.

styloque, atque etiam, si vis, ex argumento tractato interdum scriptores posse distingui; verum ut id iure fiat, scriptum aliquod continuum habeamus oportet. Nostri autem adversarii Elohistae I. et II. et Iahvistae stylum et argumenta tam accurate cognoverunt, ut qui versus, quae versuum partes, quae vocabula ex eorum operibus sint desumta, sine ulla haesitatione discernant atque illa quoque indicent, quae ultimus redactor ex suis addidit. Ex. gr. ad *Gen.* 13. componendum omnium trium opera requirebantur; etenim Elohistae I. debemus vv. 6 et 11 b-12 b[a], Elohistae II. vv. 2. 3. 5. 7 a. b. c. 8-10 a. b. e. 11 a. 12 c. 18 a. b., Iahvistae demum 1. 4. 7 d. 10 c. d. 13-17. 18 c. Interdum redactorum labor fuit admodum difficilis; narratio ex. gr. de exploratorum reditu (*Num.* 13,25-33) satis facile fluere videtur neque suspicaris, quam laboriosa fuerit eius compositio; verum enim opus tessellatum vel potius vermiculatum constituunt pauci illi versus, quippe quorum minutas particulas ex tribus libris conquisitas tanta cum arte redactor coniunxerit, ut summa dumtaxat nostrorum « criticorum » sagacitas singulas tessellas detegeret. Hac enim fere ratione, si redactorem omittimus, tibi versuum illorum compositionem repraesentare poteris. Elohista I., uti decuit, narrationem inchoavit et scripsit v. 25, cui Elohista II. 26 a. addidit; atque dein per vices scripserunt duo Elohistae: I. 26 b. c., II. 26 d., I. 26 e, II. 26 f. et 27 a. Accessit autem Iahvista, ut sua quoque adderet, at ultra 27 b. non est progressus, statim enim Elohista II. 27 c. 28 et 29 a. adiecit. Secunda vice Iahvista incipiens scripsit 29 b, at Elohista II., qui nondum omnia dixerat, ei stylum eripuit, ut scriberet 30. 31; quibus terminatis locum cessit Elohistae I., qui addidit 32. 33 a. Tertia vice incepit Iahvista addiditque 33 b., sed Elohista I. scriptis 33 c. d. narrationi finem imposuit. Interdum redactor, ut unum solum versum componeret, omnia tria opera consulere debuit. Ab Elohista I. desumsit *Num.* 16,27 a. et ab Elohista II. eiusdem versus alteram partem (27 b.), at nomina « Dathan et Abiron » desumsit ex iahvistico opere iisque insertis versum complevit[3]. Num seria agere, an iocari videntur « critici » nostri?

c.) Non parum gloriantur hodie adversarii nostri, quod in singulis illis partibus et particulis inter suos Elohistas et Iahvistam distribuendis tam concordes sint; immo suum consensum pro argumento afferunt, quo vera esse principia, quibus ducuntur, demonstrent[4]. Attamen plenus inter eos consensus in paucissimis reperitur, atque maiore forsitan cum iure eorum dissensum falsitatem principiorum demonstrare dixerimus. Sed hac quaestione omissa, quippe qua nihil certi definiatur, siquidem etiam consentaneo falsorum principiorum usu

a.) Literis a., b., c. etc. singulae versuum phrases distinguuntur.

consensus quidem effici potest, id unum interrogemus, num ea demum ratione, qua volunt, ad varia illa documenta pervenerint, quae continuas eorundem factorum relationes contineant. Pro exemplo sui consensus praesertim nobis offerunt accuratam distinctionem duarum relationum de diluvio. En quam accuratam narrationem tradat Iahvista:

6,5-8. Videns autem Deus, quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, poenituit eum, quod hominem fecisset in terra; et tactus dolore intrinsecus: Delebo, inquit, hominem quem creavi a facie terrae, ab homine usque ad animantia, a reptili usque ad volucres coeli; poenitet enim me fecisse eos. Noe (*Quis Noe? Noe enim non est nominatus nisi* 5,28-32, *in capite, quod Elohistae datur*) vero invenit gratiam coram Domino (*Cur? Nam vers.* 9., *qui rationem dat, est elohisticus*). 7,1-5. Dixitque Dominus ad eum: Ingredere tu et omnis domus tua in arcam (*In quam arcam et cur in arcam? nam* 6,9-22, *ubi de futuro diluvio et de constructione arcae agitur, iterum pertinent ad Elohistam*); te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolle septena et septena, masculum et feminam; de animantibus vero immundis duo et duo, masculum et feminam. Sed et de volatilibus coeli septena et septena, masculum et feminam, ut salvetur semen super faciem terrae. Adhuc enim et post dies septem ego pluam supra terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus, et delebo omnem substantiam quam feci de superficie terrae. Fecit ergo Noe omnia, quae mandaverat ei Dominus. 7,10. Quumque transissent septem dies, aquae diluvii inundaverunt super terram. 7,12. Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. 7,16 b. Et inclusit eum Dominus deforis (*Quis inter* 7,12 *et* 7,16 *b nexus? Quemnam Dominus inclusit? De Noe in arcam ingresso rursus solus Elohista* 7,13*a loquitur. Numquid non nisi post quadraginta dies Noe inclusus est?*). 7,17. Factumque est diluvium quadraginta diebus super terram et multiplicatae sunt aquae et elevaverunt arcam in sublime a terra. 7,23. Et delevit omnem substantiam, quae erat supra terram ab homine usque ad pecus, tam reptile quam volucres coeli; et deleta sunt de terra (*Quomodo id fieri potuerit, solus rursus docet Elohista aquarum altitudine descripta* 7,18-22); remansit autem solus Noe et qui cum eo erant in arca. 8,2 b-3 a. Et prohibitae sunt pluviae de coelo reversaeque sunt aquae de terra euntes et redeuntes. Quumque transissent quadraginta dies (*A quo termino illi numerandi sint, solus iterum scivit Elohista* 8,3 b-5), aperiens Noe fenestram arcae dimisit corvum... (deinde bis columbam, quae secunda vice rediit) portans ramum olivae virentibus foliis in ore suo. Intellexit ergo Noe quod cessassent aquae super terram; exspectavitque nihilominus septem alios dies et dimisit columbam, quae non est reversa ad eum. 8,13 b. Et aperiens Noe tectum arcae aspexit viditque quod exsiccata esset superficies terrae. 8,20-22. Aedificavit autem Noe altare Domino (*Ubinam? numquid in arca? etenim etiam de egressu Noe ex arca solus Elohista loquitur* 8,14-19), et tollens de cunctis pecoribus et volucribus mundis obtulit holocaustum etc.

Quam parum cohaereat haec narratio, etiam caecutiens videt, et tamen laudatur Iahvista ob artem, qua omnia clare et perspicue describat et quasi ad vivum depingat (gewandt, anschaulich, lebendig schildernd)! Melior quidem, licet non completus, est nexus in suppositi Elohistae narratione; at difficile non est, ex omnibus narrationibus nonnulla ita

praetermittere, ut nexus non turbetur[5]. Difficultatem hanc effugere conantur adversarii monentes, ex duabus relationibus olim completis redactorem suam narrationem ita hausisse, ut illa, quae in utraque legebantur, semel tantum referret; mirum ergo non esse, quod reliquiae in Pentateucho conservatae non ubique aptum nexum exhibeant. Quae optime quidem dicuntur; docent enim adversarios *gratis* omnino duas relationes olim completas *supponere*, siquidem ne unam quidem integram nobis exhibere possunt. At graviore iam difficultate hodie premuntur. Ultimis his annis ex inscriptionibus, quae cuneiformes dicuntur, innotuit nobis chaldaica diluvii descriptio, quae, si polytheisticas eius opiniones praetermittimus, tantam habet cum nostra affinitatem, ut de primitiva utriusque relationis identitate non sit dubitandum[6], atque nostri rationalistae chaldaicam illam narrationem archetypum esse velint, ex qua biblica narratio sit derivata[7]. At mirum, quod in illo archetypo supposito omnes illas partes legamus, quas Iahvistae attribuunt nostri « critici », simulque illas, quas elohisticas dicunt, atque eodem quidem ordine, quo eas in Genesi habemus. Admittant igitur oportet « critici », primum ab Elohista aliquas istius archetypi partes esse electas, ut suam narrationem conficeret, deinde ab Iahvista ex partibus relictis alteram narrationem esse factam, demum a Pentateuchi redactore elohisticam et iahvisticam narrationes tam apte esse coniunctas et intermixtas, ut iterum plenus cum archetypo exortus sit consensus[8]. Num rationalistae, qui ab omnibus miraculis abhorrent, hoc miraculum concedent?

1. Ita ex. gr. *Wellhausen* (Prolegom. z. Gesch. Israels p. 8) cum *Kuenen* praeter *RQ* (seu *P*) et *IE* admittenda esse declarat « zwitterhafte oder posthume Elemente, die sich nicht einfach der einen oder andern Schicht zuweisen lassen », « eingeschaltete Nachträge, die sich parasitisch einem andern Zurammenhang angesetzt haben ». Multo plura eiusmodi additamenta, quae cum *IE*, *P* et *D* coaluerint, *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896 p. 60 sqq. 78) aliique iuniores inveniunt.

2. Non ignoramus quidem omnes illos, qui de his « criticorum » *effugiis* rident, « nomine virorum eruditorum indignos » declarari (Cfr *Strack* in Herzog P. R. E. Ed. 2, XI. p. 442 : « Geradezu unwissenschaftlich müssen wir es nennen, dass Keil die Annahme eines zweiten Elohisten und die des Vorkommens von Glossen und Textänderungen für *Nothbehelfe* erklärt, zu denen *die Kritik sich genöthigt sah* » cfr 11. n. 1), at scimus etiam asserta non esse argumenta. Iam ante plus sexaginta annos ipse *Eichhorn*, unus ex systematis patribus, circulum hunc vitiosum suspicatus est, acriter disputans contra eos, qui Elohistam II. introducere conabantur, sed non perspiciens suum ipsius systema eodem vitio laborare. (Einleitung Ed. 4. III. p. 43 sq. : « Wie oft müssten nicht *der Voraussetzung der zweiten Elohisten wegen* einzelne Sätze ausgelassen, oder Iehova in Elohim oder umgekehrt Elohim in Iehova verwandelt werden, *ohne dass ein anderer Grund dafür vorhanden wäre* ausser dem, dass von Gott in einem Abschnitt, der dem zweiten Elohisten oder dem Iehovisten beigelegt werden sollte, nicht Iehova oder Elohim stehen dürfe... Wie oft müsste nicht Iacob *aus blosser Con-*

jectur in Israel verwandelt werden, damit nur der *angenommene* Character des zweiten Elohisten, der durch den Gebrauch des Namens *Israel* für Iacob ausgezeichnet sein sollte, aufrecht erhalten würde » etc.)

3. Ita *De Wette Schrader* Einl. p. 275. 289 sq.; similia exempla satis frequentia penes alios habentur.

4. *Strack* l. c. p. 443; *C. Budde* die bibl. Urgeschichte. Giessen 1883. Cfr *Flunk* in Innsbr. Zeitschrift. 1885. p. 480 : « Wellhausen und Budde pochen auf die Quellenscheidung in der Sintfluthgeschichte als auf ein Meisterstück der neuern Exegese und Kritik ».

5. Cfr quae de supposita Elohistae relatione egregie disserit *Flunk* l. c. 1885. p. 626 sqq.

6. *G. Smith* Chaldean account of the deluge. London 1873.; *G. Smith's* Chaldaeische Genesis, übers. von Delitzsch. Leipzig 1876.; *E. Schrader* Keilinschriften und das A. T. Giessen 1883. (p. 55 sqq. *P. Haupt* Der keilinschriftliche Sintfluthbericht); *Fr. Lenormant* Les Origines de l'histoire. Paris 1880. App. 5. etc. Cfr etiam *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes. Paris 1879. I. p. 229 sqq.; *de Hummelauer* Die Sündfluthsage der alten Chaldaër. Stimmen aus M. Laach 1874. VI. p. 117 sqq.; *Kaulen* Assyrien und Babylonien, Freiburg 1882. p. 155 sqq.

7. *Schrader* Keilinschr. u. A. T. p. 46. 54. Iuxta *Fr. Delitzsch* et *P. Haupt* utraque relatio tempore exsilii ex chaldaica narratione est confecta (!!).

8. Cfr *Bickell* Innsbr. Zeitschr. f. kath. Theol. 1877. I. p. 129 sq., *Vigouroux* l. c. p. 251 sqq.; *Flunk* l. c. p. 634. — Totam documentorum hypothesin eiusque argumenta fuse impugnat *E. Rupprecht* (D. Rätsel des Fünfb. 1894. p. 30-126; Des Rätsels Lösung II. 2. 1897. p. 24 sqq.), atque cum *Green* (The Evangelist. Mai 1884) ostendit, quomodo eadem ratione parabola de filio prodigo et narratio de Samaritana aut alia scripta sacra et profana diversis auctoribus facillime attribuantur.

37. — 2. Sed iam ad singula veniamus.

a.) Ad dicendi genus quod attinet, Delitzsch octo vocabula affert, quae Elohistae propria esse declarat, de Wette Schrader autem duodecim enumerat[1]. Nonne mirum est, quod in tam magno opere octo vel duodecim vocabulis diversum esse dicendi genus definiatur? Simili argumento, nisi omnia nos fallunt, non tantum omnes Ciceronis orationes diversis oratoribus attribuere, sed in singulis quoque orationibus varios auctores distinguere possumus. At paucis illis vocibus, quas ipsi attulerunt, multoque pluribus, quas alii collegerunt, diversum dicendi genus non demonstratur, nisi pro praecepto statuatur, scriptori non licere vocabula synonyma adhibere eumque, etiam si de diversis argumentis tractat, eisdem semper vocabulis uti oportere. Quid vero dicemus, si singula examinaverimus?

Delitzsch et de Wette Schrader Mesopotamiam ab Elohista semper פַּדַּן אֲרָם, a Iahvista אֲרַם נַהֲרַיִם vocari asserunt. Si responderis *Paddan Aram* etiam *Gen.* 33,18 legi, quod caput iahvisticis accensetur, Delitzsch definit, Gen. 32,2-33,17 quidem esse pericopen iahvisticam, at 33,18. 19. esse elohisticos versus, eosque, qui sequuntur, mixti characteris; De Wette Schrader autem 33,1-

17 suo Elohistae II. adscribit, 33,18. 19 autem Elohistae I.,« QUIA occurrit Paddan Aram »; in 33,19 deinde Iahvistam duo vocabula (אבי שׁכם) inseruisse et v. 20 adiecisse docet. Nonne nugantur viri docti? Attendas velim, *Aram Naharaim*, quod Iahvistae proprium et characteristicum esse dicitur, in tota Pentateuchi parte, de qua agitur, *semel* dumtaxat (*Gen.* 24,10) adhiberi[2], atque etiam sensu suo a *Paddan Aram* differre. *Aram Naharaim* enim (Aramaea duorum fluviorum vel interamnis) est integra regio, quae inter Euphratem et Tigrin sese extendit quamque nomine graeco Mesopotamiam appellamus; *Paddan Aram* autem (planities Aramaeae), quod nomen *in sola Genesi* novies nec unquam in reliquis libris adhibetur, planitiem Mesopotamiae illam designat, quae oppidum Haran circumiacet, ex quo oppido Abraham in Chanaan migravit et in quo parentes eius remanserant; quapropter in sola patriarcharum historia usurpari potuit[3]. — Item Delitzsch et de Wette Schrader a solo Elohista adhiberi asserunt vocabulum אחזה (possessio); at idem legitur *Gen.* 48,4, quod integrum caput Iahvistae adscribit Delitzsch, et *Num.* 32,5. 22. 29. 32., quod caput a de Wette Schrader iahvisticum censetur; si autem addit, Iahvistam in his versibus ex elohistico exemplari vocabulum אחזה retinuisse, difficultatem non solvit, sed fugit. — Uterque למינו et למינהו (secundum genus suum), quod saepius in historia creationis (1,11. 12 etc.) et diluvii (6,20; 7,14 etc.) et aliquoties in legibus de ciborum distinctione (*Lev.* 11,14 sqq. *Deut.* 14,13 sqq.) legitur, Elohistae characteristicum esse dicunt; sed num expressio haec, quae significatione sua ita est comparata, ut non nisi paucis in locis, ubi sermo est de animalium speciebus, apte adhibeatur, iure dicitur esse terminus characteristicus? — Uterque phrasin פרה ורבה (fecundus fuit et multiplicatus est) a solo Elohista usurpari asserunt; quapropter *Gen.* 47,27, quamvis omnes praecedentes et sequentes versus a Delitzsch Iahvistae et a De Wette Schrader Elohistae II. attribuantur, solus Elohistae I. esse asseritur. Sed expressio haec etiam legitur *Levit.* 26,9, licet integrum fere illud caput (26,3-45) Elohistae I. a De Wette Schrader et Knobel abiudicetur et a Dillmann Iahvistae attribuatur. — Secundum De Wette Schrader Elohista I. adhibet זכר ונקבה (masculum et feminam), Iahvista vero איש ואשה (vir et mulier); sed prior locutio etiam *Gen.* 7,3,9; *Deut.* 4,16 in pericopis legitur, quas iahvisticas dicit adversarius noster, altera in partibus (*Exod.* 36,6; *Lev.* 13,29. 38; *Num.* 5,6), quas elohisticas dicit. Ceterum locutiones hebraicae, aeque ac latinae, sensu suo ita differunt, ut omnibus in locis apte non adhibeantur. — Idem dicendum de vocabulis הקים ברית et כרת ברית, quae priora elohistica, altera iahvistica dicuntur; nam altera significant « foedus *ferire* » (*Gen.* 15,18; 26,28), priora autem « foedus *stabilire* » i. e. ea, quae pacta sunt, *exsequi* (cfr *Lev.* 26,9; *Deut.* 8,18); quapropter expressio כרת ברית etiam in partibus non iahvisticis legitur. Sed quid plura[4]? Exemplis satis constat, infelici manu adversarios nostros sua argumenta elegisse; verum etsi aptiora

invenissent, ob rationem supra indicatam nihilominus rem suam non evicissent.

b.) Elohistae I. stylus diffusus eiusque narrationes repetitionibus plenae esse dicuntur; sed lege, quaeso, narrationem diluvii, quam Iahvistae adscribunt, supra excerptam et non obstante eius brevitate repetitiones abundare videbis. Lege quoque narrationes de lapsu protoparentum (*Gen.* 2. 3.), de separatione Abrahae a Lot (*Gen.* 13), de Rebeccae desponsatione (*Gen.* 24) aliasque bene multas, quae omnes pure iahvisticae dicuntur, easque invenies non parum verbosas et repetitionibus refertas. Ac profecto quomodo fieri potuit, ut unus Iahvista communi historiographorum semiticorum charactere careret, qui omnes verbosiores esse solent? — Porro genealogiis delectari dicitur Elohista; sed prima genealogia, quae refertur (*Gen.* 4,17 sqq.), ab omnibus Iahvistae attribuitur, nonnullae aliae autem consuetis artibus ei abiudicantur. Etymologiis ludere asseritur Iahvista; quapropter *Gen.* 10,25 ei adscribendus est, quamvis omnia quae praecedunt et sequuntur elohistica esse dicantur; *Gen.* 25,7-26 autem ita inter Elohistam et Iahvistam sunt distribuenda, ut prioris sint 7-20 et 26 b., sed alterius 21-26 a., idque ob eam solam rationem, quia etymologiam continent. Nihilominus remanet *Gen.* 35,18, quem Iahvistae adscribere obliti sunt, et *Gen.* 21,6, ne Elohista I. etymologiis luderet, datus est Elohistae II.

c.) Tertio loco veniunt diversae Elohistae et Iahvistae opiniones religiosae et historicae. Difficile quidem non est, diversitatem quandam inter partes iahvisticas et elohisticas *creare*, si a priore definiatur, quid Iahvista et quid Elohista senserit, atque secundum hanc definitionem praestabilitam pericopae distribuantur. Quia primum sacrificium *Iahvae* oblatum legitur (*Gen.* 4,3), velut principium statuitur solum Iahvistam altaria et sacrificia in pristinis temporibus cognovisse, Elohistam ea ignorasse; omnes igitur loci, in quibus de sacrificiis sermo est, elohistici esse negantur. Sunt quidem eiusmodi loci, in quibus solum aut fere solum nomen *Elohim* adhibetur, at haec difficultas ab adversariis facile solvitur; nonne suum Elohistam II. habent, cui istos locos attribuere possint, ut Elohista I. in sua ignorantia relinquatur? Itaque *Gen.* 22, 1 sqq. (sacrificium Isaaci), 35,1 sqq. (sacrificium Iacobi in Bethel) tribuuntur Elohistae II. Simili modo etiam agunt in mundorum et immundorum animalium distinctione, quam a Iahvista priscis temporibus affictam esse docent, ac si distinctio illa esset res recenter inventa. Num forte Indi quoque, Persae, Chananaei, Aegyptii aliique populi orientales tantum non omnes, quos animalium distinctionem fecisse constat, eam a Iahvista didicerunt? Annon rectius ex hoc populorum consensu concludimus, eam esse Moyse antiquiorem, id quod docet Pentateuchus [1]? In genere Iahvista leges leviticas priscis temporibus affinxisse, Elohista autem eas ignorasse asseruntur. Nihilominus Elohista primus loquitur de sabbathi sanctificatione (2,3), de esu sanguinis prohibito (9,4), de circumcisione velut foederis signo (19,7 sqq.); nam haec omnia Elohistae II. suo nondum tribuerunt nostri « critici ». — Ad historicas opiniones quod attinet, Iahvistam artes iam primis temporibus cognitas asseruisse dicunt; attamen Elohistae attribuunt descriptionem de arcae noachicae fabricatione,

quae procul dubio artes illas a Iahvista commemoratas et multo plures supponit. Iahvista etiam *splendore* mythico pristina tempora exornasse dicitur; num forte ideo narravit protoparentum lapsum (*Gen.* 3.), Caini fratricidium (4,1 sqq.), Noae ebrietatem (9,21) aliaque eiusmodi ornamenta? Elohista priscos homines docet perfectiores fuisse, ideo procul dubio scripsit « omnem carnem corrupisse viam suam super terram » (6,12).

Quomodocunque se vertunt et torquent adversarii, nisi plane arbitrario modo procedere omniaque sursum deorsum versare velint, veram differentiam inter scriptores, quos fingunt, nunquam invenient. Primum igitur eorum munimentum tantum abest, ut infirmum et labile eorum fundamentum corroboret, ut illud infirmet potius et labefactet.

1. *Delitzsch* Comm. zur Genes. Ed. 4. p. 30. 60 sqq.; *de Wette Schrader* Einl. p. 571. Qui aliorum exempla cognoscere desiderat, consulat *Keil* Einl. Ed. 3. p. 151 sqq. Argumenta a *Wellhausen* (Proleg. p. 409 sqq.) ex Gen. 1. collecta funditus evertit *Flunk* (l. c. p. 612 sqq.); contra *Koenig* (Einl. 1893. p. 168 et Luth. Theol. Literaturbl. 1895. n. 49), qui cum Wellh. acriter urget, quod pron. אֲנִי ab Elohista et pron. אָנֹכִי a Iahvista praeferantur, egregie disputat *Rupprecht* (des Räts. Lösg. II. 5. 2. 1897. p. 64 sqq.). Egregie quoque de dictionis pentateuchicae unitate agit *Green* Feste der Hebr. 1894. p. 211-149.

2. Adhibetur quidem etiam *Deut.* 23,5; sed iure omittimus istud testimonium, quoniam adversariis nostris Deuteronomista ab Iahvista et Elohista diversus est. Ceterum eo in loco *Paddan Aram* adhiberi non potuit, quia Pethor, patria Balaam, in *planitie aramaica* non erat sita.

3. *Delitzsch* l. c. p. 61 diversam nominum significationem non negat.

4. Cfr *Haneberg* Relig. Alterthümer der Bibel. Ed. 2. München 1869. p. 11., qui animalium purorum et impurorum distinctionem apud antiquos Indos ex legislatione Yag'navalkyae (ed. Stenzler. Berlin 1849. 168. 172 etc.) et apud Persas ex legislatione zendavestica (ed. Spiegel. Vendidad, Fargard V. sqq.) adfuisse demonstrat. De Aegyptiis cfr *Herod.* II. 47, *Horapol.* 1,14, *Orig.* c. Cels. V. 41 (M. 13,1245) etc.; de Phoenicibus cfr *Herodian.* V. 6. 21 etc. Quaenam est antiqua gens, quae in sacrificiis suis delectum animalium non fecerit, aliaque sacrificiis apta, inepta alia aestimaverit? Animadvertas autem Hebraeorum leges de immundis animalibus differre ab omnium aliarum gentium legibus; quare omnis excluditur suspicio, Hebraeos in sua lege imitatos esse alias gentes. (Cfr *Koenig* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XII. p. 628 sq.)

38. III. At non tantum differentias sed CONTRADICTIONES IN NARRATIONIBUS ET IN LEGIBUS Pentateuchi inveniunt moderni « critici », ideoque varios scriptores iure distinguere sibi videntur. Atque simile argumentum EX REPETITIONIBUS desumunt.

1. Ut ab ultimis his inchoemus, eandem rem gestam fere eadem ratione in Pentateucho bis terve narrari monent, id quod apte non explicetur, nisi statuatur, compilatorem Pentateuchi varias de eadem re relationes a diversis scriptoribus conscriptas sine ulla crisi in opus suum recepisse. Revera admiranda est eorum sagacitas, qua post plus tria millia annorum repetitiones, quae usque ad nostram aetatem omnes interpretes fugerant, feliciter detexerint. Merito igitur iis gratias

agamus oportet, quod nunc non amplius credere tenemur, Israelitis carnes in deserto bis petentibus Deum bis coturnices mirabiliter misisse aut sitientibus bis aquam e rupe dedisse[1]. Quis enim non videt quadraginta annorum spatio fieri non potuisse, ut Israelitae bis carnes desiderarent aut bis sitirent, aut bis sua desideria a Deo viderent expleta? Immerito etiam hucusque credidimus, Deum foedus cum Abraham prius pepigisse et non nisi postea circumcisionem pro foederis signo statuisse promissionemque antea datam accuratius determinasse (*Gen.* 15,1 sqq.; 17,1 sqq.); haec enim omnia eodem tempore facta sunt, sed alio modo ab Iahvista (15,1 sqq.) alio ab Elohista (17,1 sqq.) descripta compilator velut diversa diversis temporibus attribuit. Neque Sara a Pharaone et iterum ab Abimelech Abrahamo ablata est, ac multo minus simile quid Rebeccae erat timendum; nam quamquam tres narrationes in omnibus fere prorsus differant atque maxime ea, quae de Rebecca traduntur, a prioribus relationibus omnino discrepent, firmiter tamen credere iubemur, semel dumtaxat tale quid accidisse et unici facti tres relationes a compilatore esse receptas[2]. Item cave, ne credas Hagari, antequam Ismaelem peperit et aliquot annis postea angelum in deserto apparuisse; quis enim sibi persuaserit, bis eidem mulieri angelum apparere potuisse (*Gen.* 16,7 sqq.; 21,9 sqq.)? Porro si Abraham cum Abimelech foedus pepigisse narratur (21, 22 sqq.), quis unquam crediderit, etiam Isaacum cum Abimelech aliquo foedus iniisse (26,26 sqq.)[3]? Equidem facere non possum, quin de gravitate rideam, qua moderni interpretes haec et similia afferant, neque unquam asserta sua argumentis demonstrare conentur; quae vero gratis asseruntur, gratis negantur.

1. *Exod.* 16,13 sqq.; *Num.* 11,30 sqq.; *Exod.* 16,1 sqq.; *Num.* 10,1 sqq.
2. *Gen.* 12,10 sqq.; 20,1 sqq.; 26,6 sqq. Etiam *Delitzsch* (Comment. ü. d. Gen. Ed. 4. p. 347 in Gen. 20,1 sqq.), etiamsi bis in Abrahae vita simile factum occurrere potuisse non neget, probabile tamen habet, eiusdem rei gestae nos habere duas relationes; at argumentum, cui haec probabilitas innitatur, non affert. De tertio facto rectius iudicat (l. c. p. 385), quum fateatur : « man sieht dass unser Erzähler von ihrer Verschiedenheit überzeugt war ». Multo magis mirum est, quod tres has relationes de eadem re gesta explicent « critici », quia ipso *De Wette Schrader* (l. c. p. 275) primam et tertiam narrationes Iahvistae, secundam autem Elohistae II., i. e. Iahvistae velato, ac proin « errorem » non redactori sed primo narratori attribuunt.
3. Alias repetitiones enumerat et explicat *Welte* Nachmosaisches p. 111 sqq.

2. Gravius est, quod eadem facta ita bis narrari dicantur, ut relationes inter se pugnent. Ingentem narrationum numerum congesserunt, quas contradictiones continere asserunt, sed longe plerasque, quippe quae prudenti lectori ne minimam quidem creent difficultatem, silentio praetermittere licet. Quis enim haerebit, si Noe ex cunctis

animantibus bina (masculum et feminam) in arcam secum sumere iubetur, et immediate postea praeceptum ita definitur, ut bina immunda, munda septena (paria) arcam ingrediantur (6,9; 7,2)? Aut si Deus promissionem de non iterando diluvio prius datam postea fusius et accuratius repetit (8,20-22; 9,8-17)? Aut si Iacob, licet ius primogeniturae ab Esau emerit, tamen patris benedictionem fraude obtinere studet (25,27 sqq.; 27,1 sqq.)? Aut si idem a parentibus in Mesopotamiam mittitur, ut uxorem sibi quaerat, sed etiam ob timorem fratris eo fugisse dicitur (27,26 sqq. 41-45)? Aut si divitias suas benedictioni divinae adscribit, industriam vero a se adhibitam tacet (31, 6 sqq.; 30,35 sqq.)? Aut si nomen eius mutatur, atque mutatio haec postea sollemni modo confirmatur[4] (32,22 sqq.; 33,10)? Aut si negotiatores, quibus venditur Ioseph, Madianitae et postea Ismaelitae appellantur (37. 25. 27; 39,1)? Qui has et satis multas eiusdem generis differentias enumeratas legerit, profecto dubius haerebit, utrum magis stupeat adversariorum nostrorum diligentiam, qua vel levissimas differentias investigarunt, an eorum scrupulositatem, qua differentias, quae sine ullo negotio optime conciliantur, apertas esse contradictiones asserere non dubitant. Paucas enumeremus, quae aliquantulum maioris sunt momenti.

a.) Ab omnibus fere urgentur differentiae et contradictiones, quae in duplici relatione de creatione (*Gen.* 1,1-2,3 et 2,4 sqq.) legantur. Triplici scilicet ratione inter se pugnare dicuntur: Elohista creationem animalium ante hominis creationem ponit (1,20-26), Iahvista vero post creationem viri et ante creationem mulieris (2,18 sqq.). Secundum Elohistam plantae immediate a Deo creatae sunt (1,11 sq.), at secundum Iahvistam herbarum productio dependet a pluvia et a labore hominum (2,5); Elohista hominem *creatum* dicit ad similitudinem Dei (1,27), at Iahvista hanc similitudinem derivat a boni et mali cognitione[5]. — Tertia haec difficultas ex iis est, quae refutatione non indigent; etenim non auctor libri, sed serpens hominem boni et mali cognitione ad Dei similitudinem vel potius aequalitatem perventurum promittit. Ad duas alteras quod attinet, praeprimis duas relationes de creatione in Genesi tradi negamus; inde enim a 2,4 de paradisi plantatione deque hominum in paradiso degentium historia loquitur Moyses; quare tota difficultas erroneae textuum interpretationi innititur. Animalium creationem 2,18 sqq. non secundum temporis rationem post viri creationem esse positam, S. Hieronymus optima sua versione iam expressit; siquidem is Hebraeorum modus est narrandi, ut temporis ordine neglecto interdum ea coordinent, quae nos temporibus accuratius indicatis subordinamus[6]; quapropter 2,19 non est vertendum: « et formavit Deus », sed aut « et formaverat » aut cum S. Hieronymo « formatis igitur » etc. Neque plantarum immediata creatio Deo abiudicatur, quoniam non de prima earum creatione, sed de naturali earum propagatione sermo est.

« Optima, inquit iam *Bonfrerius* (in 2,4. 5), iuxta versionem nostram est illa ratio, cur plantae illae naturaliter nasci non possent, quia nimirum neque pluvia fuerat hactenus, neque homo, qui terram coleret, quae duo ad naturalem plantarum arborumque generationem fere concurrunt ». Attendas quoque velim 2,4. 5 de omnibus plantis non fieri sermonem, sed de עֵשֶׂב הַשָּׂדֶה et שִׂיחַ הַשָּׂדֶה, quibus nominibus (virgultum *agri*, herba *agri*) eae plantae designantur, quas homo plantat excolitque. Hic igitur est nexus inter 1,1-2,3 et 2,4 sqq., ut in prooemio totum creationis opus sex diebus absolutum describatur, inde a 2,4 autem generis humani historia inchoetur. Quae quoniam primo homine creato, i. e. sexto creationis die, initium suum habuit, auctor 2,4 sqq. ad illum diem revertitur creationemque hominum, quam summatim 1,26 indicaverat, accuratius enarrat; scilicet primo Deum creasse virum solum, eumque posuisse in paradisum, deinde quum inter animalia antea creata ei inventa non esset adiutrix, mulierem formasse : haec quippe omnia ad historiam humani generis pertinent.

b.) *Gen.* 26,34 et 28,9 tres Esau uxores nominantur Iudith, filia Beeri Hethaei, Basemath filia Elon Hethaei, Maheleth filia Ismael; *Gen.* 36,2 autem etiam tres eius uxores enumerantur, sed aliis nominibus : Ada filia Elon Hethaei, Oolibana filia Ana filii Sebeon Hevaei, Basemath filia Ismael. Similitudines, quae in utriusque relationis nominibus adsunt, difficultatem non parum augent, quandoquidem de iisdem mulieribus sermonem esse demonstrant[7]. — Ante omnia adnotemus non obstante hac nominum differentia omnes tres versus (26,34; 28,9; 36,2) eidem scriptori, sc. Elohistae I, ab adversariis attribui[8]; perperam igitur afferuntur ad diversos Geneseos auctores demonstrandos. Secundo autem loco fateamur oportet, difficultatem apte non solvi, nisi ad codicum corruptiones, quas in nominibus propriis frequentissimas esse iam S. Hieronymus conqueritur[9], et ad nominum propriorum mutationem, quam apud Orientales haud raram esse multa exempla docent, confugiamus. Codicum corruptioni adscribimus, quod filia Elon Hethaei pro Basemath (26,34; 28,9) sit vocata Ada (36,2), et nomen Basemath tertiae uxori, filiae Ismael, attributum, quae nominanda erat Maheleth. In solius igitur secundae mulieris nomine veram adesse difficultatem censemus, quum uno in loco Iudith, filia Beeri Hethaei, altero in loco Oolibama, filia Ana filii Sebeon Hevaei nominetur, ita ut non sola nomina mulieris sint diversa, sed etiam nomina patris, immo tribus, ex qua erat oriunda. Sed Hevaei et Horraei communi nomine Hethaei appellabantur (*Ios.* 1,4 etc.), quare ultima differentia immerito urgetur. Ad patrem quod attinet, ex 36,24 cognovimus Ana quendam, filium Sebeon Horraei, qui in deserto aquas calidas invenisse refertur, atque facile concedetur eum ob hoc factum, quod in traditione conservari meruit, nomine *Beeri* (*exploratoris fontium*) esse insignitum. Hic quidem Ana vocatur Horraeus, Ana autem pater Oolibama Hevaeus, sed propter codicum, ut videtur, corruptionem; ob literarum enim ו et ר similitudinem חוי et חרי facile permutantur. Quapropter si admittimus, Iudith, filiam Anae, qui cognominatur Beeri, ex Horraeorum tribu, in matrimonio cum Esau ineundo nomen Oolibama

(« tentorium meum excelsum est ») assumsisse, discrepantiae omnes disparent. Neque nobis deest fundamentum, si hanc nominis mutationem admittimus; *Ezechiel* (23,4) enim quum regnum *Iuda* (יְהוּדָה) appellet *Oolibah* (« tentorium meum in ea est »), ad duplex hoc unius mulieris nomen *Iudith* et *Oolibama* alludere videtur.

c.) Minor est in eo difficultas, quod secundum *Exod.* 2,18. 21 *Raguel* filiam suam Moysi uxorem dederit, *Iethro* autem Moysis socer (חֹתֵן) vocetur (*Exod.* 3,1; 4,1; 18,1) atque postea *Hobab* quoque, filius Raguel, nominetur חֹתֵן Moysis (*Num.* 10,29)[10]. Nam vocabula hebraica, quae consanguinitatem vel cognationem designant, late solent patere, et sicut חָתָן vocatur *sponsus* (respectu sponsae) et *gener* (respectu patris sponsae) et *cognatus* (respectu aliorum sponsae consanguineorum), ita חֹתֵן et *socerum* (patrem uxoris) et *cognatum* (fratrem uxoris) designare recte statuitur. Quare dicendum videtur, Raguelem, patrem Iethronis et avum Hobabi et Sephorae, neptem suam Sephoram, Iethronis filiam, Moysi uxorem dedisse[11].

4. Simili modo etiam duplex origo nominum *Bethel* (28,19 et 35,9 sqq.) et *Bersabee* (21,22 sqq. et 26,17 sqq.) obiicitur (Cfr *Bleek Wellhausen* Einl. p. 64 sq. 68.). At nomen Bethel, quod ante iter in Mesopotamiam susceptum loco isti imposuerat, Iacob reversus sollemniori modo confirmavit. Nomen Bersabee autem ab Abraham iam loco impositum in simili occasione ab Isaac renovatum est. Cfr *Delitzsch* Comm. p. 387, qui quamvis aliis in locis duplices eiusdem facti relationes admittat, hoc loco tamen eam respuit monetque, hodie adhuc duos fontes prope Bersabee inveniri eodemque nomine appellari.

5. Cfr *De Wette Schrader* Einl. p. 264; *Bleek Wellhausen* l. c. p. 66 sqq. Sed lege, quae de hac quaestione optime disputat *Flunk* in Innsb. Zeitschr. 1885. p. 599 sqq.

6. Ex gr. *Is.* 37,1 sqq. Ezechias mittit servos suos ad Isaiam (v. 2.), qui ei verba regis referunt (vv. 3. 4), dein pergit scriptor : « Et venerunt servi regis Ezechiae ad Isaiam et dixit eis Isaias »... Ubi secundum nostrum loquendi modum alia temporum consecutio adhibenda erat. Nostro loco similior est 3 *Reg.* 7,13. Postquam enim c. 6 templi aedificatio completa (6,9. 14. 37) et deinde aedificatio palatii regii (7,1 sqq.) narrata est, pergit scriptor : « Et misit rex Salomon et arcessivit Hiram de Tyro..., qui, quum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus eius, et finxit duas columnas aereas » etc. Sed Hiram iste non tredecim annis post terminatum templum venit, id quod ex 3 *Reg.* 7. deducet ille, qui ad semiticum narrandi modum non attendit, sed ab initio operi invigilavit (2 *Paral.* 2,12). Cfr *Knabenbauer* Stimmen aus M. L. 1874. IV. p. 367. *Keil* Comm. über die Genesis. Ed. 2. p. 52.

7. Cfr *Bleek Wellhausen* l. c. p. 64.

8. Cfr *De Wette Schrader* l. c. p. 275; *Dilmann* Die Genesis erklärt. 1882 p. 363. Solus *Wellhausen* (Composition des Hexateuchs. Skizzen und Vorarbeiten II. Berlin 1885. p. 49 sq.) contra Nöldeke aliosque « criticos » demonstrare conatur, *Gen.* 26,2 Iahvistae deberi; praecipuum autem vel potius solum suum argumentum desumit ex nominum istorum differentia; mera igitur est petitio principii.

9. *S. Hieron.* ad Domn. et Rogat. Praef. in Paralip.

10. *Dillmann* Der Exodus erklärt. 1880. p. 20.

11. Alii vocabulum *Iethro* (יֶתֶר « excellentia », יִתְרוֹ) non nomen proprium, sed honorificum dignitatis fuisse censent atque Raguelis filium Hobab titulo hoc ob sa-

cerdotale suum munus esse insignitum. Quae sententia probabilitate non caret. Ceterum prae oculis semper est habendum, Moysen libros suos proxime Israelitis coaevis destinasse, quibus personae illarumque relationes cognitae erant, dum nos relationes, quae inter illas intercesserunt, non nisi coniecturis magis minusve subtilibus attingimus. Qui autem ad primos librorum mosaicorum lectores animum adverterit, nunquam cum *Dillmann* l. c. dicere audebit, scriptorem, qui *Exod.* 2,18 scripsit, 3,8 scribere non potuisse, « weil er sich völlig missverständlich ausgedrückt hätte ». — De his et aliis repetitionibus et contradictionibus obiectis cfr *Welte* Nachmosaisches im Pentateuch p. 121 sqq.

3. — In legibus quoque pentateuchicis repetitiones et contradictiones inveniri dicuntur, quae complures esse Pentateuchi auctores demonstrent. Ad quam difficultatem solvendam recte monitum est, easdem regulas esse observandas, quae a iurisconsultis in aliorum codicum apparentibus contradictionibus adhibentur[12]. Duae autem regulae fere proponi solent : interdum enim variae leges, quae de eadem re latae esse videntur, si accuratius inspiciuntur, rem sub alia ratione attingunt, ita ut una alteram aut explicet, aut accuratius definiat, aut ad certas causas restringat etc.; interdum autem etiam antiquior lex recentiore mutatur, neque tamen antiquior e codice removetur, quia iuniori explicandae inservit. Quae duae regulae, si ab interpretibus in pentateuchica legislatione explicanda adhibentur, sicut ab omnibus iurisconsultis in Pandectis Iustiniani et a canonistis in Decreto Gratiani explicandis adhibentur, docebunt, nihil omnino obstare, quominus omnes leges pentateuchicae per Moysen dicantur promulgatae. Accedit autem, quod legum codex, qui in Pentateucho continetur, non ad instar modernorum codicum secundum varia argumenta et capita sit dispositus; historica enim est eius indoles, quatenus secundum temporis, quo latae sunt, rationem leges disponit. Quapropter nec quod leges aliquae repetantur, est mirandum, nec quod mutatis populi rebus leges quoque nonnullae mutentur; alia profecto in Deuteronomio, ubi de populo mox in urbibus habitaturo et per regionem late sese dispersuro agebatur, erant praecipienda, alia in prioribus libris, qui proxime populum in deserto peregrinantem et in castris commorantem respiciebant.

Qui ad haec attenderit nec ex legum repetitione, nec ex earum mutatione vel apparente contradictione ad diversos Pentateuchi auctores concludet. Lex de non comedendo sanguine quinquies quidem repetitur, sed ita ut semper aliquid novi addatur, quo accuratius definiatur. *Lev.* 3,17 : « Nec *sanguinem* nec adipem omnino comedetis »; 7,26.27 : « Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis... Omnis anima, quae ederit sanguinem, *peribit* (excidatur) *de populo suo* »; 17,10 : « Homo quilibet de domo Israel *et de advenis*, qui peregrinatur inter vos, si comederit sanguinem... disperdam eum de populo suo »; 19,26 : « Non comedetis (carnes) *cum* sanguine »;

Deut. 12,23 demum tota lex repetitur et denuo inculcatur : « Hoc solum cave, ne sanguinem comedas ». — Simili modo *Exod.* 22,30 prohibetur, ne filii Israel de carne, « quae a bestiis fuerat praegustata », i. e. de carne morticina, comedant; *Lev.* 11,40 statuitur, eum, qui ex carne morticina manducaverit, immundum fore usque ad vesperam; *Lev.* 17,15 praeceptum ad advenas extenditur. — Neque est nuda repetitio ac multo minus contradictio, si *Exod.* 13,2 omne primogenitum Deo sacrum declaratur, 13,11 sqq. 34,19 pueri primogeniti redimendi praecipiuntur, et *Num.* 3,11 sqq. in redemtorum locum Levitae sufficiuntur; — aut si *Exod.* 13,13 et 34,20 primogenitus asini, utpote animalis immundi, aut ove redimendus aut occidendus praecipitur, sed postea *Lev.* 27,27 et *Num.* 18,15 generali lege statuitur, primogenitos omnium animalium immundorum pecunia esse redimendos. — Neque contradictio habetur, si *Exod.* 21,1 sqq. et *Deut.* 15,12 sqq. servum hebraeum septimo servitutis anno libertate donandum praescribunt, *Lev.* 25,39 autem, ubi de anno iubilaeo sermo est, eum usque ad annum iubilaeum servire vult; nam haec altera lex, uti patet, illos servos spectat, qui ultimis sex annis ante iubilaeum in servitutem redacti vi priorum legum ultra iubilaeum retineri potuerunt.

Non paucae quoque, quae inter leges adesse dicuntur, contradictiones interpretationi arbitrariae et erroneae innituntur. Mirum sane esset, si Iudaei nescivissent, num quinque an tria dumtaxat maiora festa quotannis celebrare tenerentur; nostri adversarii vero *Lev.* 23 et *Num.* 28,29 quinque, sed *Exod.* 23,14 sqq., 34,18 sqq. et *Deut.* 16 tria praescripta esse vident, quia non animadvertunt, tria dumtaxat esse, in quibus coram Domino apparere iubebantur, alia praeterea duo, in quibus aeque ac in sabbathis coetus sacri erant celebrandi. Si « criticis » fidem adhibemus, Iudaei nescire poterant, quaenam sacrificia in die primitivorum essent offerenda, Iudaei ipsi autem inter *Lev.* 23,18 sq. et *Num.* 28,27 sq. contradictionem non invenerunt, quia priorem legem de sacrificiis una cum panum primitiis offerendis, alteram de aliis sacrificiis eodem die offerendis agere sciebant. Neque inter *Num.* 4,3. 23. 30. 35. 47 et inter *Num.* 8,23 sqq. contradictionem viderunt Hebraei, quamquam in priore capite levitae inde a trigesimo aetatis anno, in altero inde a vigesimo quinto anno ministerium suum obire iubebantur, quoniam in priore capite sermonem esse de iis levitis sciverunt, qui in peregrinatione res ad tabernaculum spectantes portabant, in altero de omnibus, quibus ministerium coram Deo incumbebat[13]. Quid quod adversarii nostri *Exod.* 12 et 13 duas diversas leges de paschate celebrando et de primogenitis consecrandis dari arbitrentur, non attendentes hanc legem 12,1 a Deo Moysi et Aaroni tradi, 13,3 a Moyse populo promulgari[14]?

12. Cfr *Delitzsch* Comment. über die Genesis. Ed. 4. p. 45.

13. Alii censent priorem legem postea esse mutatam, quia maior levitarum numerus requirebatur; praeferenda autem videtur explicatio supra data.

14. De aliis, quae inveniuntur, contradictionibus cfr *Welte* Nachmosaisches p. 137 sqq.; *Hengstenberg* Authentie des Pentateuchs II. p. 359 sqq.; *Ranke* Untersuchungen über den Pentat. II. p. 361 sqq. etc.

39. — IV. De quarto argumento, quod EX TITULIS ET CLAUSULIS particularum nonnullarum et EX NEXUS DEFECTU contra unitatem Pentateuchi desumitur, paucissima addemus[1]. Etsi enim olim omnes illi, qui ex minutis fragmentis integrum opus coaluisse contenderunt, argumentum hoc non parum urgerent, hodie hypothesi fragmentorum prorsus explosa vix invenietur, qui illo uti velit. Titulos, quibus novae quaedam partes indicantur, clausulasque, quibus nonnullae pericopae terminantur, in Pentateucho inveniri, nemo negabit; inscriptione decies repetita אלה תולדות וג' Genesin in decem partes distribui, atque clausulis « Haec sunt praecepta, quae mandavit Dominus Moysi in monte Sinai » (*Lev.* 27,34), « Haec sunt mandata atque iudicia, quae mandavit Dominus... in campestribus Moab « (*Num.* 36,13) tertium et quartum libros a reliquis separari, ipsi supra iam diximus; neque hae formulae sunt solae, quas adhibitas esse videmus. At si partium tituli et clausulae librum aliquem a variis scriptoribus scriptum esse demonstrant[2], nescio an multos sive antiquos sive modernos inveniamus, quorum unitas non sit neganda, quique diversis auctoribus non sint attribuendi. Numquid soli Moysi partes operis sui titulis distinguere non licuit?

Laxiorem quoque esse nexum in tribus libris intermediis non negamus; at id non mirabitur, qui ad eorum argumentum et originem attenderit. Leges enim eos continere non logico, sed chronologico ordine dispositas saepius iam diximus; prout enim occasio eas necessarias reddidit, a Deo latae atque a Moyse promulgatae et conscriptae sunt; immerito igitur arctior inter eas nexus quaeritur. Neque tamen in his quoque libris omnem nexum deesse, ex analysi supra tradita (3. 4. 5.) elucet, in Genesi autem et Deuteronomio talem habemus nexum, ut hodie illi quoque, qui Pentateuchum recentiore tempore ex variis documentis compositum dicant, eum agnoscant.

1. Contra antiquiores rationalistas, Vater, De Wette, Hartmann etc., qui hoc argumento usi sunt, disputat *Welte* Nachmosaisches p. 67 sqq. Quam debile vero sit argumentum, ex eo elucet, quod De Wette, qui in prioribus Introductionis editionibus illud non semel protulit, in recentioribus illud prorsus praetermiserit.

2. *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 97 ex clausulis, quae *Lev.* 7,37 sq.; 11,46 sq.; 14,54-57; 15,32 sq. leguntur, concludit leges illas separatas constituisse collectiones, antequam in unum corpus sint congregatae; quo autem cum iure haec conclusio derivetur, nemo facile dixerit. Annon Moyses ipse, quum illas immediate postquam latae erant in opus suum transferret, eiusmodi clausulis eas a reliquis separare potuit? Quod si negatur, ad antiquam fragmentorum hypothesin erit revertendum, a qua et Bleek et Wellhausen abhorrent.

§ 6. — *De mosaica origine legislationis deuteronomicae et sacerdotalis.*

40. — Disputationi nostrae, qua mosaicam Pentateuchi originem adstruere et defendere nobis proposuimus, finem iam imponere licebat. Argumenta enim, quibus moderni « critici » eius antiquitatem et unitatem impugnare et convellere sunt conati, omni probandi vi carere ostendimus, atque argumenta nostra, quibus Moysen eius auctorem esse demonstravimus, invicta remanent. Attamen duorum systematum, quae de Pentateuchi origine in rationalistarum scholis hodie propugnantur, refutationem demonstrationi nostrae complementi gratia addere non erit plane inutile. Etenim hodie divisus est « criticorum » pentateuchicorum exercitus in bina castra inimica, quae unitis quidem viribus mosaicam operis nostri originem impugnant, inter se autem vehementi bello concertant. Alii videlicet Deuteronomium totius Pentateuchi recentissimam esse partem contendunt, legislationemque, quae in Deuteronomio habetur, leges praecedentium librorum supponere easque partim excoluisse partim mutasse censent. Alii vero intermediorum librorum leges, quas nomine « codicis sacerdotalis » comprehendunt, Deuteronomio recentiores atque post exsilium Esdrae aetate confictas esse volunt [1]. Quae interna « scholae criticae » dissidia ad nos quidem per se non pertinent, et libenter cum aliis interpretibus catholicis ea silentio praetermitteremus, nisi utriusque systematis refutatione nostra thesis de mosaica Pentateuchi origine confirmaretur. Namque priores, dum firmissime tenent in narratione et legislatione Deuteronomii priores libros mosaicos cognitos supponi, tam asseveranter et fidenter Deuteronomium ipsum Moysi abiudicant, ut hac de re nullatenus dubitari posse contendant [2] : quapropter si eorum argumenta, quibus Deuteronomii iuniorem aetatem stabilire volunt, nullius esse roboris ostenderimus, eo ipso etiam contra eos demonstravimus priores libros Moysi non posse abiudicari. Atque simili ratione contra alterius sententiae patronos, qui in « codice sacerdotali » deuteronomicam legislationem supponi censent, si vestigia « codicis sacerdotalis » in antiqua historia israelitica usque ad mosaicam aetatem inveniri ostenderimus, integri operis mosaicam originem stabilivimus.

1. Cfr *supra* 10 p. 25 sqq. ubi utriusque scholae rationalisticae systemata adumbravimus.

2. Cfr *Bleek Wellhausen* Einl. p. 106; *De Wette Schrader* Einl. p. 294; *Davidson* Introd. I. p. 353 sqq. etc. *Wellhausen* (Prolegomena zur Gesch. Israels p. 9) asserere non dubitat : « In allen Kreisen, wo überhaupt auf Anerkennung wissenschaftlicher Resultate zu rechnen ist, wird anerkannt, dass es (Deuteronomium) in der Zeit verfasst,

in der es entdeckt und der Reformation des Königs Josias zu Grunde gelegt wurde : diese letztere ward etwa eine Generation vor der Zerstörung Jerusalems durch die Chaldaer durchgeführt ».

41. — I. DEUTERONOMII MOSAICAM ORIGINEM argumentis certis supra (15. 17. 19) iam demonstravimus, ubi ostendimus Moysen ipsum sese Deuteronomii, uti reliquorum, librorum auctorem asserere et Deuteronomium, aeque ac libros reliquos, in aliis historicis et propheticis scriptis semper cognitum supponi; in refutandis quoque adversariorum obiectionibus satis multas ex Deuteronomio desumtas iam attigimus. Nihilominus, ut plenior sit nostra demonstratio, hoc loco omnia ea colligemus, quibus Bleek et de Wette recentiorem eius originem demonstrare conantur.

Tres theses statuit Bleek : 1° Deuteronomium multo maiorem, quam reliqui Pentateuchi libri, monstrat unitatem, atque tres praesertim, quibus constat, conciones quum dicendi genere tum tota sua indole tantam inter se habent similitudinem, ut eas eidem scriptori attribuere cogamur; at 2° scriptor hic Moyses esse nequit, sed 3° Deuteronomium diu post mosaicam aetatem conscriptum est [1].

1. Primae thesi, cui plerique alii quoque « critici » assentiuntur [2], absit ut contradicamus; libentissimo animo potius eam amplectimur. Duas reliquas autem recte a nobis respui et reiici demonstrabimus. Secundam suam thesin stabilire vult duobus argumentis iisque tam levibus et futilibus, ut merito mireris, quod vir eruditus ea in medium afferre sit ausus.

a.) « In Deuteronomio, inquit, inveniuntur leges, quas hac forma Moysen tradidisse *prorsus est improbabile* (durchaus unwahrscheinlich), ex. gr. de futuris regibus et de re militari (*Deut.* 17,14 sqq.; 20), quibus complures aliae adiungi possunt [quas tamen non recenset]; praeterea alia quaedam leguntur, quae Moysen hac forma in suis concionibus protulisse *omnino non est probabile* (durchaus nicht wahrscheinlich), quo pertinent 2,12; 19, 14; 3,11. 14. Atque ea quoque, quae de Aaronis morte et de levitarum electione (10,6-9) historice referuntur, ea saltem qua exstant forma *aliquid improbabile* habent (etwas Unwahrscheinliches und nicht Natürliches). Iam vero in istis concionibus omnia tam arcte cohaerent, ut unum sine altero repudiare non liceat; ergo integrum Deuteronomium saltem ea in forma, qua hodie illud habemus, Moysi abiudicandum est, etsi forte genuinae Moysis conciones constituant eius fundamentum. Idque eo magis, quo certius ex 1,1 sqq. elucet, Deuteronomium in occidentali plaga Iordanis esse conscriptum ».

Argumentum hoc facillime in adversarium nostrum retorquemus hac ratione. Tam arcte omnia in Deuteronomio cohaerent, ut unum sine altero repudiari nequeat et ut omnia ab eodem scriptore conscripta sint dicenda. Atqui certissimum est, quam plurima in Deuteronomio legi, quae eo dumtaxat tempore dici et scribi potuerunt, quo populus recenter ex Aegypto egressus sedes suas in terra promissa nondum occupaverat. Ergo mosaica

aetate et a Moyse ipso conscriptum est. Ad minorem autem nostram demonstrandam paucis quibusdam textibus, quos magis minusve probabiles dicemus, non indigemus, sed ad totam Deuteronomii indolem provocamus, quod continuo monet Israelitas, ut servitutis aegyptiacae memores sint (5,15; 7,18; 8,26; 10,19 etc.), atque continuo *futuram* terrae occupationem respicit (4,1 sqq.; 6,1 10; 7,1 16 sqq. etc.). Profecto mirum esset, si falsarius aliquis septem vel octo saeculis postquam populus quietus in terra consedit, occupationem terrae ita semper velut futuram supposuisset, ut ne semel quidem sese proderet. Multo magis autem mirum, quod in lege regia regem futurum monendum censuerit, ne populum in Aegyptum reducat (17,16). Cuinam, quaeso, aetate Ezechiae, qua Deuteronomium scriptum esse fingit adversarius noster, in mentem venire potuit, regem populum in Aegyptum velle reducere? De singulis textibus nihil iis habemus addendum, quae supra disseruimus[3]. Unus solus novus textus affertur (10,6-9), qui cur a Moyse non sit scriptus aut scribi non potuerit, equidem non video. Infelix igitur est primum argumentum eoque infelicius, quia ad thesin gravissimam demonstrandam non nisi suspiciones, quas ipse adversarius probabiles dumtaxat asserere audet, afferre non dubitavit.

b.) Nescio vero an alterum argumentum priore non sit infelicius. « Conciones hae, inquit, omnes uno eodemque die coram populo habitae dicuntur; atqui orationes tam longas et tam graves uno die habitas esse parum est probabile (wenig wahrscheinlich), atque minus probabile est (noch weniger wahrscheinlich) Moysen, si eas revera una die habuisset, eas scribere potuisse; tempus enim, quod ab ea die, quo eas habuisse dicitur, i. e. a die 1. mensis 11. anni 40., usque ad eius mortem effluxit, ad eas scribendas non erat sufficiens, praesertim quum gubernio populi valde esset occupatus. Quibus consideratis dicamus oportet, longiores illas conciones, ac proinde ipsum Deuteronomium, iuniori scriptori debere ».

Si Moysen conciones suas, antequam eas haberet, scripsisse diceremus, maior iam illa, quae urgetur, improbabilitas dispareret; atque ne admodum quidem difficile, nedum impossibile fuit uno eodemque die integrum Deuteronomium coram populo recitare. Nugas igitur hasce relinquamus paulloque graviora videamus, quae ad tertiam thesin stabiliendam proponit.

1. *Bleek Wellhausen* Einleitung. Ed. 4. 1878. p. 106 sqq.

2. *Riehm* (Die Gesetzgebung im Lande Moab. Gotha 1854.) et *Kleinert* (Das Deuteronomium und der Deuteronomiker. Leipzig 1872.) cum paucis aliis quidem Deuteronomium quoque discerpunt eiusque unitatem negant a.) quia quatuor inveniantur partium tituli (1,1 sqq.; 4,44 sqq.; 28,69; 33,1); b.) quia eius argumentum partim sit historicum (1-4; 27 sqq.), partim sit legislativum (5-26). c.) quia pars legislativa in partibus historicis velut opus iam completum et scriptum nomine הַתּוֹרָה הַזֹּאת (« haec lex ») designetur; d.) quia nonnullae, etsi leves, inveniantur discrepantiae inter partes historicas et legislativas; e.) quia nonnulla (2,10-12. 20-23; 3,9. 11; 28, 28-37. 49-51; 29,21-27; 30,1-10) certe a iuniore manu sint addita et c. 27. loco inepto insertum (*Kleinert* p. 31 sqq.; 166 sqq. etc). Partium vero titulis unitatem libri non destrui evidens est, nisi plerorumque operum unitatem negare velimus. Neque minus est evidens, unitatem libri ideo non tolli aut destrui, quia aliae eius pericopae sint histo-

ricae, aliae legislativae, modo ad unum eundemque finem conspirent: iam vero historicae Deuteronomii partes, quum legibus commendandis et inculcandis inserviant, auferri nequeunt, nisi tota libri indole unitateque destructa. Tertium argumentum ex locutione הַתּוֹרָה הַזֹּאת desumtum erroneae interpretationi innititur; quia verba « *haec lex* » nec de Deuteronomii parte nec de integro Deuteronomio sed de toto Pentateucho, aut si mavis de intermediis libris intelligantur oportet (15. III. 2. p. 42 sqq.). Discrepantias ipse Kleinert (p. 181 sq.) tam leves esse censet, ut unitatem non destruant; addamus eas erroneis interpretationibus originem debere. Quis enim *Deut.* 19,1 sqq. a 4,41 discrepare dicet, si attenderit 4,41 de civitatibus refugii in terra transiordanica, 19,1 sqq. de civitatibus refugii cisiordanicis sermonem fieri, aut quae est discrepantia, si 2,28 Moabitas filiis Israel alimenta « pretio vendidisse » conceditur, sed eos 23,5 « cum pane et aqua occurrisse » i. e. gratis cibum Israelitis obtulisse negatur? Iam eiusmodi sunt reliquae discrepantiae, quas vel puer sine ullo negotio conciliabit. Textus in quinto argumento allegati partim sunt notae historicae (2,10 sqq. 20 sqq.; 3,9. 11), quae cur a Moyse ipso non sint scriptae, difficile est dictu, partim poenae ob violatam legem annunciatae (28,28 sqq. 49 sqq.) aut praemia ob observatam legem promissa (30,1 sqq.), quae, dummodo vera vaticinia admittantur et Moysi propheticus spiritus concedatur, nullam difficultatem creant. Quod autem Deuteronomium iam 26,15 terminari atque c. 27 incipte inter 26,19 et 28,1 sqq. inseri adversarius dicat, conseatque 27,9. 10 ante 26,15 esse ponendos, ut novam partem inchoent, 26,19 autem immediate cum 18,1 sqq. esse coniungendum, id aeque ineptum atque arbitrarium est. Qui ad totius libri structuram attenderit, omnia isto in loco optime connecti non negabit. — Longe ulterius recentissimi « critici » in Deuteronomio discerpendo progrediuntur (*Stärk* Das Deuter.. sein Inhalt u. seine Form. 1894; *Steuernagel* Die Entstehung des deuteronom. Gesetzes 1897. cfr *supra n.* 11 p. 30), sed eiusmodi coniecturis, quibus iuvenes quidam professores sibi nomen famamque parare conantur, immorari operae pretium non est.

3. Cfr *supra* p. 74. 77; 84. 89 sq. 91. 93. 94 sqq.

2. — Ut recentiorem Deuteronomii aetatem demonstret, Bleek praecertim leges, quae levitas sacerdotesque easque quae locum spectant, in quo sacrificia sint offerenda, in medium affert. Iisdem fere etiam abutuntur Graf et Wellhausen cum suis sequacibus, ut iuniorem « codicis sacerdotalis » originem demonstrent.

a.) Primum argumentum ex decimis, quae levitis solvendae erant, desumitur. Etenim *Num.* 18,20-32 omnes decimae levitis attribuuntur, at *Deut.* 14,22-29 Israelitae decimas suas ad locum quidem, quem Deus sibi sit electurus, afferre iubentur, sed non eum in finem ut levitae illis fruantur, sed ut ipsi ex iis epulas celebrent, ad quas etiam levitas utique invitare monentur. Maius autem ius ad istas decimas levitis non attribuitur, quam peregrinis, pupillis, viduis. Quae differentia inter legislationem leviticam et deuteronomicam non explicatur, nisi statuatur legem deuteronomicam esse latam, postquam frigescente primo fervore lex a Moyse in *Num.* 18 promulgata in desuetudinem abierat. Quam argumentationem prorsus invertit altera « criticorum » schola; legem enim deuteronomicam antiquiorem esse contendit, sed eam postea a sacerdotibus levitisque ex avaritia esse mutatam (*Num.* 18), eique recentissimo tempore etiam decimas de animalibus solvendas esse additas (*Levit.* 27,32) [1].

Utri palmam attribuemus? Neutri, ni fallor, quandoquidem utraque a vero aberrat. Quasnam decimas et quibusnam eas solverint Iudaei, procul dubio ex solis hebraicis fontibus discere poterimus; iam ex iis constat duplicem vel triplicem decimam Israelitis fuisse solvendam. « Decimam dabam, inquit Tobias, filiis Levi ministrantibus in Ierusalem (cfr *Num.* 18,20 sqq.) et secundam decimam divendebam et ibam et expendebam ea in Ierosolymis per singulos annos (cfr *Deut.* 14,22 sqq.), et tertiam dabam sicut conveniebat »[5]. Tertia haec decima (*Deut.* 14,28) tertio quoque anno inter levitas et pauperes distribuenda erat[6]. Nec in Deuteronomio igitur lex Numerorum ob frigescentem fervorem minuitur, nec in Numeris lex Deuteronomii ob avaritiam sacerdotum augetur, sed utraque lex de diversis decimis agit. Tota ergo difficultas ex eo exoritur, quod in Deuteronomio plena et completa legislatio contineri asseritur, id quod falsissimum est. Neve *Ezechieli* (44. 28-31) decimae incognitae fuisse, sed 2 *Esdr.* 10,38 dumtaxat commemorari dicantur; nam *Ezech.* 40-48 prophetica visione describit illa, quae in regno messianico sint futura, et si quis omnia illa, quae de sacerdotibus, levitis, sacrificiis etc. ibi tradit, sensu literali intelligere voluerit, etiam illa quae de mira divisione terrae inter duodecim tribus (45. 48), de flumine subter limen templi exeunte et totam terram pervadente (47) etc. traduntur, literali sensu intelligat oportebit (*infra* 280). Nehemias autem de decimis non loquitur, velut de re nova illo tempore introducenda; num quis sibi persuaserit, Israelitas reduces ex exsilio nova onera in se suscipere voluisse, quae soli avaritiae et fraudi sacerdotum originem suam debuerunt? Equidem puto, Iudaeos reduces ad vectigalia solvenda propensiores non fuisse, quam homines esse solent; neque enim tantum tempus a destructa civitate effluxerat, ut scire non potuerint, quas decimas maiores eorum solverant.

b.) *Num.* 35,1-8 levitis oppida in Palaestina attribuuntur, quae postea Iosue (21,1 sqq.) sorte illis assignat; sed Deuteronomista de oppidis illis non loquens levitas describit propriis sedibus carentes et velut peregrinos in medio reliquorum Israelitarum degentes (*Deut.* 12,12. 18; 14,27 sqq.; 16,11. 14; 18,6; 26,12). Qui levitarum status Salomone mortuo exortus esse videtur, postquam Ieroboamo rege Israel sacerdotes et levitae omnes in regnum Iuda sese recipere sunt coacti (2 *Paral.* 11,13) et oppidis leviticis tribuum Iuda et Beniamin multitudini non sufficientibus consederunt, ubi potuerunt[7].

Rursus falso supponitur completam legem in Deuteronomio tradi, et falsae interpretationi textuum deuteronomicorum tota obiectio innititur. Verba enim « levitae, qui in urbibus vestris (commorantur) », « qui intra portas tuas sunt » etc., eos peregrinos fuisse non dicunt, sed eos non eodem modo, quo reliquas tribus, « partem et possessionem » in terra promissa habuisse atque solius haereditatis respectu « peregrinis, qui in urbibus Israelitarum commorabantur » esse assimilatos. Adde autem levitas in urbibus, quae eis attributae erant, non solos habitasse[8], atque probabiliter iam statim ab initio, quum multa oppida iis attributa per sat longum tempus in potestate Chananaeorum remansissent, coactos esse, ut in aliarum tribuum oppidis refugium quaererent[9].

c.) In prioribus libris inter levitas, quibus inferiora ministeria in taber-

naculo deportando etc. incumbunt, et inter sacerdotes accurate distinguitur; sacerdotes vocantur « filii Aaron » (« Aaron et filii eius »), levitae autem « fratres Aaronis ». Sed in Deuteronomio haec distinctio disparet; levitae enim sacerdotalia munia obeunt, sacerdotes autem non amplius « filii Aaron », sed « filii Levi » vel « sacerdotes levitae » (הַכֹּהֲנִים הַלְוִיִּם Vulg. « sacerdotes levitici generis ») appellantur, quae denominatio in iunioribus dumtaxat libris (*Ierem.* 33,18. 31; *Ezech.* 43,19; 44,15 etc.) adhibetur. Rem iterum prorsus invertit altera rationalistarum schola. In Deuteronomio enim tribum sacerdotalem modeste se gerere edocemur, in « codice sacerdotali » autem limites excedere; etenim non tantum tribui Levi in *Num.* 1,47 etc. a ceteris tribubus separatae oppida specialia assignari, sed eiusdem tribus etiam duas classes, Aaronitarum et Levitarum, distingui, quum huius distinctionis nec in Deuteronomio nec in antiquioribus libris, sed in libris dumtaxat post exsilium exaratis (*Esdr. Nehem.*, *Paral.*) vestigium appareat : quare concludendum « codicem sacerdotalem » Deuteronomio esse iuniorem [10].

Qua domestica « criticorum » lite omissa negamus levitis in Deuteronomio munia sacerdotalia attribui et omnes levitas sacerdotibus aequiparari; recte autem id nos negare ex *Deut.* 18 elucet. Quo in loco (18,1) primum sacerdotibus et levitis, integrae tribui Levi (לַכֹּהֲנִים הַלְוִיִּם כָּל־שֵׁבֶט לֵוִי) « pars et haereditas » in Israel negatur, deinde edicitur, quid sacerdotibus (18,3-5), demum quid levitis (18,6-8) competat; procul dubio appositio « omni tribui Levi » (v. 1.) sensu careret, si omnes levitae fuissent sacerdotes. Addi quoque potest, locutionem שָׁרֵת אֶת יְהוָה vel שָׁרֵת בְּשֵׁם יי, quod de solis sacerdotibus praedicatur (*Deut.* 17,12; 18,5; 21,5 cfr 1 *Reg.* 2,11; 3, 1 etc.) non esse idem ac שָׁרֵת לִפְנֵי יי, quod de sacerdotibus et levitis, sed etiam de prophetis (3 *Reg.* 17,1; 18,15 etc.) usurpatur. Illud quidem concedamus oportet, sacerdotes in Deuteronomio nunquam « filios Aaronis », sed « filios Levi » aut « sacerdotes levitas » (leviticos) appellari; sed quid inde? Nomine enim hoc (« sacerdotum levitarum » vel leviticorum), qui etiam *Ios.* 3,3; 8,33 usurpatur, tantum abest, ut differentia inter levitas et inter sacerdotes negetur, ut illi sacri scriptores, qui differentiam hanc valde urgent, eo uti non dubitent (2 *Par.* 5,5; 23,18; 30, 27; 1 *Esdr.* 10,5). Id unum igitur quaeritur, quomodo hoc nomen sit explicandum. Sunt qui ex levitis nonnullos, etsi ab Aarone non descendissent, ad sacerdotium mosaico tempore admissos esse ideoque sacerdotes communi nomine « filios Levi » appellatos esse censeant. Qua autem ratione id probetur, ignoro; quare potius dicendum, post Aaronis mortem, quum sacerdotium iam in varias familias, quae omnes ab Aarone descendebant, transisset, eorum originem leviticam potius quam aaroniticam esse consideratam; *omnes* enim *levitas* pro primogenitis elegerat Deus, ut speciali modo sui essent (*Num.* 3,12), atque tota tribus Levi « non habebat partem neque possessionem cum fratribus suis, quia ipse Dominus possessio eius erat » (*Deut.* 10, 9; 18, 3 etc.) [11].

d.) Ultimum argumentum suum desumit Bleek ex loco, in quo secundum

Deuteronomium sacrificia offerenda erant; sed de hac obiectione statim (44. p. 138 sqq.) erit agendum.

4. *Bleek Wellh.* Einl. p. 47. 108. Cum Bleek fere consentiunt *Riehm* Gesetzgebung im Lande Moab. p. 42 sqq., *Knobel* in *Lev.* 27,30 etc. Oppositam partem tuentur *Kleinert* Das Deuteronomium. p. 74 sqq., *Wellhausen* Prolegomena zur Gesch. Israels. p. 163 etc. Wellhausen l. c., si asserit inauditum esse id, quod in Numeris etiam decimae animalium praescribantur (« Wahrhaft unerhört ist es, dass der Zehnte, der sich der Natur der Sache nach [!?!] nur von Gegenständen festen Maasses, von Korn, Most und Oel versteht, im Priestercodex auch auf das Vieh ausgedehnt wird »), oblitus est, Iacobum Deo promisisse « decimas *cunctorum*, quae sibi esset daturus » (*Gen.* 28,22); num forte pecora daturus non erat Deus? Nonne reges quoque addecimabant subditorum greges (1 *Reg.* 7,17)?

5. *Tob.* 1,7 (Secundum text. graec.); cfr *Ioseph.* Antiqu. IV. 8,22 « Praeter duas decimas, quas quotannis solvere praecepi, alteram quidem levitis, alteram ad epulas, tertio quoque anno tertia conferatur ad distribuenda quae desunt mulieribus viduis et pueris orphanis. »

6. Cfr *Haneberg* Relig. Alterthümer der Bibel. Ed. 2. p. 573 sqq.; *Gutberlet* das Buch Tobias. 1877. p. 64; *E. Rupprecht* Des Rätsels Lösg. II. 2. 1897. p. 154 sqq.

7. *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 109; *Riehm* Die Gesetzgebung etc. p. 31 sqq.; *Kleinert* Das Deuteron. p. 147 etc.

8. *Lev.* 25,32 sqq.; cfr *Ios.* 21,11. 12; 1 *Reg.* 6,13. 15.

9. *Ios.* 16,10; 17,11 sq.; *Iudic.* 1,27 sqq.; 3 *Reg.* 9,15 sqq. Cfr *Ios.* 21,21. 25. 35.

10. *Bleek Wellh.* Einl. p. 109 sq.; cum quo consentiunt *Riehm* l. c. p. 33 sqq. 94 sqq. *Kleinert* l. c. p. 145 sq. etc. Ex alterius scholae asseclis cfr *Wellhausen* Prolegomena. p. 151 : « Während im Deuteronomium der geistliche Stamm der Leviten noch bescheiden auftritt, wird im Priestercodex massiver Ernst damit gemacht » etc.; *Reuss* Gesch. der A. T. p. 362 sq.

11. Accuratior huius quaestionis et praecedentium tractatio pertinet ad Archaeologiam. Interim monemus, nuspiam in Deuteronomio sacerdotibus quidquam attribui, quod *solis* levitis competat. Cfr *Hengstenberg* Authentie des Pentat. II. p. 403. De sacerdotibus et levitis cfr *Haneberg* Religiöse Alterthümer. p. 508 sqq.

42. — Prioribus hisce argumentis ab aliis nonnulla adduntur, quae paucis expediemus.

Opinionibus religiosis Deuteronomium a prioribus libris differre et iuniorem suam originem prodere asseritur. Etenim in Deuteronomio Dei unitas (4,35. 39) et invisibilitas (4,12. 15) praedicatur, Deus ipse tamquam Deus foederis (4,7; 10,14 sqq.) celebratur atque per se ipse, nullo nec Angelo nec Moyse interveniente, cum populo agit (1,30; 7,20 sqq.; 11,13 cfr *Exod.* 23,20). A populo autem cordis potius animique puritas, quam externa legum observantia postulatur (5,26; 13,5; 30,6. 16. 20)[1]. — Quamquam, id quod per se patet, religiosis opinionibus libros mosaicos inter se differre negamus, tamen nec omnes prorsus ideas religiosas, quae in prioribus libris revelatae sunt, etiam in Deuteronomio inveniri concedimus, atque novas quoque nonnullas in Deuteronomio addi libenter fatemur; secus enim superfluum esse Deuteronomium, aliquis coniicere poterat. At exemplis allatis ne id quidem demonstratur, quod concedere possumus, multo minus autem talis differentia, quae diversos auctores aut iuniorem aetatem prodat. Dei *unitatem*

in omnibus mosaicis libris praedicari tam evidens est, ut ipsis adversariis iniuriam inferremus, si id demonstraremus. Invisibilitas autem Dei disertius fere, opinor, *Exod.* 33,20, quam *Deut.* 4,12 asseritur, et quid sibi volunt tres intermedii libri, nisi integri docent, Deum populum Israel de cunctis populis in peculium sibi elegisse, ut esset « regnum sacerdotale et gens sancta » (*Exod.* 19,5. 6), ideoque foedus cum eo pepigisse (*Exod.* 24,4 sqq.)? Ad quid tendunt vel ipsae illae leges, quae leviticam munditiem praescribunt, nisi externa mundities sit internae imago? Nonne *Exod.* 20,6 una cum legum observantia et ante eam postulatur Dei amor, qui omnis sanctitatis internae est fons? Ad paraeneticum autem Deuteronomii characterem pertinet, quod frequentius haec dilectio inculcetur. Demum de Dei cum populo conversatione immediata *Deut.* 5,20 sqq. nihil aliud habetur, nisi quod *Exod.* 20,18 sq. legitur.

Quibus obiectionibus ex argumento Deuteronomii desumtis alia additur ex eius stylo dicendique genere derivata. « Quamquam enim, inquit De Wette Schrader, sermo Deuteronomistae multiplici ratione cum dicendi genere sive scriptoris annalistici, sive scriptorum prophetici et theocratici consentit, sub alio tamen respectu tantopere differt, ut nullum sit dubium, quin quartus scriptor sit admittendus. Quae differentia non tantum in locutionibus nonnullis dicendique modis cernitur, sed maxime in diffusa verborum copia et in paraenetico charactere, qui Ieremiam et Is. 40-66 in memoriam revocat »[2]. — Vix credi potest, hanc styli differentiam in auxilium vocari; eodem enim argumento Ciceronis orationes et epistolas diversis auctoribus attribuendas esse demonstrabimus; quis vero unquam ex uberiore verborum copia, vehementiore dicendi genere, floridiore stylo orationum deduxit eas ab epistolarum ad fam. auctore non esse habitas? Maiorem igitur dicendi ubertatem et vehementiam in Deuteronomio inveniri concedimus, sed ex ea quidquam contra mosaicam eius originem deduci negamus, donec scriptorem eundem eodem dicendi genere in omnibus suis operibus uti debere demonstretur[3]. Restant igitur paucae illae locutiones dicendique formulae, quae in prioribus libris non leguntur; at diversus librorum character differentiam illam satis explicat; oratores enim in verborum suorum delectu haud raro ad poeticam dictionem propius accedunt, atque longe maior phrasium numerus, quae Deuteronomio dicuntur propriae, huc spectant[4]. Praeterea animadverte, easdem formas, quibus Pentateuchus a reliquis libris differt, in Deuteronomio quoque adhiberi (19. V. 4) atque ipsis adversariis fatentibus magnam esse in plerisque inter Deuteronomium et priores libros styli similitudinem.

1. *De Wette Schrader* Einleitung p. 297 sq.

2. *De Wette Schrader* l. c. p. 296 : « Die Sprache und Diction des Verfassers dieses Buches weist zwar *eine Reihe von Berührungspunkten* wie mit den annalistischen, so namentlich mit den theokratischen und prophetischen Abschnitten des Pentateuchs auf; daneben aber geht durch seine Darstellung ein so bestimmt ausgeprägter, ganz eigenartiger Zug hindurch, dass es nicht dem geringsten (!?!) Zweifel unterworfen sein kann, dass der Deuteronomiker so wenig mit dem annalistischen, wie mit einem der übrigen Erzähler zusammenfällt. Abgesehen von *einzelnen* Ausdrücken und Re

dewendungen, die *zum Theil* ganz entschieden (!?!) jüngeren Sprachgebrauch bekennen, charakterisiren sich die in Rede stehenden Abschnitte durch eine auf den ersten Blick sich bemerklich machende breite Wortfülle und einen stark paraenetischen Ton, darin am meisten an Jeremia und Jes. 40-66 erinnernd ». Si « nonnullae phrases et dicendi formulae *certissime* iuniorem linguam prodere » asseruntur, sufficit adscripsisse, quod monet Wellhausen, historiam linguae hebraicae velut « *ceram mollem* » tractari solere, ex qua figuras, quas vult, unusquisque exprimit. « Die Sprachgeschichte ist es leider gewohnt wie weiches Wachs behandelt zu werden ». Prolegomena. p. 12.

3. Ipso *Strack* (Herzog P. R. E. XI. p. 448) fatetur : « Die Möglichkeit, dass die Sprache eines geistig irgendwie bedeutenden Schriftstellers in verschiedenen Zeiten und bei verschiedenen Gelegenheiten verschieden gewesen sei, wird nicht wohl bestritten werden können ». Quin immo id negare absurdissimum est.

4. In singulas phrases non inquiremus, quia id prorsus inutile et superfluum esse censemus; de iis agunt *Welte* Nachmosaisches im Pentat. p. 8-41; *Smith* The Pentateuch. p. 530-551; ex protestanticis cfr *Keil* Einleitung Ed. 3. p. 116-119 etc.

43. — II. Iam DE « CODICIS SACERDOTALIS » ANTIQUITATE dicamus oportet, quo nomine recentissima schola « criticorum » illam Pentateuchi partem designat, quam altera opus Elohistae I. vel Annalistae aut opus fundamentale (Grundschrift) appellat. Novum autem ei nomen attribuerunt, quoniam praecipuum eius argumentum constituunt leges, quae ad cultum religiosum spectant. Constat enim integro *Levitico*[1] affinibusque *Exod.* (25-31; 35-40) et *Numer.* (1-10; 15-19; 25-36) partibus, atque historicam eius introductionem formant elohisticae particulae Geneseos et prioris Exodi, conclusionem autem pauca quaedam Deuteronomii et satis multa libri Iosue[2]. Quo cum iure haec a reliquo Pentateucho secernantur, opus non est denuo inquirere, siquidem iisdem fundamentis novum systema innititur, quae supra (30-39 p. 99 sqq.) examinavimus; id unum definiendum restat, quo cum iure origo huius legislationis aetati exsilii attribuatur. Si novis enim « criticis » fidem adhibemus, iehovisticum quidem opus (I E), quod historicum fuit solamque fere legislationem sinaiticam (*Exod.* 20-23 et 34) retulit, 9. et 8. saec., atque Deuteronomium 18. Iosiae anno (682), Ieremiae ergo aetate haud diu ante exsilium, prodiisse dicemus, codicem sacerdotalem « vero non nisi exsilio iam finito, medio scilicet » saec. 5., Esdrae ac Nehemiae aetate, terminatum esse tenebimus, ita ut codex ille non antiqui regni Israelitarum, sed recentioris societatis religiosae Iudaeorum, quae regnis israeliticis per Assyrios et Chaldaeos destructis sola superstes fuit, leges continuisse dicendus sit[3]. Contra quos hic urgere nolumus, quod eorum systema supranaturalem Legis mosaicae originem prorsus neget (id enim cum reliquis systematis rationalisticis habet commune), neque quod praeter Ieremiam omnesque eius aetatis prophetas etiam Esdram ac Nehemiam sacerdotesque illius temporis falsarios fuisse statuat (cfr p. 29. 59. 72) eamque societatem religiosam, quae Ecclesiae mater fuit, meris fraudibus et mendaciis originem de-

bere supponat, sed eos interrogabimus, quomodo illud probent. Atqui pro systematis suo argumento nihil afferunt, nisi statum religiosum, qui in « codice sacerdotali » praescribitur, ante exsilium non exstitisse, conformem autem esse ei, qui Esdrae tempore exortus inter Iudaeos recentiores inveniatur. Si ad omnia et singula, quae ad hoc argumentum explicandum moderni rationalistae voluminibus integris attulerunt, respondere cogeremur, integrum volumen satis magnum nobis quoque esset scribendum; at id opus nequaquam est; ad pauca enim capita ipsi omnia revocant et de hisce solis disseremus. Unum autem praemoneamus oportet, quod ab adversariis prorsus praetermittitur. Accuratior enim Legis mosaicae observantia, quam post exsilium inter Iudaeos obtinuisse fatemur, illis pro argumento est; sed intentioris huius sollicitudinis, qua Lex observabatur, causas non perspexerunt, quamvis in promtu et propatulo essent. Quis enim non videt, maximis illis poenis, quas Deus ob Legem violatam utrique regno Israel et Iuda inflixerat, reliquias tandem eo adductas esse, ut Deo suo obedirent? Procul dubio ab ingressu populi in terram promissam usque ad exsilium babylonicum Deus multis magnisque poenis Israelitas ab idololatria revocare et ad se attrahere non cessaverat; at illi « non audierant, sed induraverant cervicem suam iuxta cervicem patrum suorum, qui noluerant obedire Domino Deo suo », quare coactus est Dominus « proiicere omne semen Israel et affligere eos et tradere eos in manus diripientium » (*4 Reg.* 17). Destructis autem regnis Israel et Iuda atque civitate sancta temploque deletis in exsilio degentes Iudaei tandem resipuerunt, neque in vanum fuisse maledictiones in Legis violatores olim promulgatas intellexerunt. Num mirum, quod post maximas has poenas maiore cum sollicitudine reduces Legem observarint? Accedit autem, quod satis pauci ex exsilio in patriam sint reversi iique soli, qui poenis ad resipiscentiam adducti id unum curarunt, ut Domino suo reconciliati promissionum patribus factarum participes fierent; atque accurate quoque respiciatur ac perpendatur oportet, tam magnum inter eos, qui et cum Zorobabele et cum Esdra reversi sunt (cfr 1 *Esdr.* 2 et 8), fuisse sacerdotum et levitarum et nathinaeorum, qui infimis templi ministeriis occupabantur, numerum, ut decima fere novae societatis pars sacris ministris constiterit. Nonne hanc iure dicimus alteram esse rationem, quae reducum maiorem in Lege observanda fervorem explicet? Ad haec innuisse sufficit; ad ipsum wellhausianum systema nos convertamus [2].

1. *Lev.* 17-26 tamen antiquius quoddam opusculum (Lex sanctitatis) fuisse dicitur ab auctore codicis sacerdotalis novis curis retractatum.

2. Omissis Geneseos partibus velut rem satis miram adscribimus illa, quae ex *Exod.*, *Num.*, *Deut.* « codici sacerdotali » attribuuntur: *Exod.* 1,1-5. 7. 13. 14; 2,23-25;

6,2-7,13; 7,19. 20 a. 21 b. 22. 23; 8,1-3; 8,11 b-15; 9,8-12; 12,1-20. 28. 37 a. 40,41; 12,43-13,2; 13,20; 14,1. 2. 4. 8 b. 9. 10,15; 16,1-3. 9-13 a. 16 b-18 a. 22-26. 31-35 a; 17,1; 19,1. 2 a.; 24,15-18; 25,1-31, 17; 34,29-33; 35,1-40,38; *Num.* 1,1-10, 28; 13,1-17 a. 21. 25. 26. 32; 14,1 a. 2 a. 5-7. 10. 26-28. 34-36; 15,1-16,1; 16,8-12. 16-22. 35; 17,1-20,1 a. 2. 3 b. 6. 12. 22-29; 21,4. 10. 11; 25, 6-31,54; 32,16-19. 24. 28-33; 33,1-36,13; — *Deut.* 32,48-52; 34,1 a. 7 a. 8. 9. Haec etiam exemplo sunt, quam sagaciter « critici » stylum singulorum versuum discernere valeant; maior autem apparet eorum sagacitas, quando internoscunt, num auctori an redactori locutio vel particula quaedam debeatur.

3. *Wellhausen* (Proleg. p. 1) id sibi proponit inquirendum, « num mosaica Lex sit fons et origo historiae *veteris Israel*, an potius historiae *Iudaismi*, i. e. religiosae societatis, quae cladibus ab Assyriis et Chaldaeis inflictis supervixit.

4. De wellhausiano systemate cfr *M. Flunk* Pentateuchkritik (Innsbr. Ztschr. für Kath. Theol. 1885. p. 597 sqq.), *I. Selbst* Zur Orientirung über Methode u. Ergebnisse der Pentateuchkritik (Katholik 1887. I. p. 337 sqq. 449 sqq. 561 sqq.), *Aem. Schöpfer* Gesch. des A. T. (Ed. 2. Brixen 1895. p. 213-251).

44. — Ad quinque capita a recentissimae scholae asseclis omnia illa revocantur, quibus iuniorem « codicis sacerdotalis » originem demonstrari censent. Quamquam nonnulla supra iam attigimus, ex ordine tamen illa examinabimus, ne difficultatem effugere videamur.

1. Prima difficultas ex loco desumitur, in quo Deo cultus publicus exhibendus erat sacrificiumque offerendum. Namque « codex sacerdotalis » *uno solo in loco* sacrificandum esse ubique supponit et diserte praecipit; tabernaculum foederis enim velut centrum totius cultus describitur. Iam vero in uno tantum loco sacrificia esse offerenda, antiqui Israelitae prorsus ignorarunt. Nam tempore Iudicum ubique sacrificari videmus, atque item Samuel, Saul, David, Salomon ubique sacrificabant. Templo exstructo mons Sion praevalere quidem coepit, at eodem tempore etiam in excelsis sacrificia offerebantur nullo reluctante; nam si 3. et 4. libri Regum cultum excelsorum vituperant, id ex eo provenit, quod eorum auctor, qui post Esdram vixit, pristina tempora secundum « codicem sacerdotalem » suae aetatis diiudicavit. In regno igitur Iuda ubique sacrificabatur, et idem in regno Israel factum esse testatur Eliae et Elisaei historia. Destructo demum regno Israel templum hierosolymitanum omnino praevaluit, neque tamen ante Iosiae aetatem excelsa deleta sunt atque mox post eius mortem iterum restituta. Tota igitur historia israelitica docet unitatem loci cultus fuisse incognitam.

Cum historia autem consentit legislatio: secundum iahvisticam legislationem (*Exod.* 20,4) Deo altare erigi potuit, ubicunque nomen suum manifestavit, atque huic praecepto consona est historia patriarcharum. In *Deut.* 12, 1-27 (qui liber tempore Iosiae exortus est) praescribitur, ut eo solo in loco sacrificetur, quem Deus sibi in terra promissa sit electurus, at simul permittitur, ut ubique animalia sacrificiis non destinata mactentur. Demum secundum *Levit.* 17,1-10 in uno loco non tantum sacrificandum, sed etiam mactandum est, atque in toto « codice sacerdotali » unitas loci supponitur.

Hinc habemus tres legislationes, quae correspondent historiae israeliticae; *Exod.* 20,1 observabatur usque ad Iosiam, *Deut.* 12,1 sqq. tempore Iosiae, « *sacerdotalis codex* » post exsilium vel post Esdrae aetatem.

Quae confirmantur, si ad « tabernaculum foederis » respicimus; secundum « codicem sacerdotalem » tabernaculum foederis est centrum totius cultus israelitici; at de tabernaculo isto non amplius fit sermo, nisi *Ios.* 18,1, qui versus ipse ad « codicem sacerdotalem » pertinet, et in libris *Paralipomenon*, qui fidem nullam merentur; in omnibus aliis libris habitatio Dei, si ante exstructum templum mentio eius fit, ita describitur, ut *tabernaculum* intelligi non possit. Nam 1 Sam. (*Reg.*) 2. 3. de vera *domo* loquuntur; 1 Sam. (*Reg.*) 4. arca foederis sine tabernaculo in castra affertur, recuperata autem arca ad pristinum locum suum non reducitur (1 *Reg.* 6. 7.), id quod procul dubio fieri debuisset, si « codex sacerdotalis » fuisset cognitus tabernaculumque constituisset centrum cultus. Etiam 2 Sam. (*Reg.*) 6. David tentorium exstruxit, in quo arcam collocaret; mosaicum igitur tabernaculum, in quo Deus inhabitaret, illa aetate erat incognitum. Item 2 Sam. (*Reg.*) 7. Deus non in magnifico quodam tabernaculo, quale in « codice sacerdotali » describitur, sed in vilibus tentoriis habitasse supponitur. Si demum 3 *Reg.* 8,4 tabernaculum foederis templo illatum dicitur, de tentorio a Davide erecto verba sunt intelligenda, immo verba ista recentis interpolationis suspicionem omnino provocant. Tabernaculum foederis igitur, de quo in « codice sacerdotali » agitur, nunquam exstitit, sed ab auctore libri ad templi similitudinem est confictum. Etenim profecto in deserto sinaitico tam pretiosum et magnificum aedificium a fugitivis nomadibus construi non potuit [1].

Primam hanc obiectionem fusius exposuimus, ut quanta cum arte adversarii historiam israeliticam totam invertant, clarius appareret; difficultas autem evanescit, quamprimum vera historia, prout a V. T. scriptoribus nobis tradita est, in memoriam revocatur [2]. Ab ultima igitur obiectionis parte inchoantes primum de tabernaculo foederis dicemus.

a.) Operae pretium non est demonstrare, in deserto sinaitico tabernaculum istud construi potuisse. Rerum pretiosarum, quibus indigebant, copiam ex Aegypto secum abstulerant filii Israel; eo tempore, quo in Aegypto omnes artes florebant, Israelitae, qui in eorum templis et urbibus aedificandis occupati fuerant, artium earundem rudes certe non erant; eo in loco, prope quem Moysis tempore et iam diu ante Moysen fossores aegyptiaci monumenta lapidea hodie adhuc superstita excitarunt, Israelitae procul dubio parietes ex tabulis ligneis conficere et auro obducere potuerunt [3]. Verum quia lignis et telis constructum erat, primum istud tabernaculum in aeternum non durasse evidens est. Iosue illud in Silo in tribu Ephraim fixit (*Ios.* 18,1) ibique « coram Domino » missae sunt sortes de terra distribuenda (*Ios.* 18,8. 10; 19,51). Quando autem brevi ante Iosuae mortem populus promisit, se alterum altare non esse habiturum « praeter altare Domini Dei, quod exstructum est ante *tabernaculum* eius » (*Ios.* 22,29), tabernaculum ipsum quinquaginta septem annis antea confectum et continuis quadraginta annorum peregrinationibus in deserto huc illuc transportatum ob vetusta-

tem suam non tantum saepius esse resarcitum, sed etiam integrum fere renovatum, ut primitivi tabernaculi mosaici rudera et reliquiae solae remanerent, quis rerum natura considerata in dubium vocabit? Quapropter veri simillimum est id, quod ante plus mille quingentos annos, quum nemo de rationalistarum difficultatibus cogitaret, Mischna tradidit, « in Silo non fuisse contignationem ligneam, sed structuram lapidum inferius, et aulaea superius; nam illum fuisse locum quietis »[4]. *Domus* igitur erat, quae aulaeis contecta speciem *tentorii* retinebat; quare utroque nomine apte appellabatur, ita ut nomen *domus Dei* (*Iudic.* 18,31; 19,18; 1 *Reg.* 2,3.) nihil admirationis habeat. Quoniam autem inferior pars lapidibus constabat, patet novum illud tabernaculum cum arca in castra non esse illatum (1 *Reg.* 4.); ceterum etiam Iosuae et primo Iudicum tempore arca foederis sine tabernaculo castra videtur esse secuta[5]. Neque maiorem admirationem excitat, quod arca a Philisthaeis restituta in antiquam suam sedem non sit reportata; Israelitae enim poenis Bethsamitarum, qui non satis reverenter arcam tractaverant, edocti eam transportare noluerunt (1 *Reg.* 6,19 sqq.). Aedificium autem Siloniticum, postquam arca erat privatum, auctoritatis suae magnam partem amisit et penitus periit, quando ob causas, quas ignoramus, altare holocaustorum et reliqua tabernaculi vasa una cum antiqui tabernaculi mosaici reliquiis primum, ut videtur, in Galgala[6], deinde in Nobe (1 *Reg.* 21,1 sqq.), demum in Gabaon (3 *Reg.* 3,4 sqq.; 2 *Paralip.* 1,3 sqq.) translata sunt eorumque causa similia aedificia ibi sunt exstructa, in quibus aliae quoque reliquiae vel res insignes (« ex voto ») conservabantur (1 *Reg.* 21,10). Tanta autem non fuit reliquiarum tabernaculi mosaici veneratio, ut arca foederis, quae verum et proprium praesentiae divinae erat symbolum, cum illis videretur necessario coniungenda. Tum demum, quando terminato templo arca est illata, Israelitae reliquiarum illarum sunt recordati et « tabernaculum foederis et omnia vasa eius » etiam in templum intulerunt[7]. Tantum igitur abest, ut tabernaculi foederis nulla fiat mentio, ut eius historiam ab ingressu populi in Palaestinam usque ad templum aedificatum contexere possimus. Quod autem tota Iudicum aetate pauca dumtaxat de eo, sicut de reliquo cultu, nobis sunt relata, id dolendum quidem, sed non mirandum est, siquidem tota illa aetas continuis bellis et perturbationibus erat exagitata.

1. Ita fere *Graf* Geschichtl. Bücher d. A. T. 1866. p. 55 sq.; *Reuss* Gesch. des A. T. 1881. p. etc., ac praesertim *Wellhausen* Prolegomena 1883. p. 17-54 et *Kuenen* Einl. 1886. p. 190 sqq. — Contra quae cfr *G. Schumann* Wellhausensche Pentateuchtheorie 1892. p. 74 sqq.; *Green* Feste der Hebräer. 1894. p. 23 sqq.; *Rupprecht* des Rätsels Lösg. II. 2. 1897. p. 140 sqq.

2. Auctoritatem historicam librorum V. T. hic supponimus, infra suis locis eam demonstraturi; singulos tamen textus ab adversariis ideo tantum, *quia suo systemati repugnant*, reiectos interpretibus vindicandos relinquimus.

3. Si obiectionem hanc a *Wellhausen* l. c. p. 41 et a *Reuss* l. c. p. 467 sq. recoctam videret, quid diceret *Haneberg*, qui ante viginti fere annos eam iam obsoletam esse putavit? Relig. Alterthümer der Bibel. Ed. 2. München 1869. p. 165 : « Was würden die ältern Kritiker (Bohlen, Vater, Vatke etc.), welche nicht fur möglich hielten, dass

ein so kunstvoller Bau in der öden Sinaiwüste errichtet werden konnte, dazu sagen, wenn sie nun nicht ferne vom Sinai, in Sarbet el Chadim, die Ueberreste einer aegyptischen Niederlassung anerkennen müssten, die nach den dort gefundenen Inschriften lange vor Moses, aber auch zu seiner Zeit noch bestand? Da, wo aegyptische Bergknappen Steindenkmäler errichten konnten, welche drei Iahrtausende überdauerten, konnte es nicht an Mitteln fehlen, einen Bretterbau aufzuführen, welcher, wenn man von dem dabei verwendeten Golde absieht, dem ärmsten Städtchen Nordamerika's nur kurze Zeit als provisorische Kirche dienen würde ». Cfr etiam quae *Haneberg* l. c. p. 208 sqq. de fatis tabernaculi foederis disserit.

4. *Tr. Sebachim* 14,6. Cfr *Mischna* ed Surenhus. V. p. 59.

5. Cfr *Ios*. 3. 4. ac praesertim 6.; *Iudic*. 20,18. 26. Quem locum S. Hieronymus verbis « *hoc est in Silo* » in v. 18 insertis aliquantulum obscuravit. Vertendum erat : « Qui surgentes ascenderunt *Bethel* consuluerunt que Dominum ». Arca foederis igitur, per quam Dominus consuli solebat, eo tempore erat cum exercitu in *Bethel*, licet tabernaculum esset in *Silo*.

6. 1 *Reg*. 10,8; 11,14 sq.; 13,7. 12; 15,12. 33. Quibus ex textibus tamen non omnino constat, etiam *tabernaculum foederis* in Galgala eo tempore adfuisse; id unum enim demonstrant, Deum in Galgala singulari modo praesentem adfuisse. Fieri autem potuit, ut ob metum Philisthaeorum *arca foederis* ex Cariathiarim in Galgala sit translata, potius quam in Silo, quia haec quoque civitas excursionibus Philisthaeorum magis patebat. Verba autem *coram Domino* (11,15; 15,33) de iis, quae coram tabernaculo vel coram arca gerebantur, adhiberi solent ita ut ex iis iure colligatur, Galgala non fuisse similem aliis locis, in quibus eo tempore sacrificabatur, sed singulari veneratione dignum ob tabernaculi vel arcae praesentiam. Ceterum *Poels* (Le sanctuaire de Kiriath Iearim, Louvain 1894.) demonstrare conatur, variis istis nominibus (Gabaon, Nobe etc.) Cariathiarim designari.

7. 3 *Reg*. 8,4. Quem textum *Wellhausen* (l. c.) spurium declarat, sicut omnes versiculos l. Iosue, in quibus de tabernaculo foederis sermo est, ad suum « codicem sacerdotalem » pertinere asserit. Ex. gr. integra pericope *Ios*. 17,10-18,10 secundum Wellhausen est iahvistica (I E), solo excepto 18,1, qui, *quoniam de tabernaculo loquitur*, ex « codice sacerdotali » insertus dicitur. Hac ratione *construitur* quidem et *fingitur* historia, sed virum vere criticum hic procedendi modus parum videtur decere.

b.) *At tabernaculum foederis usque ad templi exstructionem etiam centrum cultus fuit*. Quae ut demonstremus, prius de legibus ipsis circa unitatem loci latis dicendum est. Primam statim post decalogum promulgavit Deus : « Altare de terra facietis mihi et offeretis super eo holocausta et pacifica vestra : *In omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei* (*hebr*. : in quo nomen meum commemoraverim i. e. maiestatem meam revelaverim), veniam et benedicam tibi » (*Exod*. 20,24.) Qua lege prohibetur quidem, quominus sacrificiorum locus arbitrarie eligatur, permittuntur autem sacrificia in omni loco, quem Deus singulari maiestatis suae revelatione sit consecraturus. Exstructo tabernaculo prima haec lex sub aliquo respectu est mutata et restricta. In tabernaculo enim Deus, quum requiescente super arcam columna nubium speciali modo praesens adesset, maiestatem suam continuo manifestavit; ideo coram tabernaculo semper sacrificari potuit et nova lege tabernaculum declaratur ordinarius religiosi cultus locus : « Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bovem aut ovem sive capram in castris vel extra castra, *et non obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Domini*... peribit de

medio populi sui » (*Levit.* 17,3 sqq.). Legem hanc in solo deserto, quamdiu integer populus circa tabernaculum castrametabatur, observari potuisse atque omnem mactationem quoque alio in loco eum solum in finem prohibuisse, ut omne idololatriae periculum praecaveretur (17,7), non minus certum est, quam eadem lege priorem non plane esse abrogatam; num forte Deo in aliis quoque locis praeter tabernaculum maiestatem suam manifestare eosque hac revelatione consecrare non amplius licuit? Haec Levitici lex toto peregrinationis tempore viguit; mutanda autem erat, quum Israelitae in eo essent, ut terram promissam ingrederentur et in tota Palaestina dispersi coram tabernaculo omnia animalia mactare non possent. Ingressuris igitur in Palaestinam omni in loco mactare permittitur (*Deut.* 12,15), de sacrificiorum autem loco haec statuuntur : « *Ad locum, quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris, ut ponat nomen suum ibi et habitet in eo,* venietis, et offeretis in loco illo holocausta et victimas vestras » etc. (*Deut.* 12,5 sqq.). Quantopere lex haec primae in Exodo promulgatae consonet, evidens est, neque minus clarum, eam a secunda Levitici in eo maxime dissentire, quod pro tabernaculo locum in peregrinationibus semper mutante supponat fore domum Dei quandam fixam et stabilem. At hanc fixam Dei sedem non statim post ingressum in terram promissam exstructum iri ipsa iam insinuat; Deum enim locum sibi electurum praedicit, quando filii Israel Iordane transiecto et terra occupata « quietem habituri sint a cunctis hostibus per circuitum et *absque ullo timore sint habitaturi* » (*Deut.* 12,10 sq.). Atqui id non obtinuit, nisi salomonica aetate, « *quando habitabant Iuda et Israel absque timore ullo* » (3 *Reg.* 4,25 cfr 5,18); quare etiam ante Salomonem Deus « non elegit civitatem de universis tribubus Israel, ut aedificaretur domus et esset nomen eius ibi » (3 *Reg.* 8,16. 29). Tres igitur leges procul dubio correspondent tribus epochis historiae israeliticae, sed non ea ratione, qua volunt adversarii nostri. Lex enim Exodi sola valuit usque ad exstructum tabernaculum; quo exstructo lata est lex Levitici, quae (excepta prohibitione illa de mactationibus) perduravit usque ad templi aedificationem, a quo tempore lex Deuteronomii urgere incepit. Num opus est addere Deum, quum unum locum sacrificiorum ordinarium praescriberet, sibi ius non ademisse, ut aliis quoque in locis maiestatem suam manifestaret memoriamque sui nominis faceret, ita ut ibi quoque certis in occasionibus sacrificia legitime offerrentur?

Quibus praemissis ad assertum demonstrandum accedimus. *Iosuae* tempore tabernaculum foederis centrum religiosum Israelitarum fuisse nemo negat, nisi qui praeiudiciis suis seductus omnes textus supra allatos (*Ios.* 18,1. 8. 10; 19,51; 22,29) fictitio suo « codici sacerdotali » attribuere velit; alterius autem loci, in quo sacrificia sint oblata, ne levissimum quidem invenitur in toto libro Iosue vestigium. *Iudicum* librum de statu religioso pauca tradere iam diximus, at in Silo, ubi Iosue tabernaculum fixerat, annua festa celebrabantur (*Iudic.* 21,19), quia ibi erat « domus Dei » (*Iudic.* 18,31). Verum est, librum Iudicum sacrificia etiam aliis in locis oblata referre, in Bokim, in domo Gedeonis, in agro Manuae (2,1-5; 6,25, sqq.; 13, 19); apparitionibus autem « Angeli Domini » loci illi erant consecrati atque

permittente Deo legislatore sacrificia ibi offerebantur[8]. Quum autem Gedeon privata sua auctoritate in domo sua sanctuarium quoddam fundasset, auctor sacer monet, illud Gedeoni ipsi et domui eius fuisse in ruinam (8.25-27). Versus finem illius aetatis tabernaculum semper fuit in Silo, nec aliud isto tempore fuisse sacrarium vel alium sacrificiis offerendis locum tota narratio de nativitate et pueritia Samuelis docet (1 *Reg.* 1.2. 3).

A Moysis igitur morte usque ad Samuelem uno solo in loco ordinarie sacrificabatur; a Samuele autem usque ad templum exstructum res aliter se habuisse videtur. Difficultatem quidem non creat, quod Samuelem ipsum in diversis locis sacrificia offerre videmus (1 *Reg.* 7, 9. 16), ubi nec tabernaculum nec arca foederis aderat; propheta enim erat et divino instinctu agebat, ita ut in locis ab eo electis « memoria Dei » adfuisse recte dicatur. Neque maiorem difficultatem habet, quod Saul post victoriam de Philisthaeis reportatam (1 *Reg.* 14,35) aut David in area Areuna Iebusaei (2 *Reg.* 24,25) altaria erexerint; miraculoso enim Dei auxilio et Angeli apparitione duo illi loci erant consecrati; immo in Saulis exercitu tempore illo arcam adfuisse non temere asserimus (1 *Reg.* 14,18). Attamen mos videtur fuisse, ut familiae in domo sua (1 *Reg.* 20,28. 29) vel in praecipua tribuum civitate (2 *Reg.* 15,7. 8) sacrificia offerrent. Quae contra legem fuisse fateamur oportet; praeceptum igitur de unitate loci cultus inde a summi sacerdotis Heli morte usque ad templi aedificationem accurate observatum non est. Attamen rationes non desunt, quibus minor haec fidelitas explicatur, etsi non plane excusetur. Arca enim a tabernaculo foederis erat separata, ita ut duo quasi legitima sanctuaria tum temporis in Israel essent; coram arca enim semper sacrificare licebat, atque tabernaculum quoque, coram quo relictum erat altare holocaustorum, remansit legitimus sacrificiorum locus (2 *Paral.* 1,3; 3 *Reg.* 3. 4). Tabernaculum autem atque arca satis frequenter locum suum mutaverunt; prius ex Silo in Galgala, Nobe, Gabaon translatum est, altera interdum castra sequebatur; unde animorum quandam incertitudinem exortam esse facile intelligitur. Ad quam augendam accedebat, quod duo quoque summi sacerdotes eodem tempore adessent, quorum alter a maiore Aaronis filio Eleazaro, alter a filio minore Ithamar descendebat[9]. Utrum utriusque seriei sacerdotes in diversis sanctuariis ministraverint, an alterutri privati degerint, ignoramus quidem; at hoc schismate perturbatos fuisse Israelitarum animos, ut iam variis in locis sacrificia sibi licita esse arbitrarentur, quis mirabitur? Ex eo autem, quod per certum tempus lex aliqua non observatur, immerito concluditur legem eo tempore non exstitisse[10]; fieri enim potest non tantum, ut ad maiora mala vitanda superiores interdum legis alicuius observationem non urgeant, sed ut ipsi quoque negligentiae reos se exhibeant. Num forte praeceptum coelibatus non exstitit, quia ante S. Gregorii VII. aetatem saec. 10. et 11. non semper accurate est observatum nec ab omnibus Pontificibus inculcatum?

Ab eo demum tempore, quo exstructum est templum eique arca foederis et reliquiae tabernaculi mosaici sunt illatae, mons Sion factus est centrum religiosum Israelitarum, neque extra templum fas erat sacrificare. Id quidem negant adversarii nostri ad excelsa provocantes, in quibus utrius-

que regni Israel et Iudae incolae, priores usque ad regni sui destructionem, alteri usque ad Iosiae aetatem nullo reluctante sacrificia obtulerint. Quo cum iure hoc negent iam est inquirendum.

α.) Praeprimis Eliae et Elisaei sacrificia (3 *Reg.* 18,29 sqq.; 19,21) perperam pro argumento afferuntur; a prophetis enim permittente et approbante Deo oblata sunt. Neque rectius affertur Salomonis sacrificium in Gabaon, « quia ibi erat excelsum maximum » (3 *Reg.* 3,4); maximum enim vocatur excelsum Gabaon, quia ibi « erat tabernaculum foederis Dei, quod fecit Moyses famulus Dei in solitudine » (2 *Paral.* 1,3), nec arbitraria rationalistarum negatio auctoritatem huius testimonii minuit, nedum destruat; attende quoque, tempore illo templi aedificationem nondum fuisse inchoatam.

β.) Secundo loco immerito omnino inter reges primus Iosias excelsa abstulisse asseritur. Centum fere annis ante Iosiam, quo tempore secundum adversarios nostros Deuteronomium et « codex sacerdotalis » ignorabantur, Ezechias iam dissipavit excelsa (4 *Reg.* 18,4. 22; *Is.* 36,7), nec argumenti huius vis infringitur, quia post Ezechiae mortem excelsa revixerint. Immo plus trecentis annis ante Iosiam, i. e. brevi post regni scissionem, Asa et Iosaphat excelsa auferre conati erant (2 *Paral.* 14,2; 15,17; 17,6)[11]. Idea igitur unitatis cultus non est exorta Iosiae tempore, sed lex exstitit semper, etsi accurate non observata sit.

γ.) Quod clarius patet, si sacros libros inspicimus. Libros Regum omittamus, quia adversarii nostri eorum testimonium, utpote recens, respuunt, nos autem eo non indigemus. Ante omnia adnotemus, « criticos » hucusque ex omnibus libris propheticis, quorum authentiam agnoscunt, ne unicum quidem textum attulisse, quo pluralitas locorum sacrificii approbetur; ex silentio solo argumentantur. Prophetae, inquiunt, unitatem loci non commendant, ergo hac de re non exstitit lex. Cuius argumentationis conclusionem parum esse legitimam nemo non videt, sed quid de antecedente est dicendum? Num in *Psalterio*, cuius cantica plurima ante Iosiae aetatem sunt composita, mons Sion forte non ita semper celebratur, ut velut unica sedes Dei in medio populo consideretur? Mons Sion, postquam in eum translata est arca foederis, factus est « *mons sanctus Dei* » (*Ps.* 2,6), « *tabernaculum Dei* » (14 [15],1), in quo *Deus* « *habitat* » (9,12), ex quo *exaudit preces* (3,5), *mittit auxilium et tuetur* (19 [20], 3), in quo *hymnis celebrari et vota accipere vult* (64 [65], 2). Hinc tanto cum ardore desiderant pii accedere ad montem istum (41. 42. 121 [42. 43. 122] etc.), nam « *qui confidunt in Domino, sunt sicut mons Sion; non commovebitur in aeternum, qui habitat in Ierusalem* » (124 [125], 1) etc. etc.[12]. Num haec omnia intelliguntur, si praeter templum alia erant excelsa, in quibus Deus praesens adesse, suos exaudire suorumque sacrificia accipere credebatur? — Cum sacris poetis concinunt prophetae. Nonne Ezechiae tempore *Isaias* (2,1 sqq.) et *Michaeas* (4.1 sqq.) ita de Sion loquuntur, ut si mons ille eo tempore non fuisset centrum religiosum Israelitarum, eorum verba non essent intellecta? Et quid sibi volunt *Is.* 4,2-6, si propheta plures locos legitimi cultus agnovit? « *Dominus exercituum in monte Sion habitat* » (8,18), mons Sion est « *locus nominis Domini exercituum* » (18,7), « *Domini ignis est in Sion et caminus eius in Ierusalem* » (31,9); in Ierusalem celebran-

tur sollemnitates (29,1) eoque pergent cum tibiis, ut intrent in montem Domini (30,29); *Sion enim est civitas sollemnitatis* (rectius congregationis populi), *quia ibi solummodo* (rectius : immo ibi) *magnificus est Dominus* (33, 20) etc. Quemadmodum autem Sion velut centrum unitatis religiosae celebrat propheta, ita excelsa damnat; non solum enim refert Ezechiam excelsa abstulisse (36,7), sed praedicit fore, ut erubescant Israelitae super hortis, quos elegerant (1,29), atque tempus praevidet, quo non amplius ad altaria, quae fecerint manibus suis, nec ad lucos et delubra, quae operati sint digitis suis, attentionem sint facturi (17,7. 8). Acrius Isaiae coaevus *Michaeas* in excelsa invehitur, qui « excelsa Iudae » ita adhibet, ut unum idemque sonet, quod « scelus Iudae » (1,5). Sed diutius, quam par est, hisce inhaesimus; id unum addamus, etiam a prophetis regni septemtrionalis Ierusalem velut sedem Dei considerari (*Am.* 1, 2. « *Dominus de Sion rugiet et de Ierusalem dabit vocem suam* ») et omnia excelsa damnari (*Am.* 3,14; 4,4; *Os.* 4,15; 5, 8 etc.); quantopere autem ab excelsis abhorruerint, evidentissime ex eo solo iam apparet, quod praecipuum excelsum *Bethel* (domum Dei) *Bethhaven* (domum nequitiae) vocare soleant.

8. Sacrificia, quae coram sola arca offerebantur (*Iudic.* 20,18 sqq.; 1 *Reg.* 6,15, 2 *Reg.* 6,12 sqq.), legitima fuisse diximus; atque monuimus quoque, in *Iudic.* 20,18 a S. Hieronymo verba « *hoc est in Silo* » erronee esse inserta.

9. Secundum *Fl. Ioseph.* Antiqu. VIII. 1,3. ex posteris Ithamar primus pontifex fuit Heli, quem ex eadem familia secuti sunt Achitob, Achimelech, Abiathar; eodem tempore ex posteris Eleazari vixisse tradit Bocciam, Ioatham, Maraiothum, Arophaeum, Achitob, Sadoc. Davidis tempore certum est duos fuisse summos sacerdotes, Abiathar et Sadoc (2 *Reg.* 20,25), quorum prior (Abiathar) ex posteris Heli et Ithamar oriundus a Salomone dignitate sua privatus est (3 *Reg.* 2,27), ita ut Sadoc Eleazarida eiusque posteri supremum ordinem retinerent. Sed de pontificum successione in Archaeologia sacra erit tractandum.

10. Verba 3 *Reg.* 3,2 (« Attamen populus immolabat in excelsis; non enim aedificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum ») sensu exposito intelligenda sunt, quod post Heli mortem exorta erat perturbatio quaedam, quae usque ad pontificum schisma sublatum et templum exstructum perduravit.

11. Regum Asa et Iosaphat conatus a solo quidem Paralipomenon auctore commemorantur; at etsi ad librorum inspirationem non attendimus, nihil prorsus affertur, quo eius testimonium fidem non mereri demonstretur. De contradictione, quae in his narrationibus Paralipomenon adesse dicuntur cfr *infra* 115 3. b. γ.

12. Allegavimus eos psalmos solos, qui etiam a plerisque « scholae criticae » asseclis exsilio antiquiores habentur; Wellhausen utique paucique alii, qui praeiudiciis suis abrepti in dubium vocant, num in Psalterio cantica exsilio antiquiora inveniantur, argumentum nostrum respuent; sed quomodo cum viris disputabimus, qui ex solo silentio librorum sacrorum argumentantur, omnes textus, qui contra eos testantur, nullo prorsus argumento allato spurios declarant, suis vero assertis caecam fidem haberi volunt?

45. — 2. Alterum obiectionis caput constituunt SACRIFICIA, de quibus diffuse quidem, sed simul tam confuse agunt adversarii nostri, ut quid velint aegerrime deprehendas[1]. Ab assertione, *qua absurdiorem nemo unquam statuit*, tractatum suum incipiunt. Primam enim differentiam inter « codicem

sacerdotalem » ab Esdra confectum vel introductum et inter antiquiores iahvisticas Pentateuchi partes (IE), quibuscum consentiat historia cultus ante exsilium, in eo inveniunt, quod secundum IE et in tota historia ante exsilium valor sacrificii a *persona* dependeat, *cui* offeratur, utrum scilicet vero Deo an idolo, at secundum « codicem sacerdotalem » integer valor a *ritu* derivetur, quo offeratur, ita ut *sacrificium idolo oblatum, dummodo ritus legitimus sit observatus, omnino sit validum*[2]. Refutatione assertum hoc non indigere patet; interrogare autem velim, num ullus homo sanae rationis vere sibi persuadere possit, Esdrae tempore, quo Israelitae magis, quam unquam antea, idololatriam aversati sunt, introductum vel compositum esse codicem, qui sacrificia idolis oblata, dummodo certus ritus fuerit observatus, sacrificiis Domino rite oblatis aequiparaverit. Atque illud quoque scire velim, num quis credat, Israelitas ante exsilium de ritibus sacrificiorum non fuisse sollicitos, quum omnes omnino populos antiquos maximam curam in ritibus suis scrupulose servandis posuisse tota historia testetur. Israelitas autem, si iam ante exsilium ritus sacrificiorum accurate observabant, codice rituali carere non potuisse perspicuum est. Ezechielem asserunt primum praecepta ritualia literis mandasse; quasi homines praecepta colligere soleant, quando nulli usui esse possunt. Num forte ante exsilium sacerdotes scribere non potuerunt?

Porro arbitrarie asserunt « codicem sacerdotalem » reliquis Pentateuchi partibus (IE) opponi, propterea quod omnia sacrificia a Moyse derivet nec ullum antea oblatum commemoret, dum ex IE non tantum patriarchas sed iam Abelem et Cainum sacrificasse constet[3]. Scilicet omnes versus, qui in Genesi et Exodo de sacrificiis loquuntur, ex « codice sacerdotali » exscindunt alterique fonti attribuunt; et en adest oppositio desiderata!

Praecipuum autem argumentum, quo ritus in sacrificiis observandos per Moysen non esse praescriptos demonstrare conantur, eis prophetarum libri praebent. Omnes enim prophetae frequenter loquuntur contra sacrificia Deumque aliud postulare docent, quam sacrificia; immo *Ieremias* (7,22) Moysen quidquam de sacrificiis praecepisse diserte negat; atqui ita prophetae non essent locuti, si « codex sacerdotalis » esset mosaicae originis[4]. Verum prophetas non sacrificia ipsa reiecisse, sed vituperasse animum, quo offerebantur, res tam clara est, ut ab omnibus prudentibus agnoscatur; hinc iure dicimus, illa sacrificia, in quae prophetae invehuntur, revera nec mosaicae nec divinae fuisse originis. Sacrificium enim visibile, ut verum sit sacrificium, « invisibilis sacrificii sacramentum, i. e. sacrum signum » sit oportet, ut docet *S. Augustinus*, quum, uti habet *S. Ambrosius*, « Deus non muneribus oblatis placetur, sed offerentis affectu », et secundum *S. Thomam* « in oblatione sacrificii non pensetur pretium occisi pecoris, sed significatio, qua hoc fit in honorem summi rectoris totius universi »[5]. Huiusmodi igitur sacrificia, quae « significarent spirituale sacrificium, quo anima se ipsam offert Deo » (*S. Thom.* l. c.), Deus per Moysen postulaverat; illa autem opera mere externa, in quibus Iudaei legibus omnibus moralibus conculcatis impoenitentes spem suam ponebant, vituperant et reiiciunt prophetae[6].

In ritibus demum ipsis quoque differentiam et oppositionem inter « codicem sacerdotalem » et inter historiam cultus antiqui inveniunt. Cum antiquis enim sacrificiis epulas semper esse coniunctas statuunt, ita ut « nec sacrificium sine epulis nec epulae sine sacrificio » fuerint, ideoque antiquitus illud sacrificiorum genus, quod *pacificorum* (שְׁלָמִים) vocatur, praevaluisse tenent; in « codice sacerdotali » autem praevalere *holocausta*, iisque accedere sacrificia *pro delictis* et *pro peccatis* (חַטָּאת et אָשָׁם) quae antiquitus fuerint incognita[7]. — Profecto mirum est, quod non obstantibus his assertionibus prima sacrificia, quae commemorantur, « holocausta » vocentur. Abeli sacrificium urgere nolumus, quamvis plerique illud holocaustum fuisse censeant; at Noe post diluvium holocaustum obtulit (*Gen.* 8,20), Abraham holocaustum offerre iussus est (*Gen.* 22,1 sqq.), Moyses a Pharaone hostias et holocausta petiit, quae Israelitae in deserto Deo offerrent (*Exod.* 10,25), Iosue (8,31), Gedeon (*Iudic.* 6,26), Manua (*Iudic.* 13,16) holocausta obtulerunt et Iephte holocaustum vovit (*Iudic.* 11, 31); Bethsamitae coram arca a Philisthaeis restituta (1 *Reg.* 6, 14), Samuel ante pugnam prope lapidem adiutorii (1 *Reg.* 7,9), Saul ante bellum cum Philisthaeis (1 *Reg.* 13,9) et post victoriam de Amalecitis (*Reg.* 15,12) etc. etc. holocausta obtulerunt, nec unquam omnibus illis in casibus de epulis loquitur Scriptura. Sacrificia pro delictis et peccatis per legislationem mosaicam esse introducta nec ante Moysen commemorari concedimus, atque rarius quoque ante exsilium ea nominari fatemur, id quod satis facile explicatur, quum pleraque essent sacrificia privata; at illa ante exsilium incognita fuisse (id quod dicendum esset, si « codex sacerdotalis », qui ea introducit, per Esdram esset confectus vel promulgatus), erronee asseritur. David illa cum aliis sacrificiorum speciebus enumerat (*Ps.* 39 [40], 7); in regno septemtrionali *Osee* (4,8) et in regno meridionali *Isaias* (53,10) illa cognoverunt. Sed pauca haec sufficiunt; neque enim huius est loci totam quaestionem de sacrificiis tractare.

1. *Wellhausen* Prolegom. p. 54-85. — Contra quae cfr *Schumann* Wellhausensche Theorie. 1892. p. 79 sqq.; *Rupprecht* l. c. II. 2. 1897. p. 155 sqq.

2. Quomodo quis talia asserere potuerit, vix intelligitur; revera *Wellh.* (p. 54 sq.) ab initio caute ac dubitanter dicit : « *man könnte glauben*, auch wenn es (das Opfer) einem andern Gotte dargebracht würde, würde es durch den legitimen Ritus an sich gleichsam jahvistisch von Natur sein »; sed p. 57 omnis dubitatio disparuit : « Aber wenn auch nicht anzunehmen ist, dass (in antiquis sacrificiis) auf das *rite* gar nichts sollte gegeben worden sein, so liegt doch darauf keinesfalls der Nachdruck; der Gegensatz ist nicht *rite* und *nicht rite*, sondern dem *Iahve* und *den fremden Göttern* — UMGEKEHRT WIE IM PRIESTERCODEX ».

3. *Wellh.* (l. c. p. 56) de patriarcharum sacrificiis loquens monet : « *Der Gegensatz gegen den Priestercodex ist höchst auffallend;* denn es ist bekannt, dass dieser kein Opfer vor Moses erwähnt, weder in der Genesis, noch im Exodus ».

4. *Wellhausen* l. c. p. 58 sqq.

5. *S. August.* de civit. Dei X. 5 (M. 41,282); *S. Ambros.* de Abele II. 6 (M. 14,350), *S. Thom.* II. 2. qu. 85. a. 2. ad 2um.

6. *Ierem.* 7, 22 difficultatem creat, quam antiqui interpretes vario iam modo solvere conati sunt. Verba eius sunt haec : « Haec dicit Dominus exercituum Deus Israel :

Holocautomata vestra addite victimis vestris et comedite carnes. Quia non sum locutus cum patribus vestris et *non praecepi eis in die, qua eduxi eos de terra Aegypti, de verbo holocautomatum et victimarum*; sed hoc verbum praecepi eis dicens : Audite vocem meam, et ero vobis Deus et vos eritis mihi populus, et ambulate in omni via, quam mandavi vobis, ut bene sit vobis ». S. Hieronymum sequentes plerique ita textum explicant, ut Deum non in prima legislatione sinaitica (= in die, qua eduxi eos de Aegypto), sed postquam vitulo aureo confecto a Deo iam iterum defecerant Israelitae, praecepta de sacrificiis dedisse dicant. Quae explicatio effugium esse videtur, siquidem etiam in prima legislatione constructio altaris iam erat praecepta. Atque effugium etiam videtur, si *Sanctius* leges illas non nisi post ingressum in terram Chanaan urgere incepisse monet; etenim Deus ea in deserto iam dederat. Aptius, opinor, solvitur nodus, si in textu nihil aliud videmus, nisi quod in aliis sexcentis, oppositionem scilicet inter sacrificia, quatenus sunt opera mere externa, et inter internum affectum obedientiae. Optime enim vertimus textum hebr. : « Non praecepi eis... *propter* (עַל־דִּבְרֵי cfr *Gen.* 12,17; *Deut.* 4,21; 22,27 et saepius) holocausta et victimas », sc. ac si iis indigerem et legislatio mea ad eas obtinendas data esset, « sed praecepi : Audite vocem meam » etc. Eadem igitur est prophetae idea, quae Psalmistae : « Sacrificium et oblationem *noluisti*, aures autem perfecisti (perforasti) mihi; holocaustum et pro peccato non *postulasti* » (*Ps.* 39 [40], 7); « si esuriero non dicam tibi... numquid manducabo carnes taurorum aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis » etc. (*Ps.* 49 [50], 12 sqq.). Neque enim foederis fundamentum erant sacrificia, sed obedientia Deo praestanda : « *Si audieritis vocem meam et custodieritis pactum meum*, eritis mihi in peculium de cunctis populis » (*Exod.* 19,5); atque hoc fundamentum, cui integrum foedus innitebatur, in memoriam revocat propheta. Ceterum omnibus ipsisque recentissimis adversariis fatentibus Ieremias Deuteronomium cognovit, immo recentissimi Ieremiae in Deuteronomio (fingendo et) introducendo non ultimas partes attribuunt; in Deuteronomio autem Deus etiam sacrificia praescribit; num igitur Ieremiam sibi contradixisse dicemus? Wellhausen quidem id asserere non veretur (cfr Prolegomena. p. 428 n; supra 21. n. 5. p. 72); at prophetam, qui a Deo datus erat « in civitatem munitam et in columnam ferream et in murum aereum supra omnem terram » (*Ier.* 1,18), contra tam exsecrandam accusationem defendere, quis necessarium duxerit? Porro id quoque animadverte, Ieremiae verba (7,22) « ero vobis Deus et vos eritis mihi in populum » *ad literam* ex « codice sacerdotali » sc. ex *Levit.* 26,12, alia verba « ambulate in omni via, quam mandavi vobis » ex *Deut.* 5,30 esse desumta. Demum interrogemus, quomodo fieri potuerit, ut Esdras totam hanc legislationem de sacrificiis Moysi affingeret, si ex omnium prophetarum libris constitisset, Deum per Moysen nihil de sacrificiis praecepisse, et Ieremias mosaicam sacrificiorum originem diserte negasset? — Ceterum cfr *Knabenbauer* Comm. in Ierem. 1889. p. 123 sq. et de difficultate ex *Am.* 5,25 desumta *eiusdem* Comm. in Proph. minor. I. p. 295 sq.

7. Cfr *Wellhausen* l. c. p. 72 sqq.

3. In FESTIS PRAECEPTIS quoque « codicem sacerdotalem » cum priore legislatione et historia pugnare asserit recentissima « criticorum » schola[8]. Varia autem enumerantur contradictionis capita. Antiquitus, inquiunt, Israelitae tria maiora festa eum solum in finem celebrabant, ut in vere frugum primitias offerrent (pascha), ineunte aestate de terminata frugum messe (pentecoste), in auctumno de integra messe terminata (festum tabernaculorum) gauderent. In Deuteronomio autem pascha et tabernaculorum

festum iam cum exitu ex Aegypto coniunguntur, atque in « codice sacerdotali » demum haec historica relatio tantopere praevalet, ut primitiva festorum significatio prorsus dispareat. Porro in ceremoniis praescriptis inveniuntur discrepantiae inter Deuteronomium et « codicem sacerdotalem »; qui etiam duo nova festa addit, primum diem septimi mensis et magnum expiationis diem, quorum in tota historia nullum vestigium invenitur; atque ipsum pascha ante Iosiam, inde a Iudicum tempore, non esse celebratum diserte asseritur (4 *Reg.* 23,21 sqq.); usque ad Iosiae autem aetatem festum tabernaculorum, quum solum commemoretur, unicum aut saltem praecipuum antiquorum Hebraeorum festum fuisse videtur.

De festorum significatione non dicemus, siquidem pugnam et contradictionem evidens est non inveniri, etsi uno in loco una, altero in loco altera significatio rei alicuius aut sola aut praecipue praedicetur, dummodo significationes ipsae inter sese non pugnent; idem festum autem simul exitum ex Aegypto commemorare atque in gratiarum actionem de altero beneficio collato celebrari posse nemo negabit. Unicus textus, ex quo demonstrare conantur adversarii nostri, iam ante Moysis aetatem festa illa velut « festa naturalia » ab Hebraeis esse celebrata, est *Exod.* 10,9, ubi Moyses a Pharaone exitum filiorum Israel petit, ut *festum* in deserto celebrent. At quomodo ex verbis illis deducatur, unum ex tribus festis maioribus postea institutis Moysen in mente habuisse, equidem non video. Sacrificia enim sollemnia, de quibus toto illo tempore, quo plagae duraverunt, i. e. *pluribus mensibus*, Deus per Moysen locutus erat (« Dimitte populum meum, ut sacrificet mihi »), hoc uno in loco « *sollemnitas Domini* » (חַג־יְהוָה) appellantur; tria autem maiora festa fixum ratumque suum diem habuerunt, qui dudum praeterierat, quando post ultimam plagam Pharao Israelitis permissionem abeundi concessit. — In ceremoniis praescriptis pugnam non adesse sola iam historia postexsilica ostendit; iuniores enim Iudaei illas omnes observarunt. Num forte Esdras sacerdos, vel quisquis secundum adversarios nostros ultimus est Pentateuchi atque pentateuchicae legislationis redactor, in codice legum ritualium, quae quotannis observandae erant, contradictiones et pugnas reliquisset? Quod nos hodie, postquam usus, qui optimus est legum interpres, sacrificiorum et festorum illorum a duobus fere millibus annorum cessavit, non amplius leges illas accurate intelligamus, id certe mirum non est. Qui quotidiano usu non est edoctus, etiam in nostris legibus liturgicis innumeras difficultates et apparentes contradictiones inveniet. — Celebrationem festorum in libris historicis raro commemorari verum quidem est, falsum autem, solum festum tabernaculorum ante Iosiam nominari[9]. Statim enim post ingressum in terram promissam filii Israel « fecerunt Phase quartadecima die mensis ad vesperam in campestribus Iericho » (*Ios.* 5,10); et centum annis ante Iosiam Ezechias « misit ad omnem Israel et Iuda..., ut venirent ad domum Domini in Ierusalem et facerent Phase Domino Deo Israel » (2 *Paral.* 30,1); festi quoque Pentecostes diserta mentio habetur tempore Salomonis (2 *Paral.* 8,13). Consuetis quidem suis effugiis testimonia haec eludere conantur; textum sc. libri Iosue ad suum « codicem sacerdotalem » trahunt et Paralipomenis fidem denegant. Mirum autem, quod

soli tres illi versus (*Ios.* 5,10-12) ad mirificum illum « codicem sacerdotalem » pertinuerint, reliqua omnia quae praecedunt (*Ios.* 1,1-5,19 excepto solo 4,19) et quae sequuntur (5,13-9,16) alios habeant auctores[10]. Magni diei expiationis testimonium ante exsilium revera non invenimus; at si ex hoc silentio aliquid iure deducitur, concludendum erit, expiationis diem non nisi post Christum esse institutum; certum enim et clarum eius testimonium non nisi *Hebr.* 9. habemus, quae epistola ex « criticorum » definitione exeunte saec. 1. aut ineunte saec. 2. scripta est. Num enim « ieiunium », de quo *Act.* 27,9 sermo est, sit ieiunium diei expiationis, non est certum, neque magis certum, num *Eccli.* 50,5 (text. graec.) de hoc festo agatur. Verumenimvero nihil admirationis in eo esse putamus, quod de festis, quae ordinario et consueto modo singulis annis peragebantur, libri historici non loquantur nec eorum ritus describant.

8. *Wellhausen* Prolegom. p. 85-124 de festis diffusissime agit; egregie autem refutatur a ***W. H. Green*** Die Feste der Hebräer. 1894.

9. Unum solum exemplum affero, quo adversariorum disputandi ratio cognoscatur. Inter alia asserit *Wellhausen*, ne nomen quidem *Phase* ante Iosiam i. e. ante inventum vel potius confictum Deuteronomium in usu fuisse. Oppones nomen חַג־הַפָּסַח (sollemnitas Phase) legi *Exod.* 34,25, qui versus secundum ipsum *Wellhausen* nec ad « codicem sacerdotalem » pertinet nec a Deuteronomista est adiectus. At in nota (Proleg. p. 88) edoceris lectionem esse erroneam; legendum enim esse חַגִּי (« festum meum »). Profecto modus hic solvendarum difficultatum facillimus est; utrum virum criticum deceat, alia est quaestio. Item si narrationem, quae *Exod.* 13. legitur, sententiae eius de origine paschatis opponis, definit illam Exodi pericopen a Deuteronomista esse retractatam et mutatam (Proleg. p. 90).

10. Cfr *Wellhausen* Skizzen u. Vorarbeiten. II. p. 121; *De Wette Schrader* Einl. p. 304.

46. — Duo ultima (quartum et quintum) obiectionis capita de sacerdotibus levitisque et de eorum redditibus agunt. Supra (41. 2 p. 131 sqq.) nonnulla iam attigimus, alia Archaeologiae sacrae exponenda reservamus, pauca illa, quae maiorem difficultatem creare videntur, hoc loco expediemus.

Secundum novam « criticam » scholam historia antiqua Israelitarum docet sacerdotium per Moysen non esse institutum, nec Aaronitis ullum ius prae levitis nec utrisque ullum privilegium in sacris faciendis prae laicis esse attributum. Distinctionem inter sacerdotes et inter levitas per Ezechielem esse invectam, quum sacerdotes iudaicos istos, qui in excelsis eo usque sacrificaverant, munere suo privandos esse pronuntiaret, ut in templo hierosolymitano infima ministeria obirent; ex Ezechiele quoque constare, sacerdotes genus suum non ab Aarone derivare, sed ab Sadoc, qui tempore Davidis summum sacerdotium obtinuit, quamvis ex aaronitico genere non esset. Levitas ipsos autem nihil habere commune cum antiqua tribu Levi, nisi solum nomen; antequam enim populus in Palaestinam ingressus esset, tribum Levi iam interisse, id quod ex *Gen.* 49,7 appareat; nomen autem levitarum inde videri exortum, quod Moysis, qui forsitan ex tribu Levi descenderit, posteri per certum tempus sacerdotium possederint et ab iis nomen

ad alios sacerdotes transierit. Ceterum omnibus ius sacrificandi olim fuisse; neque enim Iudicum dumtaxat aetate Gedeonem et Manoen (*Iudic.* 6,25 sqq.; 13,9), sed etiam postea Samuelem, Saulem, Davidem (1 *Reg.* 7,9; 10, 8 etc.; 13,9; 2 *Reg.* 6,17; 24,25), Salomonem, Eliam, Eliseum (3 *Reg.* 8,5. 62; 18.27; 19.21) sacrificia obtulisse, quamvis nec sacerdotes nec levitas eos fuisse libri sacri tradant[1].

Ab ultima obiectionis parte inchoemus, quum praecipua sit; ad eam autem solvendam duo prae oculis habenda sunt. Primum est, vocem sacrificandi, id quod ex ipso « codice sacerdotali » apparet, duplici sensu adhiberi; *sacrificat* (הִקְרִיב) enim quum ille, qui victimam affert et mactat, tum ille, qui victimae sanguinem coram Deo effundit. « Homo, qui *obtulerit* (יַקְרִיב) hostiam Domino de pecoribus... immolabit (mactabit) victimam coram Domino *et offerent* (וְהִקְרִיבוּ) filii Aaron sacerdotes sanguinem eius fundentes per altaris circuitum » etc. (*Levit.* 1,2. 5). Priore sensu omnis Israelita « sacrificia offerre » potuit ac debuit, altero sensu sacrificium a solis sacerdotibus offerebatur. Iam non est dubium, quin multi textus, ex quibus « critici » contra nos argumentantur, priore sensu ita sint intelligendi, ut sacerdotum ministerium non excludatur, sed supponatur. Etenim si « omnis populus » (1 *Reg.* 11,15), « Salomon et omnis multitudo Israel », « rex et omnis Israel cum eo » (3 *Reg.* 8,5. 62) « sacrificasse » narrantur, nonne evidens est, eos per sacerdotes sacrificasse? Atque idem dicendum de iis textibus, in quibus Saul et David sacrificia obtulisse leguntur; cum David enim coram arca in montem Sion allata aut in area Areuna sacrificante (2 *Reg.* 6,17; 24,25) sacerdotes adfuisse, tota narratio docet, atque Saulem quoque in Galgala per sacerdotes obtulisse (1 *Reg.* 13,8 sqq.) vel ideo est admittendum, quia eo tempore summum sacerdotem secum habuit (1 *Reg.* 14,8 sqq.). Secundo autem loco adnotemus Deum, quamquam Aaronem posterosque eius ad sacerdotium elegerat, certis in occasionibus potuisse aliis quoque permittere, ut legitima sacrificia offerrent. Gedeoni et Manoae (*Iudic.* 6,25 sqq.; 13,9) non tantum permissum, sed imperatum est a Deo, ut sacrificarent; Samuel, Elias, Eliseus erant prophetae, qui instinctu Dei agebantur; ex eorum igitur agendi ratione immerito deducitur, omnibus Israelitis idem sacrificandi ius eo tempore fuisse[2]. Post exstructum demum templum sacerdotibus solis sacrificia in eo offerre licuisse demonstratione non indiget. Hinc iam patet a Moyse usque ad exsilium sacerdotes semper fuisse a laicis distinctos.

At ex libris historicis V. T., si vel minimam fidem merentur, etiam luculenter demonstratur sacerdotale munus in familia Aaronis fuisse haereditarium. Iosuae aetate Aaronis filius et nepos, Eleazarus et Phinees, summum sacerdotium tenent eodemque tempore eam invenimus sacerdotum et levitarum rationem, quam tradit Pentateuchus[3]. Eundem Phineam summum sacerdotem post Iosuae mortem munere suo fungentem commemorat liber *Iudicum* (20,28). Exeunte Iudicum aetate sacerdotalibus muneribus omnibus soli funguntur Heli eiusque filii; quibus mortuis Heli posteros usque ad Salomonis aetatem summum sacerdotium tenuisse invicte ex duo-

bus prioribus *Regum* libris demonstratur[4]. Verum Heli, id quod ex 1 *Paral.* 25,3, si cum 1 *Reg.* 22,10 et 14,13 confertur, satis clare patet, ab Ithamar, filio minimo natu Aaronis, prognatus est; eumque revera ex illa familia genus ducere, cui per Moysen Deus sacerdotalem dignitatem contulit, apparet ex sententia a viro Dei contra Heli eiusque posteros pronuntiata (1 *Reg.* 2,27 sqq.). Praeter Achimelech vel Abiathar, abnepotem Heli[5], Davidis tempore alter nominatur summus sacerdos Sadoc, filius Achitob, quem Achimelech vel Abiathare pulso Salomon solum sacerdotem esse voluit (3 *Reg.* 2,35) et a quo omnes summi sacerdotes descenderunt, qui ante exsilium et post exsilium suprema dignitate sacerdotali erant ornati (*Ezech.* 44,15). Iam hunc Sadocum fuisse Aaronitam negat quidem moderna schola ad 1 *Reg.* 2,27 sqq. provocans, at longe a veritatis tramite aberrat. Scilicet sententiam viri Dei contra Heli pronuntiatam pro vaticinio post eventum conficto habent illamque conscriptam censent, postquam Abiathar abnepos Heli a Salomone dignitate sua est privatus. Quia autem vir Dei non tantum brachium Heli, sed etiam brachium domus patris Heli praecisum iri edicit, concludunt, in Abiathare totam domum, ad quam pertinuit, i. e. domum aaroniticam, dignitate sacerdotali esse privatam et « aemulum » ex altera familia ad sacerdotium esse assumtum. Quam interpretationem erroneam esse non tantum 1 *Paralip.* 6,8 docet, sed vaticinium quoque ipsum. Paralipomenis enim docemur, Sadocum originem duxisse ab altero Aaronis filio natu maiore Eleazaro; in viri Dei autem sententia « domus patris », de qua fit sermo, non est domus Aaron, sed domus Ithamar (Ithamaridae enim et Eleazaridae etiam 1 *Paral.* 24,3 sqq. distinguuntur), neque ipsa ithamarica domus *omni* sacerdotali dignitate privatur, sed *summo* sacerdotio[6]. A Moysis igitur tempore usque ad illam aetatem, qua « codicem sacerdotalem » conscriptum esse docet moderna schola, summos saltem sacerdotes ex genere aaronitico fuisse admittant omnes necesse est, nisi qui praeiudiciis seducti cunctis libris historicis V. T. fidem denegare audeant. Reliquos vero sacerdotes ex eodem genere non fuisse, ne levissimo quidem argumento demonstrare conati sunt adversarii nostri, dum nos pro argumento genealogias familiarum sacerdotalium in 1 *Paral.* 6 sqq. conservatas afferimus[7].

Restat ut de sacerdotum et levitarum distinctione pauca addamus. Deuteronomium cum illis, quae in intermediis libris mosaicis de sacerdotum et levitarum ratione traduntur, non pugnare supra (41,2. c.) ostendimus; in iunioribus autem libris illis, qui ante exsilium sunt conscripti, admodum rara habetur levitarum mentio, frequens vero in libris post exsilium exaratis. Ex quo facto ad iuniorem distinctionis originem immerito concluditur; ubicumque enim in Iosue, Iudicum, Samuelis, Regum libris de levitis sermo est, eos inferiorem locum occupasse videmus. In libro Iosue id tam manifestum est, ut « critici » omnes illos textus ad suum « codicem sacerdotalem » trahant, quo distinctionem illam stabilitam esse definiunt. Ex commemoratione autem levitarum in appendicibus libri Iudicum (cpp. 17-21) duo satis clare demonstrantur, tribum Levi non ante ingressum populi in terram promissam interisse (id quod asserunt adversarii) levitisque solis iura sacra esse attributa. Quod autem levita quidam sacerdotali munere sit

functus, id a sacro auctore non minus aperte vituperatur, quam quod idoli sacerdos sit factus. In libris Samuelis bis tantum levitae nominantur; utroque autem in loco sacrum quidem ministerium coram arca obeunt, sed sacerdotibus sunt inferiores; etenim levitae arcam foederis ex curru deponunt, Bethsamitae vero holocausta offerunt (1 *Reg.* 6,15), nam Bethsames erat civitas sacerdotalis[8]; et levitae arcam foederis deportant ducibus sacerdotibus Sadoc et Abiathar (2 *Reg.* 15,14 sqq.). Pro more suo moderna schola textus hos ex sacris libris eiicere vult, at praeter praeiudicia sua aliud argumentum non habet, quo eos impugnet. In duobus posterioribus Regum libris semel dumtaxat levitarum occurrit nomen, sed sacerdotibus eodem modo postponuntur (3 *Reg.* 8,3. 4), quo etiam *Isaias* (66,21) eos postponit. Paucis hisce antiquiorum librorum textibus accedunt innumeri illi, quibus *Paralipomena* levitarum a sacerdotibus distinctionem et varia eorum munera in templo accurate et fuse describunt. Quae testimonia utpote fide indigna a rationalistis reiici non ignoramus; at ea iure reiici nec hucusque demonstratum est nec unquam demonstrabitur[9]. Quo demum cum iure *Ezechiel* (44,9 sqq.) sacerdotum levitarumque distinctionem introduxisse dicatur, difficile est intellectu. Eodem enim in loco (44,6 sqq.) propheta populum vituperat, quod foedus cum Deo initum fregerit alienigenis incircumcisis ad inferiora sanctuarii ministeria admissis; ex *anteriore* igitur *foedere* alii ad ministeria illa erant obligati; prae oculis igitur Ezechiel habuit *Num.* 18,3 sq., quando de foedere fracto loquitur. Accedit, quod officia illa, quae propheta tamquam levitis propria nominat (44,11. 14; 46,24), in celeberrimo « codice sacerdotali » non nominantur; « codex sacerdotalis » ergo a propheta non dependet. Demum « Ezechielis Thora », ut adversariorum loquendi modum adoptemus, aliis quoque in rebus a « codice sacerdotali » atque etiam a « deuteronomica legislatione » quam maxime differt; ne ipsum quidem summum sacerdotem nec ullam hierarchicam sacerdotum differentiam agnoscit, licet ante eius aetatem illam adfuisse, non tantum libri historici, sed etiam prophetici (*Ierem.* 19,1; 20,1; 29,25. 26) testantur; quomodo igitur « Thora Ezechielis » fundamentum ponitur « codicis sacerdotalis »? Revera illa « Thora Ezechielis » figmentum est rationalisticum (*infra* 280).

Reliquas « criticorum » de levitis assertiones refutare operae vix pretium videtur. Tribum enim Levi, antequam populus in Palaestinam ingrederetur, iam interisse, ex *Gen.* 49,7 profecto non deducitur; tribus enim dispersio ibi quidem praedicitur velut poena peccati a Levi commissi; at dispersio haec poena esse cessavit, postquam filii Levi « consecraverunt manus suas Domino unusquisque in filio et in fratre suo, ut data sit illis benedictio » (*Exod.* 32, 29). Neque minus arbitrarie nomen levitarum ab eorum munere derivatur : nonne mirum est, quod tribus Levi interisse dicatur et tamen Moyses a Levi originem duxisse supponatur? Nonne mirum quoque, quod sacerdotes a laicis in antiquo populo distincti fuisse negentur, et tamen Moyses eiusque posteri sacerdotes fuisse asserantur? Nonne mirum, quod nomen istud secundum rationalistarum definitionem sacerdotibus peculiari modo attributum non de sacerdotibus sed de sacerdotum ministris adhibeatur?

Sed haec sufficiunt; satis enim ostendisse nobis videmur, « codicis sacerdotalis » figmentum nullo prorsus fundamento inniti nec nisi omnibus omnino V. T. libris negatis et repudiatis adstrui potuisse.

1. *Wellhausen* Prolegom. l. c. — Contra quae cfr *Schumann* Wellhausensche Theorie. 1892. p. 85 sqq.; *Rupprecht* l. c. II. 2. 1897. p. 147 sqq.

2. De textibus obiectis cfr *Sanct.*, *Serar.*, *Corn. a Lap.* aliorumque antiquorum interpretum commentarios, qui cuncti Patrum vestigia terentes hanc quaestionem iam accurate solverunt, antequam de rationalismo cogitabatur. — Quod Elias et Eliseus in regno septemtrionali velut ministri extraordinarii muneribus sacerdotalibus functi sunt, id vel ideo iam non creat difficultatem, quia Ieroboam, primus rex Israel, aaroniticos sacerdotes et levitas expulerat (2 *Paral.* 11,13).

3. Cfr *Ios.* 3. 4. 6. 7. 14. 17. 19. 21. 22.

4. Successio sacerdotum ex familia Heli traditur 1 *Reg.* 14,3; 21,1; 22,1.

5. De quaestione satis difficili, utrum Abiathar an Achimelech appellatus sit sacerdos ille, an forte utrumque nomen habuerit, cfr *Sanct.* in 2 Reg. 8,17 et *de Hummelauer* Comm. in 1. 2. Sam. p. 332.

6. Cfr *Sanct.* et *Serar.* in 1 *Reg.* 2,27 sqq.; aptiorem et faciliorem vaticinii interpretationem proponit *de Hummelauer* l. c. p. 55 sq.

7. 1 *Paral.* 24 enumerantur viginti quatuor familiae sacerdotum aaroniticorum, quarum sedecim Eleazaridarum, octo Ithamaridarum.

8. *Ios.* 21,16. Si quis ex eo, quod Bethsames erat civitas sacerdotalis, concluderet, etiam viros illos, qui arcam deposuerunt, fuisse sacerdotes, argumentum nostrum nihilominus firmum manere monemus. Quia enim sacerdotes illi munus aliquod exercebant, quod a Moyse levitis erat attributum, ideo a sacro auctore levitae nominantur.

9. De eorum auctoritate historica cfr *infra* 112-115.

§ 7. — *De Pentateuchi auctoritate historica.*

47. — Mosaica Pentateuchi origine demonstrata et vindicata multis verbis non indigemus, quibus eius auctoritatem historicam ostendamus. Ab ineunte quidem saeculo praecedente increduli omnes miracula in Pentateucho descripta declararunt fictitia eaque aliarum gentium mythis aequiparanda esse omni vi conatuque demonstrare voluerunt. At frustra; quamprimum enim Moysen libros hos conscripsisse constat, de eorum auctoritate historica, etiamsi inspirationem eorum omnino omittamus, dubitare iam non amplius licet.

1. Namque quatuor ultimi libri illa dumtaxat narrant, quae Moyses ipse gessit quorumque testis ocularis fuit. Quod si vero Xenophonti decem millium sociorum suorum reditum ex Asia describenti, Thucydidi bellum peloponnesiacum, Polybio bellum punicum, Caesari bellum gallicum narrantibus fidem non negamus, quia earum rerum, quas referunt, testes oculares aut coaevi fuerunt, maiore fide dignus censendus est Moyses. Etenim libros suos coram illis conscripsit et publice legit, qui cuncti aeque atque ipse testes oculares fuerant aut a patri-

bus suis res istas accurate cognoscere potuerant. Quae autem narrat, non eum in finem conscripsit, ut vanae cuidam curiositati satisfaceret, sed ut magnis Dei beneficiis propositis lectores suos ad fidelem Legis satis durae et molestae observantiam perduceret. Profecto Moyses, si in plagis aegyptiacis, in transitu per mare rubrum, in sollemni legislatione sinaitica, in magnis miraculis, quae coram toto populo per quadraginta annorum spatium acciderunt, narrandis et describendis lectores suos decipere voluisset, id ne potuisset quidem. Quomodo enim tot millibus virorum, aequalibus suis, persuasisset, illos ea vidisse, quae non viderant, per mare rubrum siccis pedibus transisse, per quod non transierant, quotidie per quadraginta annos manna de coelo accepisse, quod non acceperant etc.? Si Israelitae a tali impostore Legem observatu tam difficilem sibi imponi sivissent, maximum miraculum, quod excogitari potest, admittere cogeremur. De quatuor ultimorum librorum igitur veracitate et fide historica a prudente non dubitabitur[1].

1. Optime *Duvoisin* L'autorité des livres de Moïse II. 2. p. 144 : « Les écrits de César, de Polybe, de Thucydide, de Xénophon, ne renferment pas les principes fondamentaux de la jurisprudence et de la religion des Grecs et des Romains; ils n'excitaient pas le même intérêt, ils n'étaient pas dans un usage aussi journalier, que le Pentateuque. La retraite des dix mille, les guerres du Péloponnèse, de Carthage et des Gaules, étaient des faits éloignés et presque indifférents pour la plus grande partie de la Grèce et de l'Italie, au lieu que les miracles de Moïse étaient pour tous les Israélites, ses contemporains, des faits présents et personnels. Xénophon et César écrivaient, l'un dans Athènes, l'autre à Rome, ce qui s'était passé dans l'Asie et dans les Gaules; Moïse écrit son histoire sous les yeux des témoins, dans le temps et sur la scène des événements ».

2. At in *Genesi* quoque summa est eius auctoritas historica. Testis ocularis quidem eorum, quae in primo Pentateuchi libro narrat, Moyses non fuerat; mors Iosephi, qua terminatur, Moysis nativitatem plus centum annis saltem antecessit[2], a creatione autem Adami usque ad Iosephi mortem aliquot millia annorum effluxisse certissimum est. Quare non est mirum, quod increduli Geneseos praesertim narrationes fabulosis libris Indorum, Sinensium etc. aequiparent et de mythologia Iudaeorum eodem modo, quo de mythologiis ethnicorum loquantur. Quam immerito autem historicus Geneseos character impugnetur, non difficile est demonstratu.

a.) Praeprimis enim ipsa Moysis persona nobis iam est pro argumento, librum ab eo conscriptum esse vere historicum. Namque in ultimis suis libris Moyses nobis apparet tamquam legatus divinus, qui singulari modo a Deo electus, conservatus et vocatus populo suo legislationem divinam traderet eumque ad illam observandam eru-

diret atque efficaciter exhortaretur. Legislationi autem suae in ultimis libris contentae velut introductionem praemisit Genesin, in qua peculiarem Dei providentiam, qua Deus ab initio creationis humano generi invigilaverat atque Abrahamum eiusque semen, ut in eo totum genus benediceretur, prae ceteris omnibus elegerat, lectoribus suis ante oculos posuit, idque eum in finem, ut populus benignitate hac divina cognita cum libentiore animo Legem amplecteretur. Num talis ac tantus vir hisce in conditionibus positus ad hunc finem assequendum fabulas mythosque conscribere potuit, annon potius dicendum, eum nihil scripsisse, nisi quod certum haberet diligentissimaque investigatione certum esse invenisset?

b.) Neque minore cum claritate historicus Geneseos character elucet, si modum animadvertimus, quo argumentum suum tractat. Sobria enim est oratio, immo interdum ieiuna, in rebus antiquissimis tradendis, neque crescit, antequam ad ea tempora pervenit, quorum certa traditio facile ad auctorem pervenire potuit. De longissima enim illa periodo, quae a creatione usque ad diluvium effluxit, paucissima referuntur. Creationis ipsius historia, protoparentum peccatum et poena, primum fratricidium et totius generis perversio, genealogiae Sethi et Caini : haec fere sunt, quae de multis saeculis antediluvianis Moyses nobis conservavit. Atque temporum quoque, quae diluvium immediate secuta sunt, historiam brevissime absolvit; praeter dispersionis enim generis humani narrationem nihil tradit, nisi conspectum quendam populorum ex Noe filiis progenitorum nudamque maiorum Abrahae genealogiam. Tum demum, ubi ad Abraham pervenit, narratio copiosior evadit atque uberior. Si ad facta ipsa attenderis, quae ex antiquioribus temporibus fusius narrantur, illa eiusmodi sunt, ut non sit mirandum, quod eorum memoria sit conservata. Quid enim facilius et profundius animis primorum hominum inhaerere potuit, quam narratio de primorum suorum parentum peccato, quod omnium malorum fuit initium in hac terra, de prima morte, qua se dono immortalitatis privatos esse homines practice cognoverunt, de perversione illa, quae diluvio ablui debuit, et de diluvio ipso, quod novum quoddam generis humani erat initium? Iam confer cum hisce paucis narrationibus ea, quae ethnicorum mythologiae de deorum heroumque suorum fatis et portentis narrant, neque te fugiet in Genesi nobis veram historiam narrari. Quanta est differentia inter Chaldaeorum narrationes de creatione et de diluvio interque mosaicam relationem! Ex antiqua quidem traditione Chaldaeos hausisse evidens est, sed arbitrariis figmentis mythologicis narrationem simplicem, quam puram nobis tradidit Moyses, plane deformarunt [3].

Urgere nolumus, quod stante patriarcharum longaevitate antiquae

traditiones facilius purae conservari potuerint nec admodum multi testes intermedii Moysen inter et Adamum sint admittendi[4]; at illud iure addemus, quod ab omnibus hodie conceditur, artem scribendi dudum ante Moysen inventam et late esse propagatam. Quare opus non est, ut antiquarum rerum memoriam sola traditione orali ad Moysen pervenisse dicamus; nihil enim obstat, quominus eum in Genesi scribenda etiam fontibus scriptis usum esse concedamus. Ex illis igitur non tantum genealogias longiores, sed etiam accuratiores nonnullas narrationes haurire potuit et probabiliter hausit. Ita enim nonnullae Geneseos narrationes sunt comparatae, ut sola traditione orali non satis explicentur. Lege ex. gr. *Gen.* 23, quomodo Abraham agrum et speluncam, in qua Saram sepeliret, ab Ephron emisse narretur, atque haec ab aliquo, qui rei praesens adfuit, narrata videri fateberis; similes autem narrationes non tantum in Abrahae eiusque posterorum historia satis multas, sed aliquas etiam in priore Geneseos parte invenies; quapropter concedere non dubitamus, Moysen eas vix mutatas in suum librum transumsisse.

2. Quamdiu filii Israel in Aegypto sint commorati, non satis constat. *Exod.* 12,40 asseritur quidem : « habitatio filiorum Israel, *qua manserunt in Aegypto*, fuit quadringentorum triginta annorum »; at a Vulgata eique consentiente Hebr. dissentiunt Alex. et Samarit., qui habitationem Israelitarum, « *qua manserunt in Aegypto et in terra Chanaan* », quadringentos triginta annos durasse tradunt. Cum quibus consonat S. Paulus, qui *Gal.* 3,17 a promissione Abrahae facta usque ad Legem in Sinai datam quadringentos triginta annos numerat. A prima vero vocatione Abrahae usque ad ingressum Iacobi in Aegyptum effluxerunt ducenti quindecim anni; inter Iosephi igitur mortem et Moysis nativitatem centum circiter anni interiacent, quum Moyses iam esset octoginta annorum, quando Lex in Sinai data est. Alii tamen Hebr. et Vulg. sequi malunt, atque Alexandrinorum additum « absurdam glossam » esse censent, S. Paulum autem (*Gal.* 3,17) totam promissionum periodum complecti putant, quae immigratione in Aegyptum sit terminata. Cfr *Palmieri* (Comment in ep. ad Galat. Galopiae 1886. p. 141 sqq.), qui priorem sententiam vindicat, *Knabenbauer* (Stimmen aus M. Laach. 1879. XVII. p. 514), qui alteram tenet, *Patrizi* (Comm. in Act. Apost. p. 47), qui dubius inter utramque haeret. Quaestionem dirimere huius loci non est.

3. Cfr *Vigoureux* La Bible et les découvertes modernes. Paris 1879. I. p. 249 : « Quelle distance sépare ici, comme dans le récit de la création, la théodicée d'Israel de la théodicée des habitants des rives de l'Euphrate! Si le document cunéiforme est antérieur à la Genèse, comme il résulte de la date que lui assigne M. George Smith, la supériorité de Moise sur le poète de la basse Chaldée n'en est que plus surprenante. Dieu se montre à nous dans le livre hébreu un, juste, sage, tout-puissant, miséricordieux. Que voyons-nous, au contraire, dans la légende d'Erech? Des dieux multiples, semblables aux hommes, sujets aux mêmes passions, capables des mêmes faiblesses, toujours en querelle les uns avec les autres, effrayés par un orage, *abattus comme des chiens*. Il y a aussi loin de la théodicée de la tablette à celle du Pentateuque que de celle du Mahâbhârata ou de la théogonie d'Hésiode à celle de l'Évangile » etc.

4. Cfr *Pascal* Pensées II. art. 8 : « Sem qui a vu Lamech, qui a vu Adam, a vu au moins Abraham, et Abraham a vu Iacob, qui a vu ceux qui ont vu Moise. » Ita quidem

iuxta *Mass.* et *Vulg.*; multo longior autem series statuenda est iuxta *Alex.*, quum inter Sem at Abraham duo vel tria membra sint inserenda. Ceterum quamvis incerta sit antiqua chronologia, moderni tamen plerique consentiunt, a diluvio ad Abrahamum multo plures annos effluxisse, quam ipsa *Alex.* versio indicat.

c.) Tertium demum argumentum invictum pro historica Geneseos auctoritate violentum illud bellum nobis videtur praebere, quod a duobus fere saeculis contra Genesin geritur. Ut eius auctoritatem destruerent, increduli omnes eruditissimi ex omnibus scientiis arma conquisiverunt, at irriti fuerunt omnes eorum conatus, nec ullum errorem in Genesi adesse hucusque demonstrare potuerunt. Contra aliarum gentium cosmogonias nemo disputat, quia fabulosas eas esse et ridiculas primo aspectu apparet; contra mosaicam cosmogoniam quam plurimi rerum naturalium periti insurrexerunt, at tantum abest, ut falsam et erroneam eam esse aliquis demonstraverit, ut eam crescente et progrediente scientia confirmari potius quam infirmari non pauci hodie fateantur. Omnium hominum ab Adamo et Eva originem hac nostra aetate, immo ante paucos annos, declararunt impossibilem non pauci viri eruditi; hodie iam ne unus quidem, qui rebus naturalibus operam impendit, invenietur, qui eam possibilem esse negare audeat. Mosaicam chronologiam saeculo praecedente philosophastri gallici antiquis Indorum Sinensiumque historiis impugnaverunt, atque hoc nostro tempore non pauci contra eandem ex instrumentis lapideis, quae in straturis terrae satis profundis aut in cavernis una cum ossibus animalium, quae prorsus disparuerunt, passim inveniuntur, arma desumere se posse arbitrabantur. At de Indorum Sinensiumque antiquis historiis omnes rident, atque ex aliarum quoque gentium historia *certi* nihil hucusque allatum esse, quod cum mosaica chronologia *recte explicata* pugnet, prudentiores et sinceriores iam fatentur. Immo quo accuratius antiquae populorum historiae cognoscuntur, quo plura monumenta primitiva innotescunt, eo magis historica Geneseos auctoritas confirmatur. Quod exemplis haud difficile est demonstratu.

Inter Geneseos pericopas una ex difficillimis procul dubio est tabula genealogica populorum, quae cp. 10. legitur, at simul una ex illis, quae historicum Geneseos characterem demonstrat. Atque illud ipsum iam notatu est dignum, quod Moysen talem conspectum populorum dare voluerit. Reliqui populi antiqui sive orientales, Aegyptii, Assyrii, Chaldaei, sive occidentales, Graeci, Romani, se ipsos velut gentem superiorem consideraverunt, quae, utpote communi vinculo cum reliquis populis non coniuncta, reliquos tamquam barbaros despicere possit. Illi ipsi antiqui populi, qui scientiis artibusque reliquos omnes superarunt, Graecos dico et Romanos, ne suspicati quidem sunt, se communem habere originem arctoque affinitatis vinculo inter se esse

colligatos, linguas suas esse sorores germanas ex eadem matre exortas. Moyses autem, quamvis de solo populo israelitico agere velit atque id unum sibi proponat, ut suum populum prae reliquis a Deo maximas gratias accepisse demonstret, communem tamen ei cum aliis originem assignat : Heber, a quo descendunt Israelitae, nullo modo superat reliqua populorum capita. At id parum est; maioris momenti nobis hoc loco illud est, quod Moyses in tabula sua populos velut affines coniunxerit, quorum affinitas mediis scientificis eo quidem tempore cognosci nulla ratione potuit, hodie autem studiorum linguisticorum progressu extra dubium est posita. Libentissime concedimus, nondum omnium populorum, quos Moyses affines facit, affinitatem accurate esse demonstratam; neque id mirum, quum monumenta plerorumque populorum ad nos non pervenerint; at illud quoque concedatur oportet, certo argumento hucusque ne unum quidem errorem in tabula illa genealogica esse monstratum, e contra difficultates, quae adhuc remanent, progredientibus scientiis linguisticis et historicis removeri [5]. Nonne hinc concludere debemus Moysen, si ab eius inspiratione abstrahimus, illa, quae de populorum affinitate tradit, ex optimis fontibus hausisse et magna cum prudentia selegisse?

Alterum exemplum praebet pericope de quatuor regum mesopotamicorum expeditione contra Palaestinam (*Gen.* 14). Hodie nondum desunt rationalistae, qui totam illam narrationem fictionem declarant, qua auctor Abrahamum velut magnum belli ducem celebrare voluerit [6]. Prudentiores autem « critici » fateri iam coeperunt, ex antiquo et certo fonte eam esse haustam, idque rectissime. Nomina enim quatuor regum non esse fictitia, ex inscriptionibus cuneiformibus constat, quamvis nomen ipsum Chodorlahomor nondum sit inventum; Elamitas, id quod ante paucos adhuc annos prorsus ignorabatur, imperium suum olim usque in Palaestinam extendisse, eaedem inscriptiones docuerunt; expeditionem ipsam regum, quae 10,5-7 narratur, hodierna locorum nominatorum cognitio aptam fuisse demonstrat [7].

Quae de Aegypto in Genesi indicantur vel narrantur, hodierna hieroglyphicarum inscriptionum scientia atque accuratiore antiquae geographiae et historiae aegyptiacae studio confirmari supra (19. 2. p. 60 sqq.) iam innuimus. At singula facta in Genesi narrata ab incredulorum obiectionibus vindicant interpretes; pauca haec attigisse sufficit, ut clarius pateat, irritum vanumque adversariorum nostrorum bellum contra Genesin fuisse eiusque auctoritatem historicam stabilivisse et confirmasse [8].

De DIVINA autem PENTATEUCHI AUCTORITATE, qua omnia illa quoque, quae naturali modo Moyses cognoscere non potuit, extra dubium ponuntur, quidquam addere superfluum est; invictissima enim inspira-

tionis suae divinae argumenta in ipsius Domini N. et Apostolorum disertis testimoniis possidet, quorum nonnulla supra (13 p. 36 sq.) allegavimus, atque in continua antiquae Synagogae israeliticae et christianae Ecclesiae fide.

5. De *Genes.* 10. cfr *Knabenbauer* Zeit der Abfassung u. Quellen der bibl. Völkertafel (Katholik 1870. II. p. 202 sqq. 297 sqq.; *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes. 1879. I. p. 255 sqq.; *de Hummelauer* Comm. in Genes. 1896. p. 292 sqq. — « Critici » alicuius recentioris verba addamus, quae multis, quibus sententiam suam limitavit, non obstantibus restrictionibus satis ostendunt, rationalistarum quoque animos veritatis luce iam esse perculsos. Ita *Dillmann* (Die Genesis erkl. 1882. p. 158): « Wol trifft es sich, dass eine Mehrzahl von Völkern innerhalb jeder Gruppe wirklich für die wissenschaftliche Betrachtung sich als sprachverwandt darstellt, und ist das geeignet, eine günstige Meinung von dem Werth der Anordnung der Völker durch den Verfasser, der von solchen wissenschaftlichen Gründen jedenfalls nicht geleitet war, zu erwecken, aber von sämmtlichen Völkern gilt es nicht (rectius dixisset: cunctorum populorum, qui coniunguntur, affinitatem linguisticam nondum possumus demonstrare. Id enim solum probant eius argumenta adiecta:) In Lydien und Elam z. B., den äussersten Ländern Sem's, mag theilweise und zeitweise auch ein s. g. semitisches Idiom gehört worden sein, aber eine Gewissheit haben wir nicht, dass nicht schon zu des Verfassers Zeit, wie später sicher, andere Sprachstämme dort die Oberherrschaft hatten; von den hamitischen Völkern sprachen die Kanaanäer und Philister, aber auch manche Kuschäer (?) semitisch, und dass alle Glieder Iafets indogermanische Sprachen gehabt hätten, kann man im Hinblick auf Tarschisch, Moscher, Tibarener u. s. w. (de quarum gentium linguis scilicet neque rationalistae neque nos quidquam scimus) nicht zugeben » etc. Fusius hanc quaestionem tractare hoc loco nobis non licet; unum autem addere placet, quod ab omnibus fere omitti videmus. Si quis vir indoctus populos in diversas classes distribuere vult, praeprimis certo attendet ad eos characteres, qui in conspectum cadunt, atque maxime ad *colorem*. Secundum colorem antiqui Aegyptii, a quibus Hebraeos suam scientiam mutuatos esse asserunt rationalistae, quatuor hominum genera distinxerunt: albos, nigros, rubros, flavos, atque quatuor haec genera suis coloribus distincta in antiquis monumentis aegyptiacis hodie adhuc conspiciuntur. Quomodo factum est, ut Moyses tria dumtaxat genera, Semitarum, Chamitarum, Iaphetidarum distingueret, atque inter Semitas et Chamitas populos enumeraret, qui coloribus suis prorsus discrepant?

6. Inter quos *Noeldeke* (Untersuchungen z. Krit. des A. T. 1869. p. 156 sqq.), *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 65 sq.) paucique alii.

7. Cfr *de Hummelauer* Die assyr. babyl. Alterthümer u. die Bibel (Stimm. aus M. Laach. 1873. IV. 66; *eiusdem* Comm. in Genes. 1896. p. 372 sqq.); *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes. (1879. I. p. 418 sqq.); *Kaulen* Assyrien u. Babylonien. (Ed. 4. 1892. p. 259 sqq.). — Ex acatholicis cfr *Schrader*, Keilinschr. u. A. T. (Ed. 2. 1883. p. 135 sqq.); *Sayce* Alte Denkmäler im Lichte neuer Forsch. (1886. p. 51 sqq.); *Hommel* Die altisraelit. Uberlieferg etc. (1897. p. 147 sqq.) etc.

8. De historica Geneseos auctoritate praeter alios introductores praesertim cfr *Kaulen* Einl. Ed. 3. 1893. p. 203 sqq.; *Lamy* Comment. in Genesin. 1883. p. 48 sqq.; *Holzammer* Handbuch d. bibl. Gesch. Ed. 4. I. p. XXXII et passim.

§ 8. — *De praecipuis commentariis catholicis in Pentateuchum.*

48. — Inter Veteris Testamenti libros Pentateuchus uti est antiquissimus, ita et gravissimus iure habetur; totius enim veteris atque adeo etiam novae oeconomiae salutis est fundamentum. Quapropter ab antiquissimis temporibus multi viri docti, Iudaei et Christiani, in eo explicando operam suam posuerunt. Iam 2. saec. a. Chr. *Aristobulus* Ptolemaeo VII. Philometori suam « Divinarum legum interpretationem » inscripsit, atque *Philonis* opera praecipua commentarium quendam (allegoricum) Pentateuchi constituunt. Ab eo autem tempore quam plurimi conscripti sunt libri, quibus aut integrum opus aut graviores difficilioresque pericopae illustrarentur. *Lelong* in sua Bibliotheca sacra (a. 1723. edita) plus mille ducentos Iudaeos et Christianos nominavit, qui de Pentateucho scripserunt; quo numero illos non comprehendit, qui vel universam Scripturam vel universum Vetus Testamentum interpretantes etiam de Pentateucho egerunt, neque illos, qui de Hebraeorum antiquitatibus aut legibus ritibusque tractantes multas Pentateuchi pericopas explicaverunt. Satis magnam igitur et copiosam bibliothecam opera de Pentateucho conscripta efformant; pro Introductionis tamen nostrae fine nos hoc loco illa sola enumerabimus, quae catholico interpreti utiliora esse existimamus.

I. Quo maxime spectant opera illa, quae SS. Patres nobis reliquerunt. Inter PATRES GRAECOS et orientales primo in loco ponimus *SS. Iustinum* et *Irenaeum*. Quamvis enim continuis commentariis Pentateuchum non sint interpretati, prior tamen in suo dialogo contra Tryphonem Iudaeum, alter contra gnosticos in suis libris contra haereses tam egregie tractarunt satis multos textus pentateuchicos, ut eos silentio praetermittere non liceat. Primi vero Patres, qui iustos commentarios edidisse feruntur, sunt S. Hippolytus et Origenes. Commentariorum quidem, quos *S. Hippolytus* sive in Hexaëmeron sive in integrum Pentateuchum elaboravit, pauca dumtaxat fragmenta ad nos pervenerunt; *Origenis* autem non tantum multo plura fragmenta scholiorum et tractatuum, sed etiam omnes fere homiliae in quatuor priores libros (latine redditae partim a Rufino, partim a S. Hieronymo). Sed Origenes, quoniam in Pentateucho explicando atque maxime in suis homiliis pentateuchicis allegoricae interpretationi plus aequo indulsit, interpretibus qui sensum literalem praeprimis investigant minoris est utilitatis, quam aliis in libris sacris esse solet[1]. Egregias non paucas singulorum textuum explicationes exhibet *Eusebius Caes.* in Praep. Evang. Libr. VII. et VIII., in quibus etiam Aristobuli aliorumque interpretum, quorum opera interierunt, nonnulla fragmenta collegit. *S. Basilius M.* novem

longis et egregiis homiliis Hexaëmeron explicavit, quibus eius frater *S. Gregorius Nyss.* praeclarum librum addidit, quo ea, quae utpote populi captum superantia frater eius praeterierat, suppleret. *S. Chrysostomus* autem oratorio magis modo sexaginta septem homiliis et novem sermonibus (λόγοις) Genesin explanavit[2].

Quibus omnibus interpretes iure praeferunt illa, quae S. Ephraem, S. Cyrillus Alex., Theodoretus de Pentateucho ediderunt. *S. Ephraem* duobus commentariis integrum Pentateuchum illustravit, longiore, in quem allegoricas quoque explicationes receperat, et breviorem, in quo solum sensum literalem diligentius investigat: utriusque supersunt longiora fragmenta ex catena syriaca Severi Mon. collecta. *S. Cyrillus Alex.* in magno suo opere « De adoratione in spiritu et veritate » ostendit, quomodo in mosaica legislatione sit praefigurata nova salutis oeconomia, in Glaphyrorum autem libris tredecim selectas pericopas Pentateuchi ita explicat, ut sensu literali prius stabilito typicum earum sensum diligentius persequatur atque ad antitypum Christum, qui finis est legis, ascendat. *Theodoretus* demum « Quaestiones selectas composuit, ut divinae Scripturae consonantiam et doctrinam praeclaram ostenderet » (*τῆς θείας Γραφῆς καὶ τὴν συμφωνίαν καὶ τὴν ἀρίστην διδασκαλίαν ἐπιδεικνύντες*)[3]. Duorum autem illorum interpretum antiochenorum, qui in literali sensu investigando prae omnibus fuerunt studiosi, *Diodori Tarsens.* et *Theodori Mopsuest.*, quamquam universum Pentateuchum explicasse feruntur, hodie pauca tantum fragmenta in Genes. Exod. Deuter. supersunt, in catenis conservata[4].

Graecorum Patrum, praesertim Theodoreti et Cyrilli, expositiones excerpserunt *Procopius Gaz.* in suo Commentario in Octateuchum et *Photius* in suis Amphilochiis; praeter quos nominari decet *Nicephori* Catenam in Octateuchum, quae etiam ex graecis interpretibus solis collecta est[5].

1 *S. Hippolyti* fragm. in Hexaëm., Gen., Num. M. 10,583-606. — *Origenis* fragm. in omnes libros et homiliae in quatuor priores. M. 12,45-818; pauca alia ex catenis M. 17,11-36.

2. *Euseb. Caes.* Praep. Evang. VII. de Hebraeorum doctrina, VIII. de eorum historia maxime agit M. 22,507-678. — *S. Basilii M.* hom. in Hexaem. M. 29,3-208. — *S. Gregor. Nyss.* in Hexaem. explicatio apologetica; De hominis opificio; De vita Moysis. M. 44,55-430. — *S. Ioan. Chrysost.* hom. et serm. in Gen. M. 53. et 54. Cfr etiam eius Synopsin S. Script. M. 56,317-336. — Septem *Sermones in Creationem* (allegorici), qui inter opera S. Chrysostomi eduntur (M. 56,429-499), et *homilia de serpente* (M. 56,499-516) *Severiano Gabel.* hodie adscribuntur. Ibidem (M. 56,517 sqq.) paucas alias homilias incertorum auctorum in Genes. invenis.

3. *S. Ephraem* Comm. in Pentat. Opera syr. I. p. 1-291. — *S. Cyrilli Alex.* De adoratione in spiritu; Glaphyra (M. 68 et 69). — *Theodoreti* Quaestiones (M. 80,77-456).

4. *Diodori Tars.* fragm. in Gen. Exod. Deut. M. 33,1561-1586. — *Theodori Mopsuest.* fragm. in Gen. Exod. (M. 66,633-648).

5. *Procopii Gaz.* Comm. in Octat. (M. 87,21-992). — *Photii* Amphilochia M. 101. — *Nicephori* Catena in Octat. et libros Reg. Lipsiae 1772.

Inter PATRES LATINOS *S. Ambrosius* de Hexaemero et de patriarcharum vitis satis multa conscripsit; in Hexaëmero autem integer a Basilio et ab Origene dependet, et vitae patriarcharum ei non sunt nisi moralium exhortationum argumentum; quare interpres (at non divini verbi concionator) eius operibus carere potest. Egregiae sunt, licet breves, *S. Hieronymi* Quaestiones hebr. in Genesin, utiles quoque nonnullae ex eius epistolis eiusque liber de nominibus hebraicis. Multo plura autem in Pentateucho explicando praestitit *S. Augustinus*. In Quaestionibus in Heptateuchum difficiliores omnium mosaicorum librorum textus secundum sensum literalem explanavit; Genesin ter quaterve interpretari coepit, sed opus nunquam ad finem perduxit : in ultimis enim Confessionum libris de Hexaëmero egit; contra Manichaeos duos libros de Genesi scripsit, atque praeterea eius habemus « de Genesi ad literam librum imperfectum » et « de Genesi ad literam ll. XII ». qui ultimi ipsi quoque Adamo e paradiso eiecto terminantur. Neque silentio praetereundi sunt libri eius de Civit. Dei, in quibus eximia nonnulla de Pentateucho inveniuntur[6].

S. Paulinus diac. et discipulus S. Ambrosii brevem expositionem benedictionum patriarcharum (*Gen.* 49) edidit; uberius et accuratius idem argumentum tractavit *Rufinus*. Ea, quae *S. Eucherius Lugd.* in suis Instructionibus ad Salonium de difficilioribus Pentateuchi locis tradidit, pauca sunt nec magni momenti[7]. *S. Isidorus Hisp.* in suis Quaestionibus in V. T. fere solas morales et allegoricas explicationes multorum textuum Pentateuchi exhibet. Longe maiorem diligentiam *Vener. Beda* mosaicis libris impendit. Opus suum, cui Hexaemeri nomen indidit, quamvis illud ultra creationis historiam usque ad Ismaelis eiectionem perduceret, ex Basilii, Ambrosii, Augustini explicationibus ita contexuit, ut « per omnia sensum memoratorum aliorumque aeque catholicorum Patrum, nunc ipsis eorum, nunc breviandi causa suis sermonibus, nunc tacitis eorum nominibus, nunc commemoratis ponere studeret ». Integrum praeterea, etsi satis brevem, commentarium in quinque Moysis libros conscripsit, in quo allegoricae et tropologicae explicationes praevalent, atque demum tribus libris « de tabernaculo et vasis eius » ultima capita Exodi (24 sqq.) literaliter et allegorice interpretatus est. Inter dubia quoque Bedae opera insertus est longus « dialogus discipuli et magistri » quaestiones ex Patribus excerptas de integro Pentateucho tradens[8].

Eandem fere viam, quam S. Isidorus et Ven. Beda, ineuntes proximi, qui eos secuti sunt, interpretes ex Patrum operibus explicationes colle-

gerunt. Interrogationibus a Sigulpho propositis *Alcuinus* brevissime respondit in suis Quaestionibus in Genesin. Iustos autem commentarios concinnavit *Rhabanus Maurus* sanctorum Patrum expositiones « secundum opportunitatem loci prout satis esse videbatur inserens, eorum nominibus antea in pagina praenotatis, et si quid gratia divina ipsi elucidare dignata est, in locis necessariis simul cum nota agnominis sui interponens ». *Walafr. Strabo* vero in suam Glossam ordinariam latinorum tantum Patrum interpretationes congessit, atque *Angelomus* quoque in suo Comm. in Genesin ab iisdem, maxime a S. Hieronymi Quaestionibus, dependet[9].

6. *S. Ambros.* in Hexaëm. M. 14,123 sqq.; de paradiso terrestri; de Cain et Abel; de Noë et arca etc. M. 14,275 sqq. — *S. Hieron.* Quaest. hebr. in Gen. M. 23,983-1062; de situ et nomin. locor. hebr. M. 23,905-976. — *S. August.* Confess. l. XI. sqq. M. 32,809 sqq.; De Gen. c. Manich.; De Gen. ad lit. opus imperf.; De Gen. ad lit. ll. XII. M. 34,173-486; Quaest. in Pentat. M. 34,547-776. Utiles quoque sunt eius Locutionum ll. V. in Pentat. M. 34,485-538.

7. *Paulini diac.* De benedictionibus patriarch. libellus. M. 20,717-732. — *Rufini* de benedict. patriarch. libri duo. M. 21,295-336. — Simile opusculum inter opera spuria S. Hieronymi (M. 23,1369 sqq.), quod ex Quaestionibus Hieronymi et Augustini et ex Moral. libris S. Gregorii M. excerptum interdum Alcuino attribuitur.

8. *S. Eucherii Lugd.* Instr. ad Salon. M. 50,773-782. — *S. Isidori Hisp.* Quaest. in V. T. M. 83,207-370. — *Ven. Beda* Hexaëmeron s. libri quatuor in principium Genes.; Comment. in Pentat.; De tabernaculo et vasibus eius et vestibus sacris. M. 91,9-498; Quaest. super Pentat. M. 93,234-416. — Ea, quae *S. Gregorius M.* in Moralium libris et in sermonibus de textibus pentateuchicis tradidit, collegit eius discipulus *S. Paterius* De exposit. V. et N. T. M. 79,685-786.

9. *Alcuini* Interrog. et respons. in Gen. M. 100,515-566. — *Rhabani Mauri* Comm. in Gen. M. 107,443-670; in quatuor reliquos libros. M. 108,9-998. — *Walafridi Strab.* Glossa ordinaria. M. 113,67-506. — *Angelomi* Comm. in Gen. M. 115,107-244.

49. — II. Ad INTERPRETES MEDIAE AETATIS transeuntibus primum dicendum est de iis, qui scholasticos theologos praecesserunt. Saeculum 12. nobis duos longiores commentarios in integrum Pentateuchum transmisit. *Bruno Astiensis* in sua Expositione literalem sensum praecipue investigat, et « satis compendiose allegorias subiungit »; sex priora Geneseos capita aliasque pericopas difficiliores (*Gen.* 49) maiore cum diligentia explicat, reliquis brevius atque interdum strictim tractatis. Multo copiosior et diffusior est *Ruperti Tuit.* expositio, qui ipse quoque diligens est in exponendo sensu literali, sed non minore cum sollicitudine allegoricas et tropologicas accommodationes prosequitur. Quibus operibus inferiores sunt *Hugonis a S. Vict.* notae elucidatoriae in universum Pentateuchum, quae integrae ad nos non videntur pervenisse. Eiusdem auctoris opera « De arca Noe morali » et « De arca Noe mystica » exegeticis operibus non satis recte adnumerantur[1]. Aliis eiusdem aetatis interpretibus omissis quatuor dum-

taxat nominamus, qui Hexaëmero elucidando operam impenderunt *S. Honorium Augustodun.*, qui alterum opusculum (allegoricum) de plagis aegyptiacis edidit, *Petrum Abaelardum*, *Ernaldum*, vel Arnoldum, *Hugonem Rothom.*, cuius operis non superest nisi fragmentum[2]; inter quatuor haec opera praestare arbitramur tractatum Abaelardi.

Iam pervenimus ad scholasticorum aetatem, qui ipsi quoque in explicandis libris mosaicis magnam sollertiam et diligentiam exhibuerunt. Haud paucas quaestiones, quae dogma proxime attingunt, de sex dierum opere, de paradiso, de primorum parentum primo statu et lapsu etc. in operibus suis dogmaticis scholastico modo tractaverunt[3], at de iisdem etiam uti de integris libris commentarios ediderunt. Inter Pentateuchi commentatores a Lelong enumerantur praeter multos alios eiusdem aetatis viros eximios *Stephanus Langton* († 1224), *Alexander de Hales* († 1240), *Petrus de Tarantasia* († 1276), *Thomas Iorsius* († 1310) et *Thomas Wallensis* († 1340), quorum duorum commentarii interdum S. Thomae Aq. adscripti sunt, *Duns Scotus* († 1308) etc.; inter eos autem, qui opus sex dierum singularibus libris illustrare conati sunt, recenset Lelong *Robertum Grossetestе* († 1253), *S. Bonaventuram* († 1274), *Aeg. de Columna* († 1316), *Hermannum de Schildis* († 1387), *Nicolaum Cusanum* († 1464), *Martinum Cordubensem* († 1470), *Ioan. Picum de Mirandula* († 1490) etc. Quorum plerorumque opera typis non sunt exscripta, et aliquorum sola fama ad nos pervenit; eorum tamen nomina afferre voluimus, ne quis mosaicorum librorum studium media aetate prorsus languisse aut neglectum iacuisse putaret. Tria quoque quatuorve opera, quae magis nobis sunt cognita, speciali mentione digna censemus. *S. Bonaventurae* quidem viginti tres sermones in Hexaemeron, quamvis praeclari, exegeticis operibus adnumerari non possunt, quia de textu sacro non agunt; *Card. Hugo* a S. Caro autem in sua Postilla sensum literalem diligenter et accurate tractat ab eoque mysticas et tropologicas accommodationes sollicite separat. Nihilominus eius operi praeferenda est *Nic. Lyrani* Postilla in Pentat., siquidem auctor linguae hebraicae ita erat peritus, ut non tantum cum Vulgata textum primigenium conferre, sed etiam commentariis hebraicis R. Salomonis Iarchi uti posset; *Alphonsus Tostatus* medio saec. 15. ingentem quaestionum pentateuchicarum numerum (inter quas etiam satis multas otiosas et superfluas) aeque diffuse atque erudite quatuor magnis voluminibus explanare studuit; dum circa idem tempus *Dionysius Carthus.* commentarium suum non spernendum conscripsit Patrum operibus et Lyrani Postillis diligenter usus[4].

1. *Brunonis Ast.* (vel Sign.) Expos. in Pentat. M. 164,147-550. — *Ruperti Tuit.* De SS. Trinitate et operibus eius. M. 168,199-1000. — *Hugonis a S. Vict.* Adnotat. elucidatoriae in Pentat. M. 175,29-86.

2. *S. Honorii Augustod.* Hexaëmeron. M. 172,147-264; de decem plagis Aegypti. M. 172,265 sqq. — *Petri Abaelardi* Exposit. in Hexaëm. M. 178,731-784. — *Ernaldi* Tract. in Hexaëm. M. 189,1515 sqq. — *Hugonis Rothomag.* Fragm. in Hexaëm. M. 192, 1247-1256.

3. Cfr *Petri Lombardi* Sentent. II. dist. 13. sqq.; *S. Thomae Aquin.* Summa theol. I. qu. 67-74. 92. 100. etc.; Sententiarum et Summae commentatores in easdem Quaest.

4. *S. Bonaventurae* « Illuminationes Ecclesiae in Hexaemeron » (Opp. Romae 1588. I. p. 9 sqq.) occasione arrepta ex illis verbis « Vidit Deus, quod bonum esset » loquuntur « de veritatis cognitione, de virtutibus earumque officiis, de sacrae Scripturae intelligentia eiusque mysteriis ac fructibus salutaribus, de Ecclesiae statu et aliis summis coelestibusque rebus », at textum mosaicum non attingunt. — *Card. Hugon. a S. Caro* Postilla. (Venet. 1487. et saepissime). Venetiis 1754. I. — *Nic. Lyrani* Postilla (Romae 1471. et saepissime). Venetiis 1588. I. — *Alphonsi Tostati* Opera (Venetiis 1507. et saepius) Venetiis 1728. I-IV. — *Dionysii Carthus.* Commentarii. Coloniae 1533. I.

50. — III. Multo plures, quam mediae, nobis innotuerunt RECENTIORIS AETATIS INTERPRETES Pentateuchi, quia eorum opera statim typis exscripta latius sunt propagata. Si eos, qui integram Scripturam aut integrum Vetus Test. interpretati sunt, silentio praetermiserimus, semper remanebunt plus centum, qui saec. 16. 17. 18. aut omnes libros mosaicos, aut unum ex eis, aut praeclariores et difficiliores pericopas commentariis plerumque amplis et copiosis explicaverunt. Quorum omnium nomina et opera recensere in animo non est; sed pro fine nobis praestituto paucissima nominabimus [1].

Novam quandam viam primi saec. 16. interpretes nonnulli ingressi sunt. Vulgata antiqua enim relicta *Card. Caietanus* versionem Pentateuchi, quam adiuvante Iudaeo quodam sibi ipse ex « hebraica veritate » adornaverat, *Hier. Oleaster*, O. Praed., verbalem versionem Santis Pagnini interpretari conati sunt; *Augustin. Steuchus, Isid. Clarius*, O. S. Ben., vulgatum textum ad hebraicum revocandum esse censuerunt, ut accuratiorem interpretationem darent [2]. At qui eos in hac via sequerentur, vix habuerunt, quamvis omnes fere interpretes Pentateuchi, qui inde ab ineunte saec. 16. floruerunt, ad textum hebraicum attentionem suam magis minusve converterent. Duas autem interpretum classes ista aetate distinguamus oportet; alii enim antiquorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum explicationibus contenti catenas potius quam commentarios ediderunt, alii numero longe plures novis suis explicationibus nova luce libros mosaicos illustrare voluerunt. Inter priores mentione digni videntur esse *Santes Pagninus*, O. Praed., *Al. Lippomanus, Franc. Zephyrus, Iac. Morlinus*, Congr. Orat.; *Aug. Martinengus*, Can. Reg. quibus addi quoque potest *Sim.*

de Muys qui « varia sacra ex variis rabbinis » in Pentateuchum congessit[3].

Inter commentatores autem primo loco tres nominamus, qui in integras quidem Scripturas (aut saltem in integrum V. T.) commentarios ediderunt, sed praecipuam quandam diligentiam Pentateucho explicando adhibuerunt: *Corn. a Lapide* S. I., *Thom. Malvenda*, O. Praed., *Aug. Calmet* O. S. Ben.[4]. Ex Pentateuchi totius interpretibus duo reliquos omnes longe superant: *Iac. Bonfrerius*, cuius opus vere eximium esse omnes concedunt, et *Corn. Iansenius Yprens.*, qui breviore, sed solido commentario libros mosaicos explicavit in eoque a falsis suis doctrinis, quibus reliqua eius opera scatent, proferendis abstinuit. Quibus adiungere licet *Claud. Frassenium*, cuius Disquisitiones non integrum tamen commentarium constituunt, sed difficiliores dumtaxat textus tractant[5]. In Genesi explicata prae ceteris eminet *Ben. Pererius*, cui velut interpretes secundae notae accedunt *G. Hammerus* et *Franc. Silvius*, dum *Ben. Fernandius* diffusissimis suis commentariis et observationibus moralibus vix in tertio ordine numerari meretur[6]. De Exodo *Seb. Barradas* suo « Itinerario filiorum Israel ex Aegypto in terram promissam » optime meritus est, eique adiungamus oportet *Franc. Silvium* mox nominatum. In tribus ultimis libris exponendis aemulos suos superavit *Ioan. Lorinus* commentariis non minus eruditis quam prolixis; cui in Levitico proximus accedit *Petrus Serranus*, in Deuteronomio *Andr. Masius*[7] etc. Sed pauca haec sufficiant; solum addemus *C. F. Houbigant*, cuius editio textus hebraici Bibliorum interpreti utilis est[8].

1. Plerosque, qui ab a. 1563 usque ad a. 1800 floruerunt, enumerat *H. Hurter* Nomenclator literarius recentioris theol. cathol. Oeniponte 1871-1883. I-III. 2; cfr etiam *Calmet* Dict. historico-crit. Ed. Mansi. Venetiis 1766. I. p. 29 sqq.

2. *Card. Caietani* Commentarii in quinque mosaicos libros. Romae 1531 fol. Eosdem impugnavit *Ambr. Catharinus* O. Praed. (Annotat. in Comm. Caietani. Romae 1542) cuius exstant satis bonae Enarrationes in quinque priora capp. Geneseos. Romae 1551. — Caietani commentarios etiam corrigere studuit *Ant. de Fonseca* O. Praed. Annotationes in Comm. Caietani super Pentat. Parisiis 1639. — *Hier. Oleastri* Comment. in Pentat. iuxta editionem Santis Pagnini. 4 voll. fol. Olyssipone 1556 sqq. — *Augustini Steuchi Eugub.* Veteris Test. ad hebraicam veritatem recognitio s. in Pentat. annotationes. Venet. 1529. 4°. — *Isid. Clarii* Vulgata editio ad hebr. verit. emendata adiectis scholiis. Venet. 1542. fol.

3. *Santis Pagnini* Catena argentea in Pentat. Antwerpiae 1565. fol. — *Franc. Zephyri* Catena s. explicatio locorum in Pentat. subobscuriorum ex antiquis graecis scriptoribus depromta. Florentiae 1547. 8. — *Al. Lippomani* Catena in Genesin ex auctoribus ecclesiasticis plus minus sexaginta graecis et latinis connexa. Paris. 1546. Eiusdem in Exodum. Paris. 1550. 2 voll. fol. — *Iac. Morlini* Tropologiae ex Orig. collectae in Pentat. Salinglaci 1537. 8. — *Asc. Martinengi* Glossae magnae in Genesin (vel potius in Hexaëm.) ex ducentis fere scriptoribus eccles. excerptae. Patavii 1597. 2 voll. fol.

— *Sim. de Muys* Varia sacra ex variis rabbinis in Pentat. Parisiis 1631. 3 voll. 8. (Opp. Parisiis 1649. vol. 2.). — Huc quoque recte trahuntur *Seb. Bravo* Collectanea aurea ex S. Thomae Aquin. opp. in Pentateuchum. Compluti 1596. fol. et *Iac. de la Haye* Commentar. literal. in Genes. (4 voll. fol.) et in Exodum (3 voll. fol.) Parisiis 1636. 1641.

4. De his commentariis cfr *Introd. gener.* p. 682. 683. 689.

5. *Iac. Bonfrerii* S. I. Pentateuchus Moysis commentario illustratus. Antw. 1625. (Cfr iudicia quae de egregio hoc opere collegit Hurter Nomenclator I. 790 sqq.). — *Corn. Iansenii Yprens.* Pentat. sive Comment. in quinque ll. Moysis Lovanii 1639 (« Brevis est, solidus, nec ineptus, ut nullius unquam erroris suspicio in opus hoc crearetur ». Calmet. Dict. I. p. 28; Hurter I. p. 626 sq.). — *Claud. Frassenii* O. Min. Disquisitiones in Pentat. Rothom. 1705 et saepius (Opp. Lucae 1769. fol. II.).

6. *Ben. Pererii* S. I. Comment. in Genesin. Romae 1589. fol. et saepius. Minoris aestimantur eius Disputationes centum viginti septem in Exodum. Ingolstadiae 1601. et saepe. — *G. Hammeri* O. Praed. Comm. in Genes. Dilingae 1564. fol. — *Franc. Silviis* Comm. in Gen. et Exod. Duaci 1639. et 1649. Post eius mortem editi sunt etiam eius comment. in Levit. et Numer. (Opp. Antw. 1678. VI.). — *Ben. Fernandii* S. I. In Genes. comm. et observ. moral. Lugd. 1618 sqq. 3 voll. fol.

7. *Sebast. Barradii* S. I. Itinerarium filiorum Israel etc. Antwerpiae 1612. — *Ioan. Lorini* S. I. Commentarii in Leviticum. Lugduni 1622. fol.; in Numeros. Lugd. 1619. fol.; in Deuter. Lugd. 1625. 2 voll. fol. — *Petri Serrani* Comm. in Levit. Antw. 1572. fol. — *Andr. Masii* Adnotationes in Deut. 16-34. (in Criticis sacr.).

8. *C. F. Houbigant* Congr. Orat. Biblia hebr. cum prolegom. et notis criticis. Parisiis 1753. — Satis longum catalogum dissertationum de pericopis Pentateuchi gravioribus (Hexaëm., paradiso, diluvio, patriarchis, benedictione Iacobi etc. etc.) conscriptarum exhibet *Calmet* Dict. bibl. I. p. 35-47.

Praeter eos, qui universas Scripturas brevibus scholiis instruxerunt, hoc nostro saeculo pauci sunt catholici interpretes, qui aut totum Pentateuchum aut integros eius libros sibi explicandos sumserint. Completum eius commentarium inchoavit *Fr. de Hummelauer*, Genesin interpretati sunt *Th. H. Lamy* et *Ant. Tappehorn*, Genesin una cum Exod. et Levit. *H. I. Crellier*, Numeros et Deuter. *C. Trochon*[9]. Neque tamen putandum est, libros mosaicos a catholicis hac nostra aetate plane esse neglectos. Innumera enim ab eis edita sunt opuscula et opera, quibus aut praecipuas difficilioresque pericopas illustrarent aut obiectiones contra mosaicam et divinam Pentateuchi originem auctoritatemque refutarent.

Nullum, opinor, saeculum maiorem interpretum catholicorum vidit ardorem et diligentiam in cosmogonia mosaica explicanda et defendenda, neque scio an unquam tot opera et opuscula, quot hac nostra aetate, de hoc argumento sint edita. Porro quot egregiae dissertationes de unitate generis humani, de paradiso terrestri, de diluvio, de primitiva historia, de populorum dispersione, de confusione linguarum etc. etc. conscriptae sunt! Quanta cum sollicitudine scriptores catholici ex antiquis historiis collegerunt quidquid ad pentateuchicam narrationem explicandam, illustrandam, vindicandam utile videbatur,

et quanta cum diligentia omnibus modernis subsidiis adhibitis historia pentateuchica a non paucis scriptoribus catholicis est narrata! Saeculum igitur nostrum, etsi commentariorum pentateuchicorum numerum non auxerit, pro virili tamen sua parte Pentateuchi intelligentiam promovisse iure dicitur. At omnes istos labores enumerare nostri muneris non est, siquidem ad exegesin proprie dictam longe pleraeque non pertinent. Illos vero viros silentio praetermittere nobis non licet, qui in messianicis vaticiniis Pentateuchi elucidandis et vindicandis utilissimam operam posuerunt : in Italia *Fr. X. Patrizi*, in Gallia et Belgio *Guil. Meignan*, *I. Corluy*, in Germania *L. Reinke*, *I. Bade*, *F. Himpel*. Alios, qui de Pentateucho defendendo optime sunt meriti, occasione data non semel laudavimus, quare opus non est eorum nomina iterum adscribere.

Pentateucho hac nostra aetate protestantici interpretes multo diligentius, quam catholici, studium impenderunt, atque innumera fere sunt opera vel dissertationes, quae hoc nostro saeculo ab illis sunt edita. Pleraque vero, quoniam in operis unitate impugnanda et destruendaa atque in variis systematis de eius origine explicandis versantur, eatenus dumtaxat ad eius intelligentiam contulerunt, quatenus defensores revelationis impulerunt, ut nonnullas quaestiones maiore cum sollicitudine explicarent. Praecipua rationalistica opera in huius tractatus decursu iam saepe nominavimus, atque laudavimus etiam egregia nonnulla opera, quibus alii protestantici interpretes (*Hengstenberg*, *Ranke*, *Haevernick*, *Keil*, etc.) commenta rationalistica refutarunt. Ex commentatoribus hoc loco nominamus tantum *Delitzsch*, cuius Comm. über die Genesis (Ed. 4. Leipzig 1872.) multa egregie explicat, *Keil* (Comm. über die Bücher Mose's. Ed. 3. Leipzig 1878.), *Browne*, *Cook*, *Clark*, *Espin* (The Speaker's Commentary. London 1871. I.). Qui antiquiores protestanticos et iudaicos commentatores cognoscere desiderat, eos enumeratos inveniet a *Calmet* Diction. historico-criticum ed. Mansi I. p. 29 sqq. et a *Carpzov*. Introd. in V. T. Ed. 4. 1757. I. p. 50 sqq.: recentiores enumerat *Zoeckler* (Hdb. d. theol. Wissensch. 1883. p. 192 sq.) et *Strack* (Einl. Ed. 4. 1894. p. 204 sqq.).

9. *P. de Hummelauer* hucusque edidit Comment. in Genesin (Parisiis 1895), in Exod. et Leviticum (1897). — *Th. I. Lamy* Comment. in l. Geneseos. (Mechliniae 1883. 2. voll.); *Ant. Tappehorn* Erklärung der Genesis (Paderborn 1888). — *H. I. Crelier* Introduction au Pentateuque; Genèse (Paris 1890); Exode et Lévitique (1886); — *C. Trochon* Nombres et Deutéronome (Paris 1891).

CAPUT II.

DE LIBRO IOSUE.

§ 9. — *De libri Iosue argumento, divisione, fine.*

51. — Moyses, quia apud aquam contradictionis perfectam in Dei auxilio fiduciam non conservaverat, una cum fratre suo Aarone in terram promissam introire prohibitus est. Quapropter postquam legislationem complevit legesque divinitus datas deuteronomicis suis concionibus filiis Israel iterum iterumque commendavit et inculcavit, a Deo in montem Nebo ascendere iussus terram promissam oculis suis conspexit « mortuusque est ibi in terra Moab iubente Domino »[1]. At eodem iubente Domino ante mortem, « ne populus Domini esset sicut oves absque pastore », successorem sibi substituerat, qui opus inchoatum terminaret, populum in Palaestinam introduceret terramque inter tribus distribueret. Osee, filius Nun, ex tribu Ephraim, a Deo electus erat Moysis successor atque in electionis signum, ut videtur, nomen eius *Osee* (הוֹשֵׁעַ *salus*) mutatum est in *Iosua* (יְהוֹשֻׁעַ *Iahve, est salus*)[2]. Iam mox post exitum ex Aegypto strenuum se belli ducem contra Amalecitas probaverat, atque ab eo tempore fidelis minister semper Moysi adhaeserat. Unus fuerat ex exploratoribus, quos Moyses in secundo peregrinationis anno ad explorandam terram promissam miserat, et quum reliqui omnes descriptionibus suis populum ab occupanda terra absterrerent, ipse solus cum Caleb imperterritus exhortatus est multitudinem, ne rebelles fierent contra Dominum neve timerent, sed divino auxilio freti hostes suos aggrederentur. Quapropter solus quoque cum Caleb ex omnibus Israelitis, qui viri ex Aegypto profecti erant, dignus est habitus, qui Palaestinam ingrederetur[3]. Mortuo igitur Moyse « Iosue filius Nun repletus est spiritu sapientiae, quia Moyses posuerat super eum manum suam, et obedierunt ei filii Israel feceruntque sicut praecepit Dominus Moysi »[4].

Duplex autem negotium successori suo implendum reliquerat Moyses; terra promissa, quam gentes fortissimae possederunt, vi erat expugnanda, expugnata autem inter decem illas tribus, quae possessionem nondum acceperant (Ruben enim et Gad atque dimidia tribus Manasse terram transiordanicam Moyse permittente iam occupaverant), ita erat dividenda, ut nulla inter filios Israel exoriretur invidia ne-

que discordia. Non minor ergo in duce requirebatur sapientia, quam fortitudo. Quomodo duplex hoc negotium sibi impositum Iosue expleverit, narrat liber, qui eius nomine inscriptus in secunda parte canonis palaestinensis primum locum occupat et in nostro canone Pentateuchum immediate sequitur.

1. *Num.* 20,12; *Deut.* 34,1-5.

2. *Num.* 27,17. De genealogia Iosuae cfr 1 *Paral.* 7,22-27 et *Num.* 1,10; de nominis mutatione *Num.* 13,16.

3. *Exod.* 17,9 sqq.; — 24. 13; 32,17; 33,11; *Num.* 11,28. — *Num.* 13,1-14,10; 14, 28-38.

4. *Deut.* 34,9.

52. — Pro duplici argumento *liber Iosue apte dividitur in duas partes*, quarum prior (1,1-12,24) Palaestinae expugnationem, altera (13, 1-22,34) eius distributionem inter varias tribus narrat, quibus pro epilogo (23,1-24,33) ultima verba, quibus Iosue seniores et populum ad Legis observantiam exhortatus est, brevisque relatio de eius morte adduntur. Si ab ultima hac relatione abstrahimus, quae terminato libro simili ratione est addita, qua terminato Deuteronomio adiecta est narratio mortis Moysis, totam libri divisionem illa oratione habemus indicatam, qua Deus Iosuen exhortatus est, ut opus impositum strenue perficeret: « Surge et transi Iordanem istum, tu et omnis populus tecum, in terram quam ego dabo filiis Israel... Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitae tuae » (1,2. 5. Cfr 1,1-12,24). « Confortare et esto robustus. Tu enim sorte divides populo huic terram, pro qua iuravi patribus suis, ut traderem eam illis » (1,6. Cfr 13,1-22,34). « Confortare igitur et esto robustus valde, ut custodias et facias omnem legem, quam praecepit tibi Moyses servus meus » (1,7. Cfr 23, 1-24, 28). Ut argumentum et divisio accuratius perspiciantur, ANALYSIN LIBRI adnectimus.

PARS PRIOR (1,1-12,24) *terrae promissae occupationem enarrat.*

I. *Ingressus in terram promissam et praeparatio ad eam expugnandam* (1,1-5,15).

1. *Ingressus in terram* (1,1-5,1).

a.) Dei verbis admonitus, ut Iordane transiecto Palaestinam occuparet, continuique auxilii divini promissione confortatus (1,1-9) Iosue filios Israel admonuit, ut se ad terram ingrediendam praepararent (1,10-11), exhortatusque est tribus Ruben Gad Manassen, ut secundum promissionem suam fratres suos in hac expeditione adiuvarent (1,12-18).

b.) Deinde misit duos viros, qui vicinam urbem Iericho explorarent. Qui per Rahab meretricem recepti (2,1-7) et ab regis insidiis custoditi servatique (2,8-21) re feliciter gesta revertentes relatione sua eum permoverunt, ut statim hostes aggrederetur (2,22-24).

c.) Quare eadem nocte, qua reversi sunt exploratores, Iosue et filii Israel ad Iordanis ripam progressi ibique tribus diebus commorati die 10. mensis 1. anni 41. post exitum ex Aegypto Iordanem miraculo siccatum transgressi sunt (3,1-17).

d.) In cuius miraculi memoriam duo monumenta, unum in Iordanis alveo, alterum in Galgala, quo in loco prima castra cis Iordanem posuerant filii Israel, erigenda curavit Iosue (4,1-24).

e.) Miraculo autem audito Chananaei magno terrore perculsi sunt (5,1).

2. *Praeparatio ad terram occupandam* (5,2-15).

a.) Quia Israelitae in deserto nati peregrinationis tempore non erant circumcisi, a Domino circumcidi iubentur (5,2-9), atque deinde primum pascha in terra promissa celebrant, a qua die cessavit manna in signum finitae peregrinationis (5,10-12).

b.) Iosue Angeli apparitione confortatur ad opus strenue aggrediendum (5,13-15).

II. *Expugnatio terrae promissae* (6,1-12.24) ita narratur, ut praecipua quaedam facta, in quibus auxilium divinum magis elucebat, ob oculos ponantur.

1. *Duas proximas civitates divinitus adiuti Israelitae occupant et destruunt* (6,1-8,29).

a.) Iericho occupatur (6,1-7,1). Ad sonum tubarum, postquam sex diebus bellatores una cum sacerdotibus arcam portantibus urbem Iericho circuierunt, septimo die muri ceciderunt (6,1-20). Ierichuntis incolae omnes, excepta Rahab meretrice cum familia eius, interfecti sunt, urbs integra funditus deleta, omnes eius thesauri in aerarium Domini sunt consecrati (6,21-25). Illi, qui urbem reaedificare conaretur, Iosue maledixit (6,26-27). At unus ex filiis Israel, Achan, ex praeda Deo devota sibi aliquid reservavit (7,1).

b.) Hai occupatur (7,2-8,29).

α.) Primum Israelitae, quum oppidum Hai expugnare conarentur, ab incolis devicti et reiecti sunt (7,2-5) ob crimen Achan (7,6-15);

β.) Quo detecto et punito (7,16-26) Iosue Dei revelatione confortatus et edoctus (8,1-2) insidiis structis devicit hostes (8,3-23) et oppidum occupatum eodem modo tractavit, quo civitatem Iericho tractaverat (8,24-29).

2. Quibus peractis Iosue illud implere voluit, quod Deus per Moysen praeceperat (*Deut.* 27, 5 sqq.), atque cum toto populo usque ad Sichem progressus *altari in monte Hebal erecto, Lege lapidibus inscripta, benedictionibus in Legis observatores maledictionibusque in eius violatores pronuntiatis* totam terram, cuius Sichem quasi erat centrum, in filiorum Israel possessionem transisse sollemni modo manifestavit (8,30-35);

3. *Gabaonitae subiguntur et Amorrhaeorum reges devincuntur* (9,1-10,27).

a.) Omnibus illis auditis, quae Deus per Iosuen fecerat, perterriti reges Chananaeitarum foedus inierunt, ut Israelitas debellarent (9,1.2). Gabaonitae autem timentes, ne sibi eadem, quae civitatibus vicinis,

Iericho et Hai, sors obtingeret, dolo Iosuen seduxerunt, ut Domino non interrogato secum foedus pangeret et iureiurando sibi salutem promitteret (9,3-15). Dolo autem detecto vivi quidem servati sunt, sed ministerio populi et altaris Domini velut servi perpetui addicti (9,16-27).

b.) Rex hierosolymitanus cum quatuor aliis regibus amorrhaeis Gabaonitas ob eorum a communi foedere defectionem aggressi sunt (10,1-5), attamen a Iosue, qui eo die solem stare iussit, plane devicti sunt (10,6-14) et occisi atque in patibulum suspensi (10, 15-27).

4. Quibus aliquantulum fusius narratis *brevi conspectu reliquae terrae occupatio proponitur* (10,28-11,23).

a.) Variis belli expeditionibus contra Macedam, Lebna, Lachis etc. tota terra meridionalis occupata est (10,28-43);

b.) Partis autem septemtrionalis reges devicti sunt prope aquas Merom (11,1-9) terraeque eorum subiugatae (11,10-20).

c.) Quibus peractis etiam Enacim in parte meridionali Iosue delevit (11,21-23).

5. *Pro epilogo huius partis prioris enumerantur unus et triginta reges*, quos trans Iordanem (12,1-6) et cis Iordanem (12,7-24) Israelitae Moyse et Iosue ducibus devicerunt. Qua enumeratione simul praeparatur

ALTERA PARS (13,1-22,34), *qua terrarum occupatarum distributio describitur.*

I. *Introductio ad narrationem de terrae promissae distributione* (13,1-33).

1. *Iosue senescens terram*, etsi nondum integra esset occupata, inter tribus novem et dimidiam *distribuere a Deo iubetur* (13,1-8).

2. *Ratio autem additur, cur inter has solas tribus sit dividenda*,

a.) Quia tribus Ruben, Gad et dimidia Manasse iam trans Iordanem possessionem suam acceperant, quae describitur secundum universos suos fines (13,9-14) et secundum singulas partes tribui Ruben (13,15-23), Gad (13,24-28), Manasse (13,29-32) traditas;

b.) quia tribus Levi nullam partem continuam erat acceptura (13,33).

II. *Distributio terrae cisiordanicae* (14,1-19,51).

1. *Inscriptio huius partis* monet omnia (quod ad personas dividentes attinet, modum divisionis, terram divisam, tribus, quibus distributa est) facta esse secundum praeceptum Moysis (14,1-5; cfr *Num.* 34).

2. *Pars familiae Caleb et tribui Iudae addicta* (14,6-15,62).

a.) Antequam sors mitteretur, Caleb accessit ad Iosue petens, ut sibi illa pars attribueretur, quam quadraginta quinque annis antea Moyses ipsi promiserat, petitionique annuens Iosue dedit ei Hebron in possessionem (14,6-15).

b.) Tribui Iudae, cui Caleb accensebatur, sorte attributa est regio circum Hebronem sita, cuius fines describuntur (15,1-12), et postquam complementi gratia Calebum Hebronem accepisse et Debir vi expugnasse iterum est narratum (15,13-19), singulae civitates secun-

dum quatuor regionis partes (15,21-32; 33-47, 48-60. 61-62) enumerantur.

3. *Sors filiorum Ioseph* (16,1-17,18).

a.) Filii Ioseph, Ephraim et Manasse, unam sortem acceperunt, cuius fines meridionales indicantur (16,1-4);

b.) partis Ephraim accuratius determinantur fines septemtrionales, quibus a sorte Manasse separabatur (16,5-10).

c.) Manasse autem praeter Galaad et Basan in regione transiordanica etiam suam partem accepit cis Iordanem, quae inter decem familias Manasse divisa est (17,1-13).

d.) Filii Ioseph demum, quum conquererentur, quod nimis parva esset pars ipsis attributa, a Iosue admoniti sunt, ut debellatis Chananaeis ampliorem sibi expugnarent (17,14-18).

4. *Sortes septem reliquarum tribuum* (18,1-19,48).

a.) Tabernaculo foederis in oppidum Silo translato reliquae tribus, quae in sedibus figendis desides fuerant, viros aliquos eligere iussae sunt, qui reliquam terram describerent et in septem partes distribuerent (18,1-7). Quo facto Iosue in Silo sortem misit super istas partes (18,8-10).

b.) Atque prima sors cecidit tribui Benjamin media inter Iudam et Ephraim (18,11), cuius sortis termini (18,12-20) et civitates (18, 21-28) enumerantur. Secunda sors cecidit Simeon in medio possessionis filiorum Iuda, eiusque civitates nominantur (19,1-9). Tertia sors Sabuloni, cuius termini indicantur (19,10-16), quarta Issachar, cuius civitates nominantur (19,17-23), quinta Aser, cuius iterum termini indicantur (19,24-31), sexta Nephthali, cuius et termini et civitates nominantur (19,32-39), ultima demum filiis Dan, quae possessione sua in meridie non contenti in septemtrione alteram expugnaverunt (19,40-48).

5. Omni divisa regione *Iosuae assignata est possessio* in monte Ephraim, atque ita totum divisionis negotium terminatum est (19,49-51).

III. *Urbium refugii et civitatum levitarum definitio* (20,1-22,34).

1. *Urbes refugii* iuxta praeceptum a Deo per Moysen datum (20,1-6) sex constituuntur, tres in terra cisiordanica et tres trans Iordanem (20,7-9).

2. Praeter sex urbes refugii iuxta Dei praeceptum (*Num.* 35,6) *levitis quadraginta duae aliae civitates attribuendae erant.*

a.) Petentibus igitur principibus familiarum Levi sorte definitum est, quibus in tribubus singulae ex quatuor familiis levitarum suas civitates sint accepturae (21,1-8).

b.) Enumerantur deinde tredecim civitates filiorum Aaron in tribubus Iuda, Simeon, Beniamin (21,9-19), decem filiorum Caath in Ephraim, Dan, Manasse cisiordanica (21,20-26), tredecim filiorum Gerson in Manasse transiordanica, Issachar, Aser, Nephthali (21, 27-33), duodecim filiorum Merari in Sabulon et trans Iordanem (21,34-42).

3. Completum igitur erat omne, quod Deus de tradenda terra promiserat (21,43-45), atque dimisit Iosue tribus transiordanicas, quae in occupanda terra auxilium suum praestiterant (22,1-9). Quum vero iuxta Iordanem altare exstruxissent, reliquae tribus timentes, ne fratres sui a veri Dei cultu descivissent, legatis missis huius rei causam inquisiverunt; iusta autem excusatione accepta quieverunt (22, 10-34).

In epilogo (23,1-24,33) refertur.

1. Quomodo Iosue brevi ante mortem suam convocatos filios Israel ad Dei mandata observanda vitandamque gentium societatem exhortatus sit (23,1-16),
2. atque iterum in sollemni populi concione in Sichem habita commemoratis omnibus Dei beneficiis foedus populi cum Deo renovaverit (24, 1-28).
3. Brevis demum de morte sepulturaque Iosue, de ossibus Ioseph in Sichem tumulatis, ac de morte Eleazari, Aaronis filii, narratio librum terminat (24,29-33).

53. Ex analysi tradita, quam arcto nexu liber Iosue cum Pentateucho cohaereat, evidentissime apparet. Quemadmodum Iosue ipse a Deo electus erat, ut filios Israel per Moysen ex Aegypto eductos in terram promissam introduceret, sede fixa integro populo et singulis tribubus assignata opus a Moyse inchoatum continuaret atque compleret, filios Israel velut rempublicam perfectam, quae ab omnibus aliis populis independens suis solis legibus divinitus datis sese regeret, in medio nationum constitueret : ita etiam liber Iosuae nomine inscriptus historicam Pentateuchi narrationem continuat atque complet.

Finis autem, quem in hac historia scribenda auctor sibi proposuit, non fuit ille, ut fidelis tantum historici partes ageret atque rebus gestis Iosuae accurate narratis vel expugnatione et divisione Palaestinae descriptis curiositatem lectorem expleret. Id enim si facere voluisset, tot et tantas res, quae septennio expugnationis terrae promissae acciderunt, silentio non praetermisisset; nam ex paucis, quae narrat, satis apparet, eum totius illius aetatis perfectam scientiam habuisse, ut multo plura, si voluisset, tradere potuisset; fine igitur suo, quominus plura scriberet, impeditus est. Revera *sacrum* scriptorem agit; altiorem autem finem omnes sacri historici persequi solent, in eoque fere conveniunt, quod divinis beneficiis divinisque poenis in memoriam revocatis contribules suos ad fidelem observationem foederis cum Deo initi exhortentur. Pro diverso tamen argumento, quod sibi narrandum elegerunt, alii alia ratione eundem supremum finem attingere student; alii enim iustitiam praeprimis praedicant, qua pro foedere aut violato aut observato Deus populum suum aut poenis afflixit aut

beneficiis exornavit; alii rerum adversarum causas diligenter indicant, ut quae vitanda sunt clarius cognoscantur; alii fidelitatem, qua Deus omnes promissiones suas implevit, praecipue ob oculos ponunt, ut fidelitate fidelitatem rependendam esse doceant etc. Iam vero *in fidelitate divina celebranda* noster liber maxime versari videtur, atque illud praecipue sibi proposuisse eius auctorem arbitramur, ut ostenderet, quomodo in expugnatione et divisione terrae promissae haec fidelitas divina sese manifestasset.

Namque Deus patriarchis iam promiserat, se terram Chanaan posteris eorum in quietam possessionem esse daturum; postquam autem Moyses, quem ut hanc promissionem impleret prae omnibus elegerat, diffidentia sua sese indignum reddiderat, qui integrum negotium terminaret, iterum promiserat, etiam post Moysis mortem populo se non defuturum, sed singulari sua providentia semper esse invigilaturum [1]! Quomodo haec promissa impleverit, ostendit liber Iosue. Quam ob causam ex tota historia expugnationis, quae satis multos annos insumsit, pauca dumtaxat facta auctor elegit, in quibus miraculoso interventu divina haec providentia sese clarius manifestavit : transitum per Iordanem, expugnationem urbium Iericho et Hai, victoriam de quinque regibus ammorrhaeis prope Gabaon reportatam : reliquorum autem regnorum chananaeorum occupatio, quae multis bellicis expeditionibus facta est, strictim tantum attingitur atque paucissimis verbis absolvitur. Sola Gabaonitarum deditio etiam fusius describitur, quia ipsa quoque demonstrat Dei providentiam ea in occasione populo non defuisse, sed sua ipsorum culpa populum eiusque duces effecisse, ut illi a communi sorte aliorum Chanaanitarum eximerentur. Atque haec quidem in priore libri parte; in altera autem relatio de terrae promissae distributione his verbis terminatur : « Dedit Dominus Deus Israeli omnem terram, quam traditurum se patribus coram iuraverat... *Ne unum quidem verbum, quod illis se praestiturum esse promiserat, irritum fuit, sed rebus expleta sunt omnia* » [2]. Utraque igitur pars Dei fidelitatem promissis expletis celebrat; conclusionem autem practicam ex hac divina fidelitate deducunt duae Iosuae conciones, quibus liber terminatur. Quarum summa est, ut magnis beneficiis, quibus Dominus Israelitas cumulavit, in memoriam revocatis divinam fidelitatem etiam fidelitatem populi in observandis mandatis postulare ostendant : « Si cut implevit opere (Deus), quod promisit, et prospere cuncta venerunt, sic adducet super vos quidquid malorum comminatus est... (si) praeterieritis pactum Domini Dei vestri, quod pepigit vobiscum » [3]. Hac igitur ratione liber Iosue etiam velut Pentateuchi complementum est « in testimonium contra Israel » [4].

1. *Num.* 27,12-23; 20,7-13.
2. *Ios.* 21,41. 43.
3. *Ios.* 23,16 (Vulg : « *eo quod praeterieritis* »; rectius autem, uti contextus docet : « *si* praeterieritis »).
4. *Deut.* 31,26. Hinc etiam patet, cur *Ios.* 8,30 sqq. medias inter belli expeditiones narretur, in montibus Garizin et Hebal « omnia verba benedictionis et maledictionis » (*Deut.* 27. 28.) esse promulgata.

§ 10. — *De libri Iosue unitate.*

54. — Antequam de libri Iosue auctore dicamus, nonnulla de eius unitate sunt praemittenda. Eodem enim modo, quo Pentateuchum dilacerant et discerpunt, similesque ob rationes moderni « critici » interpretes etiam libri nostri unitatem negant iisdemque fere systematis, quae sibi ad Pentateuchi originem explicandam effinxerunt, eius originem explicare conantur. *Fragmentorum farraginem* in libro Iosue olim invenerunt Nachtigal, Bertholdt, van Heverden, Steudel, alii, quae quomodo in unum corpus sint coagulata, ipsi non satis explicare potuerunt [1]. Quo systemate relicto recentiores « critici » tenent *complementorum systema* quoddam eosdemque scriptores, quos longo saeculorum decursu Pentateuchum composuisse fingunt, etiam in nostro libro componendo operam suam collocasse statuunt; immo Pentateuchum et librum Iosue unum opus olim efformasse censent, quod Esdrae tempore aut etiam tardius in duo opera sit separatum. Secundum *Bleek* Deuteronomista antiquum aliquod scriptum, quod historiam filiorum Israel a Moysis morte usque ad Iosuae mortem narravit, invenit illudque, partim non mutatum partim novis curis retractatum et mutatum, suo operi inseruit adiectis aliis narrationibus, quas ex proprio penu desumsit; *Schrader* totum librum inter quatuor suos pentateuchicos scriptores distribuit, *Wellhausen* et *Reuss* Iahvistae sui (I E), Deuteronomistae et auctoris « codicis sacerdotalis » manus in eo distinguunt, *Knobel* et *Ewald* sex vel septem vel octo suis Pentateuchi scriptoribus ad nostrum libellum componendum indigent [2]. Operae pretium non est omnia haec systemata fusius exponere et refutare; etenim, praecipua argumenta, quibus unitatem libri Iosue impugnant, examini subiecisse fini nostro abunde suffecerit [3].

1. *Nachtigal* in Henke's Magazin IV. 2. p. 362 sqq.; *Bertholdt* Einleitung III. p. 849 sqq.; *C. H. van Heverden* Disputatio de libro Iosue. Groning. 1826.; *Steudel* Theol. des A. T. Berlin 1840. p. 476. Nachtigal et van Heverden integrum librum variis fragmentis constare opinati sunt, et alter quidem eorum duodecim distinxit; Bertholdt alteram libri partem ex fragmentis composuit, Steudel solas glossas quasdam longiores in librum insertas vidit etc.

2. *Ewald* Gesch. d. Volkes Israel. I. p. 81 sqq.; *Knobel* Num. Deut. Ios. p. 359 sqq.; *de Wette-Schrader* Einl. p. 304; *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 125 sqq.; *Wellhausen* Skizzen u. Vorarbeiten. II. 1885. p. 116 sqq.; *Reuss* Gesch. d. A. T. p. 386 sqq. 464 sq.; *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 97 sqq. etc. Similiter ex « orthodoxis » acath. *Koenig* Einl. 1893. p. 246 sqq.; *Strack* Einl. Ed. 4. 1895. p. 60 sq. etc.

3. Egregie hanc quaestionem tractat *Himpel* Selbständigkeit, Einheit und Glaubwürdigkeit des Buches Iosua. Tüb. Quartalschr. 1864. p. 385-449 et 1865. p. 227-307. Ex protestanticis scriptoribus cfr *Koenig* Alttestam. Studien. I. Authentie des B. Iosue. Meurs 1836. p. 4 sqq.; *Keil* Einleitung. Ed. 3. p. 181 sqq.; Comment. Ed. 2. p. 8 sqq.; *E. Rupprecht* Des Rätsels Lösung. II. 1. 1896. p. 580 sqq.

55. — 1. Ut librum Iosue a scriptoribus suis pentateuchicis compositum esse facilius demonstrent moderni « critici », praeprimis statuunt eum olim cum Pentateucho fuisse coniunctum unumque cum eo opus efformasse[1]. Antiqui quidem testes id prorsus ignorant, immo locus, quem iam antiquissimis temporibus liber Iosue in canone Iudaeorum occupavit, evidentissime ostendit, neminem antiquitus de hac Pentateuchi et libri Iosue unitate cogitasse; qui enim fieri potuit, ut eiusdem operis una parte efformarent primam canonis sectionem (Lex), et alteram partem ponerent in secunda (inter Prophetas)? Attamen historicis argumentis neglectis interna libri Iosue indole rem definiunt adversarii nostri. « Morte enim Moysis, inquiunt, Pentateuchus, quatenus legislationem exhibet atque codex legum per Moysen traditarum esse censebatur, aptissime quidem terminatur; sed quatenus est opus historicum, Moysis morte terminari non potuit. Ab ipso enim exordio mundi historiam populi israelitici enarrare incipit; sed quum Moyses moreretur, Israelitae terram promissam nondum occupaverant, etsi iam omnia ad eam expugnandam essent praeparata: eae tribus, quae trans Iordanem sedes suas acceperant, ad fratres suos adiuvandos sollemni promissione sese obstrinxerant, Iosue expeditionis dux constitutus erat, quid post ingressum esset agendum, iam erat praescriptum etc. Iam vero omnium harum praeparationum narratio prorsus videtur superflua, nisi statim ipsius expeditionis narratio sequatur. Neque ullo modo cogitari potest, diu post expugnatam Palaestinam, quando Pentateuchus scribebatur, scriptorem media in narratione cessasse opusque suum imperfectum reliquisse »[2].

Mira sane obiectio, quae quoniam fundamento caret sua sponte corruit. Demonstravimus enim Pentateuchum non post occupatam Palaestinam, sed ab ipso Moyse conscriptum esse, qui profecto res post suam mortem a suo successore gestas narrare non potuit. Sed si Pentateuchum regum aut Esdrae tempore scriptum esse daremus, adversariorum tamen argumentatio multiplici modo peccaret. Urgere nolumus, quod non lectoris sed scriptoris sit definire, quodnam argumentum tractare quibusque limitibus illud circumscribere velit, sed eodem

argumento, quo Pentateuchus incompletus esse demonstratur, etiam Evangelia non esse completa demonstrari possunt. Domini enim morte redemtionis opus inchoatum quidem, sed nondum terminatum erat, quatenus eius fructus nondum apparuerant; Evangeliorum lector etiam desiderat scire, num Apostoli mandatum praedicandi ubique impleverint, quosnam fructus eorum praedicatio tulerit etc. Quin etiam si argumentatio adversariorum quidquam valeret, nemini amplius liceret partem solam historiae tractare, aut vitam alicuius hominis insignis conscribere; omnia enim ista opera natura sua semper sunt incompleta; ut igitur « criticis » satisfaciant, historici semper a creatione mundi narrationem suam inchoare eamque usque ad suos dies vel potius ad finem mundi usque perducere debebunt. Ridicula est haec, sed necessaria consequentia argumentationis rationalisticae. Num forte ea sola, quae Moyses gesserat, dignum operis alicuius argumentum non constituunt? Num Iosuae morte aptius, quam Moysis morte opus istud historicum terminasset scriptor, si eum tempore regum vixisse daremus? Id quidem minime. Etenim uti in Pentateucho praeparationes ad terram expugnandam narrantur, ita liber Iosuae terrae divisionem describens reliquam historiam israeliticam praeparat: terminato libro Iosuae lector etiam scire desiderat, an et quomodo Chanaanaeorum exterminatio, quae ante Iosuae mortem inchoata dumtaxat erat, sit continuata, num quieti filii Israel in suis novis sedibus permanserint, num ultima mandata Iosuae sint exsecuti etc. etc. Quid plura? Qui Moysis morte Pentateuchum, non tantum quatenus est codex legum, sed etiam quatenus est opus historicum, apte terminari negat, nunquam intellexit, quemnam locum Moyses in salutis oeconomia occupet.

Tantum autem abest, ut librum Iosue cum Pentateucho unum opus constituisse interna argumenta demonstrent, ut tota eorum indoles prohibeat, quominus velut unius operis partes considerentur. Procul dubio inter se arcto vinculo connectuntur, atque liber noster argumentum historicum Pentateuchi continuare et complere rectissime dicitur; at quomodo inde eos olim unum opus fuisse demonstretur, non apparet. Nostri enim libri auctor, licet opus mosaicum prae oculis continuo habeat, argumentum tamen suum proprium et definitum suo proprio modo evolvit. Qui analysin supra traditam inspicere velit, statim animadvertet, auctorem de occupatione et divisione terrae narrationem completam et absolutam ita dare voluisse, ut Dei in suis promissis explendis fidelitas clare conspiceretur. Ideo etiam Rubenitas et Gaditas reliquis tribubus in occupanda terra cisiordanica sese adiunxisse narravit, etsi in Pentateucho id iam esset narratum, atque simili modo, ut completam historiam traderet, occupationem et divisionem terrae transiordanicae repetiit[3]: id quod sane nemo apte explicaverit, qui ab

uno eodemque auctore Pentateuchum et librum Iosue velut unum opus continuum conscriptos vel in ordinem redactos esse contenderit. Ultimus quidem utriusque operis finis est, ut sint « in testimonium contra Israel », at auctor noster, ut hunc finem attingat, fidelitatem maxime divinam describit, quae in pentateuchica narratione non eodem modo celebratur; quippe quae multo magis misericordiam et bonitatem Dei exaltet. Demum si Pentateuchus et liber Iosue olim unum opus constituerunt, quomodo factum est, ut auctor ab initio libri Iosue ab omnibus illis linguae et styli singularitatibus, quae in toto Pentateucho inveniuntur, prorsus abstinuerit[4]?

1. Cfr *Ewald* in Stud. u. Krit. 1831. p. 602 sqq.; *Bleek* Einl. p. 125 sqq.; *De Wette Schrader* Einl. p. 300 sqq.; *Reuss* Gesch. des A. T. p. 386 nullo argumento allato asserit.: « *Ohne alle Frage* steht (das Buch Iosua) mit den fünf sogen. mosaischen in unzertrennlichem Zusammenhang, wurde aber von jüngern jüdischen Gelehrten sehr unverständiger Weise von denselben losgelöst. » Simili modo loquuntur alii « critici » interpretes.

2. Ita argumentatur *Bleek-Wellhausen* l. c. p. 125 sq.

3. *Num.* 32,20 sqq. et *Ios.* 1,12 sqq.; *Num.* 32,33 sqq. et *Ios.* 13,15 sqq.; cfr etiam ea, quae de tribus civitatibus refugii transiordanicis traduntur *Deut.* 4,41 sqq. et *Ios.* 20,8.

4. Cfr *supra* 19. p. 66 sq. Etsi libri nostri lingua propius ad mosaicam accedat, tamen nunquam ab auctore nostro הוא pro היא, nec נער pro נערה adhibetur, nec unquam pron. הַלָּזֶה et הָאֵל etc.

56. — 2. Immerito igitur librum Iosue cum Pentateucho coniungere volunt critici, neque maiore cum iure unitate eius negata multos ei assignant auctores. Etenim ex analysi tradita non minus, quam ex illis, quae de fine libri diximus, sufficienter demonstratur, antiquam omnium Iudaeorum et Christianorum persuasionem, qui ad nostram usque aetatem unum solum eius auctorem agnoverunt, firmis fundamentis inniti. Unum scilicet est eius argumentum, unus eius finis, unus sonus et idem stylus eius; quid autem amplius requiremus, ut ab uno auctore opus aliquod compositum esse dicamus? Restat igitur, ut examinemus argumenta, quibus adversarii antiquam persuasionem tota libri indole confirmatam convellere nitantur. Conqueruntur enim, quod ea, quae in libro narrantur, inter se et cum reliqua historia pugnent, neque hanc pugnam explicari concludunt, nisi a compilatore quodam liber ex variis operibus compositus vel potius conglutinatus dicatur[1].

Namque a.) « Iosue omnes Chanaanitas devicisse et exstirpasse totamque terram occupasse dicitur (11,16-23; 12,7 sqq.; cfr 21,43 sqq.; 22,4) : cui asserto mirum in modum contradicit status rerum, qui 13,1 sqq. exhibetur multis terrae partibus, quae nondum expugnatae erant, enumeratis (cfr etiam 17,14 sqq.; 18,3; 23,5.12.). Item cum aliis libri nostri textibus aeque

atque cum iis, quae liber Iudicum tradit, pugnant narrationes de expugnatione civitatum Hebron (10,36; cfr 11,21; 14,12; 15,14; *Iudic.* 1,10), Debir (10,38; cfr 11,21; 15,15-17; *Iudic.* 1,11), Asor (11,10 sq. cfr *Iudic.* 4,2 sqq.), Ierusalem, Gazer, Bethel, Dor, Mageddo (12,10. 12. 16. 21. 23. cfr 15,63; *Iudic.* 1,21 et 1,8; — *Ios.* 16,10; *Iudic.* 1,29. 22; — *Ios.* 16,12; *Iudic.* 1,27) Horma et Arad (*Ios.* 12,4 cfr *Num.* 21,1; *Iudic.* 1,17). »

Ad priorem obiectionis partem quod attinet, textus obiectos inter se pugnare negaremus, etiamsi compilatorem quendam ex variis fontibus librum composuisse cum adversariis nostris statueremus. Tantae enim ineptiae et socordiae, ut eorum, quae asseruit, post paucos versus interiectos prorsus immemor contraria assereret, ne ipsum quidem rationalistarum compilatorem reum diceremus. Quae autem inter se pugnare videntur, facile conciliantur, si attendis α.) Deum nequaquam promisisse, se statim ab initio integram terram filiis Israel esse traditurum : « Non eiiciam eos (Chananaeos) a facie tua anno uno, ne terra in solitudinem redigatur... paullatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis et possideas terram » (*Exod.* 23, 29,30; *Deut.* 7,22). « Iosue autem occupavit terram omnem, *secundum omnia, quae locutus erat Dominus ad Moysen* » (*Ios.* 11,32). Quapropter in finibus meridionalibus terram Philisthaeorum et Hevaeorum et in finibus septemtrionalibus regionem Phoenicum aggressus non est (*Ios.* 13,2-6). Adde β.) Iosuen utique in priore sua expeditione immediate post quinque reges devictos meridionalem Palaestinae partem atque in altera expeditione eodem modo septemtrionalem primo incursu expugnasse, attamen nec omnes singulasque urbes cepisse[2] nec captas praesidiis relictis munire potuisse, quum ad ulteriores expugnationes proficisceretur. Inter reges meridionales enim ab eo devictos non enumeratur rex Besec, quae civitas tamen satis magna videtur fuisse, siquidem eius rex decem millia virorum duxit contra Israel et septuaginta regulos a se devictos esse gloriabatur (*Iudic.* 1, 4 sqq.). Neque minus certum est, incolas primo Iosuae incursu ex suis sedibus pristinis eiectos post eius discessum esse reversos et iterum urbes suas incoluisse. Postquam enim narratum est, Iosuen occupasse Hebron et Debir (10,36 sqq.; 11,21 sqq.), Caleb expeditione in terram septemtrionalem terminata easdem civitates iterum sibi subiicere cogitur (15,13 sqq.). Tota igitur prior obiectionis pars perversae interpretandi methodo innititur, qua librorum sacrorum verba eousque premuntur et urgentur, usque dum contradictio aliqua sit extorta; nullus autem est liber sive sacer sive profanus, ex quo interpretatione inepta vel malitiosa contradictiones non extorqueantur. Neve expeditiones illas steriles et inutiles fuisse obiiciatur, si integra terra cum omnibus suis civitatibus in quietam Israelitarum possessionem non statim transierit. Expeditionibus enim illis terrore perculsi sunt hostes, et cognita Israelitarum, quos Deus adiuvit, fortitudo effecit, ut postea singulae tribus, quum sortes suas occuparent, Chananaeos iam semel devictos facilius vincerent et ex sedibus suis expellerent.

Neque maiorem difficultatem creat altera obiectionis pars, siquidem ea, quae de duplici Hebronis et Debir expugnatione supra diximus, ad conciliandos textus, qui inter se pugnare dicuntur, plane sufficiunt. Arbitrario

autem modo Iabin ille, rex Asor, quem devicit Iosue (11,1. 10), idem esse asseritur atque homonymus eius successor, quem centum fere annis postea Barac et Debbora vicerunt (*Iudic.* 4,2 sqq.); si quis vero in eo difficultatem invenit, quod civitatem Asor a Iosue captam Israelitae postea perdiderint, is populi statum, qui Iosue mortuo exortus est, videtur ignorare. Reliquas demum civitates enumeratas a Iosue iam esse occupatas vel captas, auctor non refert, sed earum reges dumtaxat a Iosue esse devictos (12,10 etc.). Regibus autem devictis filii Israel terram quidem postea occupare potuerunt, etsi civitates munitae in eorum possessionem nondum transissent; immerito igitur ex 12,7 occupatio civitatum deducitur.

b.) « Ex variis libri textibus (1,6; 11,23; 12,7; 13,8; 14,1-5) iure colligitur, terram occupatam aequali modo inter filios Israel esse distributam. Attamen postquam tribubus Iuda, Ephraim et dimidiae Manasse sortes sunt assignatae (*Ios.* 15-17), totum distributionis negotium (propter populi desidiam 18,3) abrumpitur; postea vero iterum alio in loco, ut videtur (18.1; 19.51) recipitur, atque prior distributio in nonnullis mutatur 18,11-19,51) ».

Quid sibi haec obiectio velit, equidem non satis intelligo. Terra promissa procul dubio inter duodecim (vel potius inter decem) tribus aequali modo pro familiarum numero erat dividenda; at negotium hoc non tam facile erat, quam adversarii nostri supponere videntur. Sors enim vix aliud indicavit praeter regionem, quae tribui alicui erat assignanda[3]; terrae autem extensio ex numero familiarum, quae in illa tribu erant recensita, definiri debuit. Iam vero in regione, quam solis suis bellicis expeditionibus cognoverant, id fieri non potuit sine maxima difficultate. Num forte « critici » nostri supponunt, Iosuae prae manibus fuisse tabulam geographicam, in qua Palaestinae situs finesque accurate erant depicti? Tribus igitur Iuda et Ioseph (Ephraim et dimidia Manasse), quarum prior partem meridionalem, altera septemtrionalem sorte obtinuerant, regionem assignatam statim occupare coeperunt, ut accuratius deinde eorum fines determinarentur. Partem autem intermediam liberam reliquerunt, in qua interea reliquae tribus castrametarentur. Verum ut sortem attributam occuparent, Chananaei, qui post primam cladem a Iosue eis inflictam in sedes suas reversi erant, denuo erant debellandi; quare distributionis negotium interrumpere coactus est Iosue. Interea tabernaculum foederis, quod eousque in Galgala fuerat, translatum est in Silo; reliquae autem tribus, quum continua viderent bella, quibus Iuda Ephraim Manasse sortes suas expugnare et a Chananaeis defendere cogebantur, desidiores factae sunt, quumque « duo in eis pugnarent, novarum terrarum cupiditas et Chananaeorum terror, istam ille vicit omniumque ad novas ineundas possessiones impetum cohibuit » [4]. Iosue autem experientia edoctus alio distributionis modo electo terram, quae inter reliquas tribus dividenda manebat, per legatos describi iussit ac tum demum sortes mitti. Qua terra exploratione compertum est, Iudam maiorem, quam qua indigebat, terrae tractum accepisse; quapropter mutatio aliqua prioris distributionis facta est. Nihil ergo in tota hac narratione legitur, quod cum reliquis aptissime non cohaereat, nec ulla contradictionis aut pugnae suspicio remanet. Neque tamen negamus, in hac historia nobis nonnulla esse

obscuriora; quae obscuritas ex contradictionibus auctoris non exoritur, sed ex nostra ignorantia, qui nec antiquae Palaestinae topographiam et historiam, nec sortitionis et divisionis modum satis perspicimus.

c.) « Secundum ea, quae *Ios.* 1-11 narrantur, omnes tribus simul duce Iosue Chananaeos debellaverunt; sed ex *Iudic.* 1,1 sqq. et ex ipso nostro libro (*Ios.* 17,14 sqq.) singulas tribus solas sibi territorium suum expugnasse elucet; immo Caleb solus Hebron occupavit (15,13-19), atque Danitarum quoque expeditio, de qua *Iudic.* 18 fusius agitur, iam commemoratur (19,47). Obscura igitur libri narratio insinuat, terram gradatim et per partes expugnatam esse. »

Difficultatem hanc non movissent adversarii nostri, si nobiscum (id quod omnino fieri debet et ab ipsa rei natura postulatur) primam incursionem, qua Iosue totam terram meridionalem ac septemtrionalem victor percurrit et Chananaeos terrore perculit, ab ipsa occupatione distinguerent, qua singulae tribus territorium sibi assignatum hostibus aut post priorem cladem reversis aut nondum devictis eripere cogebantur. Ceterum de Calebi et Danitarum expeditionibus *infra* (62 p. 196) recurret dicendi occasio.

d.) « Status religiosus tempore Iosue secundum legem mosaicam ordinatus fuisse videtur; sermo enim est de arca foederis et de sacerdotibus levitisque (3,3 sqq.; 8,33), de summo sacerdote (14,1), de civitatibus levitarum (21,1 sqq.), de circumcisione et de paschate (5,1-12), de tabernaculo foederis (18,1), immo de studio, quo unitatem cultus defendebant (22,1 sqq.). Nihilominus Iosue in ultima sua concione in idololatriam invehitur (24,23), quam etiam immediate post Iosuae mortem iudice Othniele reperimus (*Iudic.* 3,1-11). Atque cur populus in Sichem prope *quercum sanctam et sanctuarium Domini* (24,26) congregetur, eo minus intelligitur, quia Sichem, quamvis oppidum levitarum et refugii dicatur (20,7; 21,21), idololatriae deditam fuisse ex *Iudic.* 9 constat. Quin etiam in Silo festum contra Legis praeceptum celebratur (*Iudic.* 21,19) ».

Difficile est non scribere satyram, si eiusmodi obiectiones a viris eruditis proferuntur. Etenim si filii Israel immediate postquam Legem in monte Sinai acceperunt, vitulum aureum sibi efformarunt, quem adorarent (*Exod.* 32), atque paullo antequam Palaestinam ingrederentur, ultimo peregrinationis anno idolis Moabitarum sacrificarunt (*Num.* 25), difficultatem profecto nemo prudens in eo inveniet, quod etiam Iosuae tempore, quamvis Lex a plerisque observaretur, Legis violatores non defuerint. Illud multo magis esset mirandum, si populus, quem ad idololatriam quam maxime inclinatum fuisse tota eius historia demonstrat, Iosuae aetate integer ab omni falsorum deorum cultu abstinuisset. — Cur Iosue populum in Sichem potius, quam in altera civitate, congregare voluerit, cum certitudine quidem definire non possumus; probabiles autem rationes non desunt. Abraham enim, quum in Chanaan immigrasset, in Sichem tentorium suum fixerat, ibique ei posterisque eius prima terrae promissio facta est (*Gen.* 12,6); in montibus Garizim et Hebal prope Sichem ex Dei mandato Iosue benedictionum et maledictionum promulgatione terram promissam quodam modo occupaverat (*Deut.* 27,4 sqq.; *Ios.* 8,30 sqq.). Nullus ergo in tota

Palaestina locus renovando foederi magis videbatur adaptatus. Neque enim profecto idololatria, quae circiter centum quinquaginta annis postea, i e. sub Gedeonis filio Abimelech, in Sichem praevaluisse narratur (*Iudic.* 9.), Iosuen impedire potuit, quominus populum eam in civitatem convocaret. Quod vero de « *sacra* quercu » obiicitur, id arbitrariae rationalistarum exegesi debetur, quae sola *sanctitatem* arboris invenit; textus enim loquitur de « quercu, *quae erat in sanctuario Domini* » (הָאֵלָה אֲשֶׁר בְּמִקְדַּשׁ יְהוָֹה); « sacrarium autem Domini, inquit *Masius*, ego auguror eum dici locum, quem Abraham posito apud istam arborem altari primum in omni Chananaea consecraverat (*Gen.* 12,6), et in quo Iacob omnia idola, quae in domo eius fuerant, infodit subter terebinthum (vel quercum), quae est post urbem Sichem (*Gen.* 35,4) »[5]. Quamnam demum difficultatem contra librum Iosue creet festum, quod contra Legem in Silo celebratum esse asseritur (*Iudic.* 21,19), non videmus. Festum enim illud contra Legem celebratum esse nec demonstratum est nec demonstrari potest; si vero demonstraretur, nihil aliud concluderemus, nisi quod aliunde satis constat, anarchiae tempore leges non accurate observari.

1. Ut pugnam hanc inveniant, *Bleek Wellhausen* (Einl. p. 125-137) satis longam integri libri analysin tradit, et multo longiorem solus *Wellhausen* (Skizzen und Vorarbeiten II. Die Composition des Hexateuchs p. 116-134). Nec nostri muneris nec huius loci est, omnes illas minutias afferre et refutare; interpreti hoc negotium non admodum difficile relinquentes obiectiones omnes, quas congessit *de Wette Schrader* (Einl. p. 301-303), fere ad verbum transcribemus illasque, quae aliis rationalistis maioris momenti videntur esse, addemus.

2. Simili modo similem obiectionem, quae ex erronea versione textus alex. et itali (*Ios.* 11,19 « et non erat civitas, quae non erat tradita filiis Israel ») desumebatur, iam solvit *S. August.* (in Heptat. VI. 17. M. 34,783) : « Quaeritur quomodo hoc verum sit, quum nec temporibus postea Iudicum, nec temporibus Regum omnes omnino illarum septem gentium civitates capere potuerint Hebraei. Sed aut sic intelligendum est, quod ad nullam civitatem bellando accessit Iesus (Iosue), quam non ceperit, aut certe nulla non capta est earum, quae in regionibus supra commemoratis fuerunt; enumeratae sunt enim regiones, in quibus fuerunt civitates, de quibus facta est ista conclusio : et omnes cepit in bello ».

3. In serie tribuum, quibus sortes addicuntur, is habetur ordo, ut primi *Iuda* et *Ioseph* sortes acceperint; Ruben enim, Simeon, et Levi, primogeniti Iacobi, ob peccata sua iure primogeniturae erant privati (*Gen.* 49,3-7), in eorumque locum successerant Iuda ex filiis Liae et Ioseph ex filiis Rachel (*Gen.* 49,8. 22). Quos secutae sunt tribus ex reliquis filiis Rachel et Liae procreatae : *Beniamin*, *Simeon*, *Zabulon*, *Issachar*. Ultimo loco venerunt tribus ex ancillarum filiis progenitae : *Gad*, *Nephtali*, *Dan*. Quae series non sorte videtur esse definita, sed dignitati potius correspondet patrum, ex quibus tribus originem suam duxerunt; sors igitur probabiliter non est missa, nisi ut quaenam regio singulis attribueretur, Deus definiret.

4. Cfr *Serar.* Comment. in Iosue II. Moguntiae 1610 p. 388.

5. *Masius* in Ios. 24,26; cfr etiam *Serar.* l. c. p. 468.

57. — e.) Unus ex recentissimis unitatis libri nostri adversariis rem integram his solis argumentis evincere sibi videtur. Priorem scilicet partem, quae de expugnatione terrae agit, Iahvistae, alteram vero, quae de divisione

agit, Elohistae attribuens monet in priore parte *tribum* « fere semper » (vorherrschend) vocabulo שֵׁבֶט, in altera autem vocabulo מַטֶּה designari, in priore praeter Iosuen aut שֹׁטְרִים רָאשִׁים זְקֵנִים aut soli זְקֵנִים aut soli שֹׁטְרִים velut populi duces nominari, in altera autem parte רָאשֵׁי אָבוֹת, demum in priore parte nunquam Eleazarum commemorari, qui in altera parte una cum Iosue primum locum tenet[1].

Ut ab ultima obiectionis particula initium capiamus, eruditissimus vir non videtur animadvertisse, Eleazari, summi sacerdotis, munus non fuisse, ut bella gereret, eum vero cum Iosua inter illos, qui populo terras distribuerent, primo loco a Moyse esse nominatum (*Num.* 34,27), quare etiam in nostro libro semper primo loco ante ipsum Iosuen nominatur (14,1; 17,4; 19,51; 21,1). Ob diversum quoque primae et secundae partis argumentum זקנים (senes) et שטרים (principes populi), qui a Moyse ad terram distribuendam non erant constituti, in altera parte nominari non potuerunt; sed eorum in loco nominantur ראשי אבות (principes familiarum), quibus procul dubio erat invigilandum, ut suis familiis debita sors assignaretur. Demum vocabula שבט et מטה, etsi utrumque *tribum* significet, tamen non sunt plane synonyma; *Schebet* enim designat *tribum*, quatenus politica quadam unitate et auctoritate gaudet, ideoque etiam in altera libri parte semper adhibetur, quotiescunque tribus integrae velut partes populi, quae suis quaeque gaudent iuribus, considerantur (13,20. 33; 18,2. 4; 21,6 etc.). *Matteh* autem (a rad. נטה, *expandit*) tribum designat, quatenus in varios ramos variasque familias sese dividit, atque secundum hanc suam significationem maxime quidem adhibendum erat in altera parte, in qua de terris inter tribus pro familiarum numero distribuendis agitur, attamen in priore quoque adhibetur, quotiescunque haec tribuum in familias divisio magis respicitur (7,1. 18).

e.) Deuteronomistae manum aliqui in libro nostro deprehendere sibi videntur, quia satis multae allusiones ad Deuteronomium inveniantur, immo nonnulli textus ita cum deuteronomicis consentiant, ut ab eodem auctore aut scripti (*Ios.* 8,30-35; 14,6-15; 22,11-24,28) aut saltem retractati (1,1-9. 16-18; 9,27; 10,12-27) esse videantur[2].

Allusiones ad Deuteronomium, atque ad integrum Pentateuchum, quam plurimas in libro Iosue inveniri tantum abest ut negemus, ut ipsi illis ad mosaicam Pentateuchi originem demonstrandam usi simus (18. D. p. 56). Libentissime igitur auctorem nostrum libros mosaicos cognovisse concedimus, atque illud quoque ultro damus, eum in suo libro scribendo Deuteronomium prae oculis habuisse ex eoque vocabula aut integras sententias desumsisse. At quomodo inde concludi possit, ab eodem auctore utrumque librum esse conscriptum aut retractatum, nos non intelligere fatemur. Si enim conclusio esset legitima, Ieremias, qui ad plurimos antiquos libros frequentissime alludit ex iisque sententias aut similitudines transumit, omnium illorum auctor aut redactor esset dicendus[3].

f.) Nonnullis demum in locis aptum desiderari pericoparum nexum monent adversarii neque hunc libri characterem explicari, nisi opus ex variis fontibus compilatum dicatur[4].

Quo cum iure haec obiiciantur, pauca exempla demonstrabunt. Difficultatem revera et obscuritatem quandam inveniri in narratione de expugnatione civitatis Hai (*Ios.* 8) non ignoramus, eam autem non removeri sed augeri arbitramur, si compilatorem duas vel tres relationes, quae singulae olim erant clarae, ita coniunxisse dicamus, ut tota relatio nunc iam sit obscura; nimis enim ineptum compilatorem fingere cogeremur. Praecipua difficultas, quae in eo cernitur, quod insidiae in occidente urbis positae semel dicantur fuisse triginta millia virorum (8,3) et semel quinque millia (8,12), aptius removetur, si aut cum antiquis interpretibus vel de binis insidiis sermonem esse vel v. 3 integri exercitus numerum et v. 12 insidiarum numerum indicari statuimus, aut cum modernis errorem librariorum in primo numero admittimus; frequenter enim a librariis numeros in omnibus fere V. T. libris esse permutatos constat[5]. Altera difficultas eodem in capite habetur; narratio enim de maledictionibus et benedictionibus prope Sichem promulgatis inepto loco, inter expugnationem Hai et subiectionem Gabaonitarum, dicitur inserta (8,30-35), quia 9,1 intime cohaereat cum 8,29. Antiquissima est haec difficultas; multi versionis alexandrinae codices eam parum apte removere conati sunt transferentes integram pericopen 8,30-35 post 9. 2; neque meliorem locum moderni interpretes nonnulli ei post 11,23 assignant; infelicissimi autem fuerunt pauci antiquiores, qui ut difficultatem solverent ipsos montes Garizin et Hebal ex Sichem in Hai transtulerunt[6]. Cum aliis autem antiquioribus et modernis pericopen aptum locum occupare censemus. Nam 9,1 verba « *Quibus* auditis » ad solarum civitatum Iericho et Hai expugnationem non sunt restringenda, sed extendenda ad illam expeditionem, quam civitate Hai occupata Iosue cum integro populo in mediam terram usque Sichem suscepit. Quod enim ne in hac quidem satis longa et difficili expeditione ullum impedimentum invenissent filii Israel, id reges Chananaeorum impulit, ut foedere coniuncti illos hostes repellere conarentur, quibus singuli resistere non erant ausi; Israelitis autem in castra prope Galgala revertentibus Gabaonitae vicinarum urbium Iericho et Hai sorte impulsi sunt, ut foedus cum Iosue inirent (9,3). Optime igitur pericope cum sequentibus coniungitur, neque minus bene cum praecedentibus cohaeret. Praeceptum enim a Moyse datum (*Deut.* 27,2) Israelitae implere non potuerunt, nisi postquam Iordanem transgressi proximarum civitatum Iericho et Hai subiectione certam et securam sedem castris suis iam elegerunt[7]. Sed duo haec exempla, quae ex difficilioribus elegimus, sufficiunt, ut obiectionem fundamento solido carere appareat, reliqua interpretibus relinquimus, quorum est nexum singularum partium elucidare et vindicare.

1. Cfr *Volck* in Herzog P R E. Ed. 2. 1880. VII. p. 123.
2. Ita praesertim *Bleek Wellhausen* Einleitung, in sua libri analysi p. 126 sqq.
3. Rectissime *Himpel* l. c. p. 396 : « Selbst eine mehr buchstäbliche Benützung jener (deuteronomischen) Stellen würde nur beweisen, dass der Verfasser von Iosua den Inhalt des Deuteronomiums genau kannte und an passender Stelle reproducirte. Wo ähnliche Entlehnungen in prophetischen Schriften sind, wird daraus nur auf die Priorität des einen Propheten, und nicht auf Identität des Verfassers der gleichlautenden Stellen geschlossen ».

4. Cfr *Bleek* l. c.; *Knobel* Num., Deut. u. Iosua. p. 502. etc.

5. Ex antiquioribus interpretibus cfr *Masium* in Ios. 8,3 et *Serar*. l. c. II. p. 167; ex recentioribus *Himpel* l. c. p. 403 sq. Ceterum Masius, quamvis libri nostri inspirationem omnino defendat, explicationi suae sententiam praemittit, quae a modernorum « criticorum » methodo non multum abludit : « Huiuscemodi narrationes, inquit, in sacra historia confuse permixte obscureque sunt expositae, qualis est vel imprimis ea, quae Iudic. 20 habetur huic nostrae quam simillima. Quae narrationum confusio inde, nisi fallor, nata est, quod quum illiusmodi res memorabiles a pluribus sanctissimis viris in sacra illa diaria atque annales, quorum antea facta a nobis mentio est [sed quorum vestigium priscis illis temporibus non habetur], relatae alio atque alio ordine verbisque, uti fit, diversis legerentur, is vero, qui sacram tandem historiam universam in eos quos iam habemus libros divino consilio redegit, enixius laboraret, ne quid eorum, quae a sancta antiquitate in illis diariis annalibusque prodita inveniebat, imprudens omitteret, ipse rem eandem unam non una continente atque aequabili oratione, sed ex diversis confusa permixtaque conscripserit ».

6. Plures et meliores codd. graeci (B. א. A etc.) atque *S. Chrysost.* (Synops. S. Script. M. 56,337) 8,30 sqq. post 9, 2 inserunt, *Origenes* tamen (in Ios. hom. 9,1. 10. M. 12, 870. 878) aliique codices nostrum ordinem tuentur.— Post 11,23 pericopen inserere vult *Espin* (The Speaker's Commentary. p. 43 sq.). *Mercatoris* sententiam, qui montes Garizim et Hebal prope Hai sitos esse existimavit, fuse exponunt et refellunt *Mas*. et *Serar*. ll. cc.

7. De absurda Thalmudistarum sententia, qui Israelitas eodem die, quo Iordanem transgressi sunt, in Garizim maledictiones promulgasse opinati sunt, cfr *Mas*. l. c., qui eodem loco agit de Fl. Iosephi opinione promulgationem illam factam esse a. 5. post ingressum.

§ 11. — *De libri Iosue origine.*

58. — Communi fere Iudaeorum et Christianorum sententia Iosue ipse libri, qui eius nomine inscriptus est, auctor habebatur[1]; at non defuerunt iam inter Patres, qui sententiam hanc negarent atque plerique hodie eam reliquerunt. *Theodoretus* erronea sui codicis lectione permotus est, ut librum ab scriptore recentiore exaratum diceret, atque *Ps. Athanasius* nullo argumento allato titulum ex eo exortum asseruit, quod liber res a Iosue gestas narraret[2]. Postquam saec. 15. *R. Abarbanel* haud pauca in eo inveniri iudicavit, quae iuniorem auctorem proderent[3], multi quidem interpretes catholici eandem viam ingressi Iosuae librum abiudicaverunt, sed cui illum adscriberent non consenserunt. *Tostatus* duabus aliis sententiis, quarum prior scriptorem anonymum Iosuae temporibus aequalem, altera Isaiam opus composuisse docuit, reiectis Samueli illud attribuere maluit, dum anonymus quidam apud Serarium Eleazarum pontificem praetulit[4]; *Masius* autem ipsum Esdram auctorem dixit, qui ex antiquis diariis annalibusque illud compilasset[5]. Inter hodiernos demum interpretes catholicos plerique, quia res post Iosuae mortem gestas commemorari censent, iuniorem quidem auctorem aut saltem redactorem operis esse putant, attamen brevi

post Iosuae aetatem illud in hodiernam suam formam redactum esse tenent[6]. Eiusdem fere sententiae sunt protestantici interpretes illi, qui inspiratum Veteris Testamenti characterem agnoscunt[7]; de rationalistarum opinionibus, qui suis fragmentorum aut complementorum systematis originem nostri libri explicare conantur, iam diximus.

1. Iudaeorum antiquorum sententiam tradit *Thalm.* tr. Baba bathra f. 14. b.; « Iosue scripsit librum suum ». Quae verba repetiit *S. Isidor. Hisp.* de eccl. offic. I. 12 (M. 83,747) : « Iesus Nave edidit librum suum ». Cfr *S. Hieron.* ad Paulin. ep. 53,8 (M. 22,546) : « *Iosue*... per singulas urbes, viculos, montes, flumina, torrentes atque confinia Ecclesiae coelestisque Ierusalem spiritualia regna *describit* ».

2. *Theodoret.* in Ios. qu. 14 (M. 80,473 sq.) legit in suo codice *Ios.* 10,13 : οὐχὶ τοῦτο γέγραπται ἐπὶ τὸ βιβλίον τὸ εὑρεθὲν, quae verba alii codd. graeci aut omittunt aut rectius legunt ἐπὶ βιβλίου τοῦ εὐθοῦς (Vulg. in libro *iustorum*; hebr. עַל־סֵפֶר הַיָּשָׁר); unde ille : (auctor huius libri dixit) « hoc inveniri in antiquo commentario (ἐν τῷ παλαιῷ εὑρεθῆναι). Quare constat ex hoc loco quempiam posterorum hunc librum conscripsisse ex alio libro capta occasione ». *Ps. Athan.* Synops. S. S. 10 (M. 28,309).

3. De R. Abarbanelis sententia cfr *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. I. 8. p. 53.

4. *Alph. Tostat.* in Ios. 1. qu. 13. et in Ios. 7. qu. 9; *Serar.* Iosue I. p. 211.

5. *Mas.* in Ios. Praef.; cfr in 8,28; 10,13 etc.

6. *Herbst-Welte* Einl. II. p. 96; *A. Scholz* Einl. II. p. 245 sqq.; *I. Danko* Historia revelationis. I. p. 200; *Himpel* Tüb. Quartalschr. 1864. p. 448 sqq. etc. — *Kaulen* (Einl. Ed. 3. 1893. p. 210-210) Iosuae quidem auctori librum attribuit, pauca tamen (24,29-33 de eius morte; 15,15-12 de oppidi Debir expugnatione; 18,27 de expeditione Danitarum et glossas quasdam) a iuniore manu inserta arbitratur; cui *Zschokke* (Hist. sacra V. T. p. 163), *Clair* (Le livre de Iosue. 1877. p. 4 sq.) consentiunt. — *Vigouroux* vero (Manuel bibl. II. p. 4), *Schenz* (Einl. 1887. p. 78) aliique totum librum (exceptis 24, 29-33) a Iosue ipso conscriptum tenent.

7. *Koenig* (Alttestam. Studien I. p. 67 sqq.) totum librum Iosuae auctori attribuit; *Keil* (Einl. p. 185) tamen, *Espin* (The Speakers Comm. II. p. 7 sqq.) et *E. Rupprecht* (Des Rätsels Lösg. II. 1. 1896. p. 381 sq.) uni ex Iosuae coaevis eum adscribunt.

59. — In hac sententiarum varietate duo pro certis asserere nobis licet : a.) librum nostrum a viro, qui rerum earum, quas narrat, testis ocularis fuit, ac proin saltem non diu post Iosuae mortem esse conscriptum; b.) nullo *certo* argumento hucusque esse demonstratum Iosuen non esse libri auctorem. Quare nullam adesse rationem arbitramur, cur ab antiqua sententia recedamus, quae Iosuen suum librum (exceptis 24,29-33) scripsisse asseruit.

I. *Librum ante Davidis aetatem scriptum esse certum est.* Etenim a.) secundum *Ios.* 16,10 « usque in diem hanc » i. e. usque ad tempus, quo auctor scripsit, « Chananaeus in Gazer habitabat tributarius », et secundum 15,63 « habitavit Iebusaeus cum filiis Iuda in Ierusalem usque in praesentem diem » i. e. usque ad auctoris aetatem. Atqui iam ante Salomonis aetatem Aegyptii occupaverant Gazer « et Chananaeum, qui habitabat in civitate » interfecerant; David autem 7. anno regni sui in

arce hierosolymitana Iebusaeis erepta thronum suum erexit[1]. Neque vero de paucis Iebusaeis, qui Ierosolymis a Davide expugnatis forte remanserant, libri nostri verba licet explicare, quippe quibus auctor noster de populis uti soleat, qui aequis inter se iuribus secundum suas quisque leges terram aliquam simul inhabitant (17,12. 13). b.) Ex 13, 6 et 19,29 apparet, « Sidonem magnam » eo tempore, quo scriptus est liber, principatum Phoeniciae tenuisse, atque priore in loco Sidonii inter populos delendos enumerantur. Atqui Davidis Salomonisque aetate Tyrus Phoenicum principatum tenuit; David autem filiusque eius tantum abest, ut de delendis Phoenicibus cogitaverint, ut cum Tyriorum rege Hiram amicitiae foedus inierint[2]. c.) Inter civitates, quae tribui Iuda attribuuntur, non enumeratur « Ephrata, quae alio nomine vocatur Bethlehem »; iam vero, si Davidis tempore liber esset scriptus vel illa aetate esset recentior, patria regiae familiae non esset omissa; aliae enim recensentur civitates, quae certe non erant maiores[3]. d.) Addi id quoque potest, quod Gabaonitae addicantur ministerio altaris « in loco quem Deus sit electurus » (9,27); Davidis autem aetate arca in montem Sion translata locus ille iam erat electus.

II. — *A viro librum conscriptum esse, qui rebus narratis praesens adfuerit, aeque certum est.* Id enim integra libri indoles testatur, sive modus, quo traduntur res, sive ipsa lingua in considerationem veniunt.

a.) In altera eius parte, quae geographica fere est, territoria singulis tribubus addicta eo modo describuntur, qui auctori universam terram nondum accurate cognitam fuisse demonstrat, neque inepte nonnulli monent totum librum videri exaratum a viro, qui nuper in Palaestinam advenerit. Profecto si quis ex. gr. Davidis aetate, postquam Palaestina aliquot saeculis iam in quieta Israelitarum possessione fuerat totaque proinde innotuerat, tribuum territoria descripsisset, aequali modo omnia tractasset atque singulorum indicasset fines et oppida praecipua. Verum longe aliter procedit auctor noster, nec eadem est eius in omnibus describendis accurata scientia. Aliorum enim (*Iuda* c. 15; *Beniamin* c. 18 etc.) fines et oppida tanta cum diligentia enumerat, ut optime illa cognovisse videatur; aliorum (*Ephraim* 16, 5 sqq., *Zabulon* 19,10 sqq. etc.) solos terminos indicat, atque ne illos quidem semper accurate; aliorum (*Issachar* 19,17 sqq., *Nephthali* 19, 32 sqq. etc.) praeter fines etiam nonnulla oppida nominat. Quae inaequalis descriptio statui rerum, qui Iosuae aetate fuit, optime respondet. Iuda partem suam meridionalem statim occupaverat hostesque fere omnes e finibus suis eiecerat; Ephraim autem et Manasse integras suas sortes occupare a Chananaeis impediti erant (17,16); aliae quoque tribus aliis magis minusve in debellandis hostibus suis profecerant atque

maiorem minoremve civitatum suarum numerum expugnaverant. Unde elucet versus finem vitae Iosuae aut brevi post eius mortem descriptionem accuratiorem, quam habemus, dari non potuisse[4]. Quapropter vel ipsi rationalistae plerique, quamvis librum a iuniore scriptore compilatum esse censeant, eum in hac descriptione antiquiore fonte usum esse concedere coguntur.

b.) Neque minus prior pars historica auctorem coaevum prodit. Transitus enim per Iordanem, expugnationis urbis Iericho, victoriae de quinque regibus amorrhaeis reportatae aliarumque rerum gestarum narrationes tam perspicuae sunt et dilucidae, ut eas a teste oculari esse literis mandatas vix liceat dubitare; simili modo etiam colloquia non pauca ita referuntur, ut ipse illis interesse tibi videaris[5]. Accedit autem, quod auctor, qui de Israelitis semper tertia persona loquitur, alicubi quasi sui oblitus primam personam adhibeat : « Postquam, inquit, audierunt omnes reges Amorrhaeorum... quod siccasset Dominus fluenta Iordanis coram filiis Israel, donec trans*iremus* »; se ipse igitur illis accenset, qui flumen transierant. Atque iterum de illis loquens, qui ob murmurationem suam in deserto perierant, eos non vidisse terram dicit, « quam iuravit Dominus patribus eorum, se daturum esse *nobis* »[6]. Praeterea *Rahab* in medio Israel usque « ad praesentem diem » *habitare* et *Caleb* « usque ad praesentem diem » Hebronem possidere dicuntur; quae verba Rahab et Caleb eo tempore, quo scriptus est liber, in vivis egisse supponunt[7]. Atque ipsa illa comparatio : « Urbs magna erat Gabaon *sicut una civitatum regalium* » testem aequalem indicat, qui cum aliis civitatibus regalibus regum Chananitarum Gabaon comparare potuit; recentiore autem aetate praeter Ierosolyma vel Samariam civitas regalis in Palaestina non exstitit[8].

c.) Sermonis demum linguaeque puritas atque cum pentateuchica similitudo tanta est, ut nonnulli rationalistae librum nostrum iisdem auctoribus, a quibus Pentateuchum compositum esse volunt, attribuere non dubitent[9]. Id quidem immerito fieri docent archaismi, quibus libri mosaici ab omnibus aliis distinguuntur; at iure ex hac similitudine et sermonis puritate ad auctorem concludimus, qui aetati mosaicae vicinus fuit.

1. Cfr 3 *Reg.* 9,16; 2 *Reg.* 5,5 sqq.

2. 2 *Reg.* 5,11; 3 *Reg.* 5,15 etc. Sidonem (« primogenitum Chanaan » *Gen.* 10,15) antiquissimis temporibus ita praevaluisse inter Phoenicum civitates, ut apud Hebraeos non minus quam apud Graecos nomine Sidoniorum omnes Phoenices designarentur, certis documentis constat. Sed saeculo 12. Sidon a rege philisthaeo Ascalonis occupabatur ab eoque tempore Tyrus principatum obtinuit seseque « matrem Sidoniorum » nuncupavit.

3. Neve obiiciatur Bethlehem eo tempore nondum exstitisse, nam « Ephrata, haec

est Bethlehem », iam *Gen.* 35,16 sqq. et 48,7 nominatur. Atque auctor noster, qui tot antiqua nomina explicat (Cariath Arba = Hebron 14,15; Cariath Sepher = Dabir 15,16; « Cariath Senna i. e. Dabir » 15,49; « Cariathbaal, haec est Cariathiarim » 15,60 etc.), Ephratam omittere non potuit, si sub novo suo nomine Bethlehem iam celebritatem acquisivisset. Ceterum argumentum hoc omittendum est, si *Ios.* 15,59 lectio alexandrina praefertur, quae post « *Eltecon; civitates sex et villae earum* » alias undecim civitates, inter quas etiam *Ephrata, quae est Bethlehem* inserit.

4. Recte *Espin* l. c. p. 8 « The very anomalies of the writer's most valuable description of Palestina, inconvenient as they often are, seem thus to be attributable of the early date of his information. His documents were written whilst Israel was still a stranger in the land of his inheritance, and in parts of it still a foreign invader ».

5. Cfr *Ios.* 11,6 sqq.; 15,8 sq.; 17,14 sqq.; 22,15 sqq. etc.

6. *Ios.* 5,1 (text. hebr. *Kethib*); 5,6 (text. hebr.). S. Hier. membrum hoc omisit; Alex. pro prima persona posuit tertiam, sicut etiam 5,1 cum Vulg. lectionem *Qeri* (donec transirent) praetulit.

7. *Ios.* 6,25; 14,14. Nomine Rahab et Caleb improprie quidem eorum posteri designari possunt; at non tantum nulla est ratio, cur a proprio sensu recedamus, sed textus hebraicus *Ios.* 6,25 adhibito feminino וַתֵּשֶׁב (« et habitavit *ipsa* ») non potest de domo Rahabae (בית enim est masculinum) adhiberi. Praeterea scriptor hebraicus nunquam loquitur de *familia mulieris*, sed de *domo patris mulieris* (*Ios.* 2,12).

8. *Ios.* 10,2. S. Hieronymus vertit : « *et* una civitatum regalium »; ex tota autem narratione constat, Gabaonem non habuisse regem.

9. Cfr *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 37 : « Wir haben oben mehrerlei gefunden, was eine deutliche Beziehung namentlich auf das Deuteronomium darbietet und daher vor diesem nicht geschrieben sein kann. *Was aber der Art ist, hat zugleich in der Schreibart und in seinem ganzen Character eine solche Verwandtschaft mit dem Deut., dass wir dadurch zu der Annahme veranlasst werden, dass es das Werk desselben Verfassers ist* »; similia penes *De Wette Schrader* p. 304 sqq.

60. — III. *Traditio, quae Iosuae auctori librum nostrum attribuit, ipsa operis indole confirmari videtur.* Evidens quidem est, ultimos versus, quibus eius mors narratur, ab eo non esse conscriptos, atque probabile est, a iuniore manu glossas quasdam textui esse insertas [1]; reliquum autem librum nemini aptius, quam Iosuae, Moysis fideli socio et amico, adscribi, hisce argumentis tuemur.

a.) Frequentissimis allusionibus ad Pentateuchum liber Iosue abundat. Ad Moysen enim eiusque praeceptum referuntur, quaecunque sive in terrae promissae expugnatione et distributione, sive in Chananaeorum exterminatione, sive in oppidorum refugii et levitarum assignatione etc. fiunt [2]. Ultima Iosue concio totius Pentateuchi epitome quaedam est, atque « *volumen Legis* » ipsum frequenter commemoratur [3]. Quae Moyses de exstruendo altari in monte Hebal deque benedictionibus et maledictionibus promulgandis praeceperat, ea opere completa esse similibus verbis refert noster auctor; septem Chananaeorum populos saepius eadem serie, qua Moyses, enumerat; ut idola auferant, Israelitas exhortatur verbis Iacobi usus; tres tribus transiordanicas Moysis verbis

alloquitur[4] etc. etc. Uno verbo inter V. T. auctores nullum invenimus, qui aequalem prodat Pentateuchi scientiam, neque ullum, qui mosaicorum verborum frequentius recordetur; immo tam vivida auctori nostro est imago magni legislatoris, ut eius nomen continuo in ore gerat; in libello nostro parvulo plus quinquagies Moyses nominatur. Iam vero haec omnia satis, ni fallor, docent auctorem Moysi fuisse perfamiliarem; quis autem Moysis familiaritate intimaque consuetudine magis fruitus est, quam Iosue, qui per quadraginta annos fidelis eius minister erat[5].

b.) Alterum argumentum ex *Ios.* 24,26 desumimus: « scripsit (Iosue) *omnia verba haec* in volumine Legis Domini ». Plerique quidem interpretes moderni locutionem « *omnia verba haec* » de sola foederis renovatione illo in loco narrata intelligendam esse asserunt, assertum vero idoneis argumentis non probant, nec quidquam obstat, quominus ea de universo libro intelligamus, sicuti similem locutionem de toto Pentateucho intelligendam esse demonstravimus (15. p. 42 sqq.). Procul dubio renovatio foederis digna erat, quae in eodem libro cum prima foederis institutione scriberetur. Attamen si Moyses in « volumine Legis » promissiones de terra filiis Israel danda consignaverat, eidem volumini aliud adiungi decebat, in quo promissionum impletio narrabatur; quumque singulis tribubus territoria essent assignata eorumque fines determinati, sollemne hoc factum, quo filiorum Israel respublica tandem completa est, in libro, qui publica gaudebat auctoritate, conscribi oportebat. Quis vero illis conscribendis aptior erat, quam Iosue, cuius ministerio Deus promissiones suas impleverat et reipublicae israeliticae certas stabilesque sedes assignaverat? Quapropter omnia videntur suadere, ut locutio *omnia verba haec* de toto libro Iosue intelligatur; haud inepte igitur hic auctori suo ipse testimonium ferre asseritur.

c.) Neque parvi momenti est, quod Siracides Iosuen appellat διάδοχον Μωυσῆ ἐν προφητείαις[6]; προφητεῖαι autem in Prologo Ecclesiastici *libri prophetarum* vocantur. Summo igitur nostro iure asserimus, inspiratum Ecclesiastici auctorem ipsi Iosuae auctori librum nostrum attribuisse. Aptiorem enim sensum verba illa praebere, si de libro per ipsum scripto, quam si de rebus per ipsum gestis, intelligantur, quis negaverit?

1. Eo facilius glossas nostro libro insertas esse concedimus, quo certius constat textum libri non omnino purum et integrum nobis esse transmissum. Quam plurimis enim in locis versio alexandrina a textu hebr. et vulg. dissentit, atque ita quidem, ut aliis in locis nonnulla a iuniore manu recepisse (ex. gr. 16,10), in aliis genuinam lectionem conservasse videatur (ex. gr. 15,59). Ceterum quin etiam ex hebr. et vulg. textu hodierno nonnulla exciderint, alia eis sint addita, non est dubium; etenim auc-

tor civitatibus, quae tribui alicui assignatae sunt, nominatis integrum earum numerum addere solet; at enumerationibus aliquoties summae indicatae non conficiuntur. Ex. gr. 19,15. 30 etc. summa indicatur minor, 15,32 autem maior, quam nominum additio efficit.

2. *Ios.* 1,3; 9,24; 11,23. — 1,13. 17; 4,12; 12,6; 13,15. 24. 29. 33 etc. — 11,12. 15.—20,2; 21,2. 8.

3. *Ios.* 24,2-10.— 1,8; 8,31. 32. 34; 23,6.

4. *Ios.* 8,30 sqq. et *Deut.* 27,5 sqq.— *Ios.* 3,10; 9,1; 11,3; 12,8 et *Exod.* 3,8; 23,23; 34,11 etc. — *Ios.* 24,23 et *Gen.* 35,2. — *Ios.* 1,13 sqq. et *Deut* 3,18 sqq.

5. Cfr *Smith* The Pentateuch. p. 143 : « The very literature of the book of Ioshua is so deeply tinged with the ideas and language of the Pentateuch, that our adversaries freely admit it with ourselves. But, instead of drawing the natural conclusion that Ioshua imitated and copied Moses, they exaggerate in some respects the ressemblance, in order to show that the same author was engaged in compiling one and the other... The only rational course is to acknowledge, in these ressemblances, imitations of the law-book, which, from the constant study of it enjoined upon all, must have been quite familiar to Ioshua and his contemporaries ».

6. *Eccli.* 46,1. Vulgata nostra quidem legit : *successor Moysi in prophetis*, at nisi latinum vocabulum *prophetae* explicetur *liber propheticus*, lectio graeca omnino est praeferenda.

61. — Argumentis allatis per se solis, utpote mere internis, Iosuam libri auctorem non demonstrari facile concedimus; eum solum in finem ea attulimus, ut antiquam traditionem de Iosua auctore confirmaremus. Iam vero magnam eis inesse confirmandi vim clarius apparebit, si momenta illa examini subiecerimus, quibus alii traditionem impugnare conantur. Satis enim levia pleraque, nonnulla levissima sunt.

1. Primo loco adversarii frequentem usum formulae « *usque ad hodiernam diem* » in medium afferre solent, quippe qua sola iam demonstretur recentior libri origo [1].

Quid vero de hoc dicendi modo, quem frequentem in nostro libro occurrere non diffitemur [2], sentiendum sit, in Pentateuchi authentia vindicanda iam diximus [3]; in nostro autem libro verba illa ita semper adhibentur, ut ipsi Iosuae aptissime attribuantur, si versus finem vitae, id quod ultima duo capita satis aperte innuunt, opus exarasse dicatur. Namque id iam notatu est dignum, quod formula illa, exceptis Iosuae ipsius orationibus in fine libri relatis, in quibus eam nemo vituperare ausus est (22,3. 17; 23,8. 9.), non nisi in sedecim prioribus capitibus legatur, in quibus res primis Iosuae annis gestae narrantur. Iam vero usque ad Iosuae mortem a transitu Iordanis circiter triginta, et ab initio distributionis terrae plus viginti anni effluxerunt [4]. Quibus perpensis tota difficultas prorsus evanescit. Etenim nonnulla ex eis, de quibus formula adhibetur, ad primum annum post ingressum in terram pertinent; nec quisquam mirabitur, quod triginta fere annis postea Iosue cum aliqua admiratione dixerit, « usque ad hodiernam diem » lapides in flumine rapido positos (4,9) et acervos lapidum super cadavera Achan (7,26), regis Hai (8,29), quinque regum Chananaeorum

(10,27) collectos remansisse. Neque minus apte versus finem vitae affirmavit Iosue ipse, « usque in praesentem diem » prima castra in terra cisiordanica posita ob populi circumcisionem factam Gilgal (5,9) et vallem, in qua lapidatus est Achan, Achior (7,26) vocari. Eodem quoque cum iure, quo alius quicunque ante Davidem, Iosue brevi ante mortem suam asserere potuit, « usque ad hodiernam diem » Gabaonitas in ministerio esse altaris (9,27), Gessuritas in medio Israel (13,13), Iebusaeum cum filiis Israel in Ierusalem (15,63), Chananaeum in Gazer (16,10) habitare. Demum quod « usque ad praesentem diem » *Rahab* in medio Israel habitare (6,25) et *Caleb* Hebronem possidere dicantur, nobis argumentum fuit, quo libri antiquitatem demonstravimus (59. II. p. 190).

2. Obiectio ex citatione « *libri iustorum* » (ספר הישר) desumta (10,13) levior est, quam quae refutari mereatur. Liber enim iustorum, qui etiam 2 *Reg.* 1,18 allegatur, aeque ac « liber bellorum Domini » (*Num.* 21,14) carminum militarium videtur fuisse collectio, quae ut fieri solet decursu temporis post nova bella gesta et novas victorias partas novis carminibus triumphalibus aucta est. Quare si proelium illud decretorium, in quo Deus maximo miraculo, diei prolongatione, populum suum adiuvit, immediate postea carmine celebratum est, Iosue profecto post triginta fere annos illud etiam e libro scripto allegare potuit. Neque commemoratione est dignum, quod eodem in loco « *nec antea nec postea* » diem tam longam fuisse asserat auctor (10,14). Ut enim taceamus, illud וְאַחֲרָיו (*et postea*) forte nihil esse nisi glossam, quam assonantia seductus iunior manus praecedenti לְפָנָיו (*antea*) addiderit, non videmus, cur Iosue ipse, qui et in deserto cum Moyse degens et postea dux Israelitarum in proeliis contra Chananaeos testis fuerat tot miraculorum, verba ista non scripserit.

1. Cfr *Bleek-Wellhausen* Einleitung p. 137; *de Wette Schrader* Einleitung. p. 305 sq. etc.

2. *Ios.* 4,9; 5,9; 6,25; 7,26 (bis); 8,29; 9,27; 10,27; 13,13; 14,14; 15,63; 16,10. — 22,3. 17; 23,8. 9.

3. Cfr *supra* 24. 2. a. p. 84.

4. Iosue mortuus est senex centum decem annorum (*Ios.* 24,29). Quadraginta quinque annis, antequam Iosue terram distribuere coepit, Moses Calebo Hebronem promiserat (*Ios.* 14,10). Promissio autem facta est secundo anno post exitum ex Aegypto (Num. 2,33), quo tempore ipse Caleb quadraginta annorum erat (*Ios.* 14,7). Unde habemus an. 7. fere post transgressum Iordanem Iosuen terram dividere incepisse. Iosue vero aequalis fuit Calebi aut forte eo iunior, ita ut post inceptam divisionem circiter viginti tres annos vixerit. Secundum *Clem. Alex.* (Strom. I. 21. M. 8, 836) et *Theoph. Antioch.* (ad Autol. III. 24. M. 6,1157) ab incepta divisione usque ad Iosuae mortem effluxerunt viginti septem anni, secundum quosdam apud *Euseb.* (Praep. Evang. X. 21. M. 21,837) triginta anni; *Eusebius* ipse (Chron. M. 19,383) integro principatui Iosuae viginti septem annos attribuit, cui fere consentit *Fl. Ioseph.* (Antiq. V. 1, 29) viginti quinque annis ei attributis. At minores quoque hi numeri plane sufficiunt formulae explicandae.

3. Explicatu aliquantum difficilius est, quod 11,21 de *monte Iuda* et de

monte Israel sermo est; quae denominationes exoriri non potuisse dicuntur, antequam Roboamo Salomonis filio regnante decem tribus a domo David desciverunt et regnum Israel fundaverunt. Verum quamvis eo dumtaxat tempore duorum *regnorum Iuda et Israel* separatio completa sit, oppositio tamen quaedam inter tribum Iuda et inter reliquas tribus, quae communi nomine Israel vocabantur, iam diu antea exstitit. Tempore enim Davidis certissime adfuit, sub cuius regni initiis populus Iuda a populo Israel distinguitur; immo primis annis Saulis eandem distinctionem iam invenimus[5]. Tempore Iudicum in bello contra Beniaminitas « Iuda » erat dux « filiorum Israel », ut etiam post Iosuae mortem consulentibus « filiis Israel », quis eorum futurus esset dux in bello contra Chananaeum, a Domino responsum est : « Iudas ascendet; ecce tradidi terram in manus eius »[6]. Quibus textibus satis constat, diu ante regnorum Iuda et Israel scissionem tribum Iuda ita prae ceteris tribubus praevaluisse, ut a reliquis « filiis Israel » distingueretur. Revera Iudae a Iacobo moriente illud primogeniturae ius attributum est, ut « cum adorarent filii patris eius » (*Gen.* 49,8), i. e. ut reliquarum tribuum hegemoniam teneret. Propter quod primogeniturae ius etiam in divisione terrae primam sortem obtinuit eamque statim occupavit reliquis tribubus prope Galgala remanentibns (*Ios.* 15). Altera sors cecidit tribubus Ephraim et Manasse, quae occupaverunt partem septentrionalem et cum quibus reliquas tribus i. e. « filios Israel » invenimus in Silo (18,1). Ita iam Iosuae tempore populus Israel in duas quasi partes erat divisus : regionem meridionalem tenuit Iuda, regionem septentrionalem Ephraim et Manasse, cum quibus reliquae tribus erant congregatae; cui numerosiori parte nomen « filiorum Israel » remanebat. Utrorumque autem sortes separabat illud territorium, quod postea tribui Beniamin addictum est. Optime igitur illa iam aetate duo illa nomina « mons Iuda » et « mons Israel » exoriri potuerunt et revera exorta sunt.

Multo minoris momenti est, quod *Ierusalem* (10,1. 3. etc.) nominetur; adversariis enim non asserendum dumtaxat, sed etiam demonstrandum est, nomen illud davidico tempore esse exortum[7]. Certum autem est Iersusalem esse antiquam Salem in Abrahami historia commemoratam[8] quae in epistolis nuper in Tell el Amarna repertis iam Ierusalem (Uruschalim) vocatur. A Iebusaeis, qui illam occuparant, postea Iebus est appellata, sed antiquius nomen eius revixit, quando tribus Iuda inferiorem civitatem expugnavit, licet nomen Iebus ad arcem designandam perduraverit, usque dum David eam Iebusaeis eriperet et arcam foederis in Sion transportaret.

5. 2 *Reg.* 19,41; cfr 2,9. 17. 28. — 1 *Reg.* 11,8; 15,14.

6. *Iudic.* 20,18. 19; 1,1. 2.

7. *Muehlau* (in Riehm's Handwörterb. d. bibl. Alterth. p. 678) : « Ierusalem... ein Name, welcher erst seit der davidisch-salom. Zeit üblich geworden sein kann ».

8. *Gen.* 14,18; cfr Ps. 75 (76), 2 text. hebr. : « Factum est in *Salem* tentorium eius, et habitatio eius in *Sion* ». *Fl. Ioseph.* Antiqu. I. 10,2. « Solymam (Salem) postea vocarunt Hierosolymam. »

62. — 1. Reliquae sunt duae obiectiones, quibus permoti catholici quoque

interpretes nonnulli librum nostrum Iosuae abiudicarunt aut saltem pericopas quasdam a iuniore manu libro insertas statuerunt. Quae enim *Ios.* 15, 13-19 de occupatione urbis Hebron per Caleb et urbis Dabir per Othniel narrantur, eadem *Iudic.* 1,8-16 ita proponuntur, ut post Iosuae mortem accidisse videantur, atque Danitarum quoque expeditio contra Lesem, quae *Ios.* 19,47 indicatur, secundum *Iudic.* 18,1-31 post Iosuae mortem facta est[1]. Difficultatem quandam in hac duplici earundem rerum gestarum commemoratione inesse fatemur, at eas post Iosuae mortem accidisse non arbitramur.

a.) Etenim Danitarum expeditio in libro Iudicum multo fusius quidem refertur, at nullibi Iosuae morte recentior fuisse aut dicitur aut innuitur. Unica temporis indicatio est, « in diebus illis non fuisse regem in Israel » (*Iudic.* 18,1), quae in Iosuae non minus quam in Iudicum aetatem quadrat. Ipso autem loco, quem in libro Iudicum occupat, clare apparet narrationem non ex ordine chronologico esse dispositam nec rerum a Iudicibus gestarum seriei chronologice esse insertam. Neque enim post Samsonem Danitas oppidum Lesem occupasse, quamvis expeditio post eius mortem narretur, evidens est *Iudic.* 13,25 et 18,12 comparanti. Revera, ut infra videbimus, inde a 17,1 liber Iudicum duas exhibet appendices, quibus argumentum non continuatur, sed priorum rerum gestarum narratione completur. Id quidem mirum videtur, quod Iosuae aetate is iam legum omnium despectus invaluerit, quem narratio illa libri Iudicum supponit, ut non tantum a privatis nonnullis, sed ab integra quoque tribu idololatria exerceretur. At Iosue « senex erat provectaeque aetatis », quando terram inter filios Israel distribuere coepit (*Ios.* 13,1); viginti autem illis annis, quos post inceptam divisionem vixit, deficiente forti firmoque imperio res facile eo pervenire potuerunt, ut « unusquisque faceret, quod sibi rectum videretur » (*Iudic.* 17,6), atque hunc strenui imperii defectum auctor libri Iudicum exprimit verbis illis « non erat rex in Israel » (17,6; 18,1). Brevi ante Iosuae mortem Israelitas multos sese idololatriae dedisse, ultima eius concio docet (*Ios.* 24,23), atque Danitas, qui in extremo septemtrione idolum suum coluerunt, etsi forte illa concione etiam ad meliorem frugem revocati sint, in terram suam reversos in pristinum peccatum esse relapsos supponere licet. Quapropter nihil omnino obstat, quominus Danitas, quum territorium in australi Palaestinae parte sibi assignatum integrum occupare ab Amorrhaeis essent impediti, iam ante Iosuae mortem in parte septemtrionali sibi novas sedes quaesivisse dicamus.

b.) In altera narratione duo auctores ad verbum fere consonant; quare id unum inquirendum est, uter utrius relationem in suum opus transumsisse rectius dicatur. Ad quam quaestionem solvendam adnota haec : α.) Difficillime, opinor, aliquis sibi persuadebit, Calebum, qui senex octoginta quinque annorum a. 7. post ingressum in Palaestinam territorium Hebron sibi a Moyse promissum a Iosua magno cum ardore expetiit et obtinuit (*Ios.* 14, 6-13), eius expugnationem et occupationem plus quam viginti annis usque post Iosuae mortem distulisse. Atque vix quoque quisquam crediderit, Calebum belli ducem peritum hostibus, qui prima Iosuae incursione devicti et eiecti (10,3 sqq. 23 sqq. 36 sq.) postea, quum Israelitarum copiae in debel-

landis Chananaeis septemtrionalibus essent occupatae, in pristinas sedes erant reversi, tantum tempus concedere voluisse, quo novas vires acquirerent. Rerum igitur statu considerato dubitationi vix est locus, quin Caleb territorium sibi attributum statim expugnare coeperit. — β.) Revera Iosue diu ante mortem suam Hebronem voluit esse oppidum refugii (20,7) primamque inter civitates sacerdotales (21,10). Numquid Iosuen dicemus civitatem, quae in hostium potestate erat, fugitivis assignasse, qui iram ultoris sanguinis evadere volebant? Quemadmodum Moyses in terra transiordanica Bosor, Ramoth et Golan civitates refugii constituit, postquam illas subiecerat (*Deut.* 4,41 sqq.), ita profecto Iosue, quum in terra cisiordanica urbes refugii eligere a Deo ipso iussus esset (*Ios.* 20,1), oppida nondum subiecta eligere non potuisset, nisi fugitivis irridere voluisset. Recte igitur statuere nobis videmur, dudum ante Iosuae mortem Calebum territorium suum occupasse, nec quidquam obstare, quominus Iosue expugnationem Hebronis narraret, atque postea auctor libri Iudicum narrationem suam ex eius opere desumeret. — γ.) Atque ita rem sese habere, contextus libri Iudicum videtur suadere. Namque *Iudic.* 1,7 filii Iuda regem Adonibesec devictum Ierosolyma duxisse dicuntur, id quod omnino supponit, Ierusalem eo tempore in eorum potestate fuisse. Quapropter si *Iudic.* 1,8 de expugnatione Ierusalem sermo est, verba haec non de nova quadam occupatione intelligere licet, sed de anteriore, quae *Ios.* 15,63 supponitur, intelligantur necesse est[2]. Auctor autem libri Iudicum illa, quae 1,8 sqq. leguntur, eum solum in finem attulit, ut explicaret, quomodo filii Iuda regem devictum Ierosolyma deducere potuissent. *Iudic.* 1,8 igitur vertatur oportet: « Oppugna*verant enim* filii Iuda Ierusalem eamque cep*erant* », neque nisi 1,17 auctor ad novam, quam 1,7 narrare inchoarat, expeditionem revertitur. Cui explicationi non obstare grammaticam hebraicam, multa exempla docent (*Gen.* 26,12. 18 etc.); neque quidquam admirationis habet, quod auctor multo plura adiungat, quam explicatio per se postulaverat; is enim est orientalium scriptorum mos[3].

c.) Multo minore cum iure alii monent, *Ios.* 13,2-5 (cfr *Iudic.* 3,3), 16,10 (*Iudic.* 1,29), 17,11-13 (*Iudic.* 1,27. 28) illum rerum statum supponi, qui mortuo Iosua sit exortus[4]. Nam postquam a Iosua senescente Palaestina inter singulas tribus est divisa, filii Israel bellum fortiter coeptum eodem cum ardore non continuaverunt, sed primis suis successibus contenti Chananaeos prima incursione non plane devictos reliquerunt. Itaque rerum ille status, qui mox post territoriorum divisionem exortus est, etiam Iosua mortuo perduravit; auctor autem libri Iudicum, ut narratio sua melius intelligeretur, eum lectoribus suis in memoriam revocavit. Quam parum vero liber Iosue, id quod nonnulli asserunt, a libro Iudicum dependeat, ex primo textu obiecto clarissime elucet; *Iudic.* 3,3 enim non intelligitur, nisi longiore expositione *Ios.* 13,2-5 cognita. In secundo textu (*Ios.* 16,10) Chananaeus, qui in Gazer habitabat, Israelitis *tributarius* fuisse dicitur « usque in diem hanc », qua sc. scriptus est liber; quia vero auctor *Iudic.* 1,29 hanc circumstantiam omittit, longa desidie Israelitarum ultimis Iosuae diebus rerum status deterior videtur factus. Atque idem quoque insinuat tertius textus (*Iudic.* 1,27. 28; *Ios.* 17,11-13), siquidem in libro

Iosue plures, quam in libro Iudicum, enumerantur civitates, quarum incolas Manasse sibi tributarios fecerat. Ceterum si quis contenderit, *Ios.* 17,13 esse glossam a iuniore manu insertam, id probabilitate non carere concedemus.

1. *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 212), *Clair* (Le livre de Iosue. p. 5), *Zschokke* (Hist. V. T p. 163) aliique censent, pericopas has libro per iuniorem scriptorem esse insertas; — *Keil* (Einl. p. 185 et Comment. p. 6), *Espin* (The Speaker's Commentary II. p. 9) aliique ex illis concludunt, librum nostrum post Iosuae mortem esse conscriptum.

2. Cave, ne *Ios.* 15,63 et *Iudic.* 1,21 de eodem tempore eodemque rerum statu agere putes; nam *Ios.* 15,63 de eo tempore loquitur, quo tribus Iuda, cui prima sors est attributa, partem meridionalem Palaestinae occupare coeperat Ierusalemque expugnaverat, *antequam* reliquis tribubus territoria erant assignata (etenim « habitavit Iebusaeus *cum filiis* IUDA in Ierusalem usque ad praesentem diem »). At *Iudic.* 1,21 agit de recentiore tempore illo, quo divisione terminata tribus Beniamin Ierusalem obtinuerat (*Ios.* 18,24), ideoque dicitur « Iebusaeus *cum filiis* BENIAMIN habitasse in Ierusalem usque ad praesentem diem ». Parum autem verisimile est, quod censet *Bonfr.* cum aliis, partem civitatis Ierusalem ad tribum Iuda, partem ad tribum Beniamin pertinuisse, aut, quod alii volunt, nonnullos ex tribu Iuda in civitate finitima Ierusalem consedisse. — Satis multi quidem interpretes, inde a S. Aug. tempore, *Ios.* 15,13-19 proleptice esse insertum statuunt (*S. Aug.*, *Rhab.*, *Rup. Tuit.*, *Serar.*, *Bonfrer.* etc.), quia *Iudic.* 1,4-18 unam continuam expeditionem narrari putant; at parum recte, nisi omnia nos fallunt. Dicuntur quidem bellici eventus a septemtrione ad meridiem describi : Bezec, Ierusalem, Hebron, Dabir etc. At adnotes velim, Iudam Simeoni fratri suo dixisse : « Ascende mecum in *sortem meam* » eosque ascendisse in Bezec (*Iudic.* 1,3. 4); hinc elucere arbitramur, *Bezec*, de quo sermo est, non esse civitatem illam, quae in septemtrionali parte Palaestinae, *in tribu Manasse*, sita erat, sed alteram nobis hodie incognitam, quae ad meridiem civitatis Ierusalem erat sita. Neque ad sortem Iuda pertinebat ipsa Ierusalem, ut non appareat ratio, cur tribus Iuda et Simeon illam expugnare voluerint. Longe probabiliorem igitur equidem censeo explicationem supra propositam.

3. Egregie hanc quaestionem tractat *Smith* The Pentateuch p. 109 sqq.; cfr etiam *Vigouroux* Manuel II. p. 6 etc.

4. *Keil* l. c. p. 185, qui tamen ipse fatetur (p. 186) magnam persuadendi vim hisce textibus non inesse.

63. — Interrogant nonnulli, cur Samaritani, qui Pentateuchum eadem qua Iudaei veneratione prosequuntur, librum nostrum non receperint, si revera a Iosua sit conscriptus. Huetium secutus respondet *Goldhagen*, Samaritanorum religionem fidemque ab antiqua religione Israelitarum, quorum terras post Samariae eversionem occupaverant, prorsus fuisse diversam; illos enim patriam impietatem et nefarium suorum deorum cultum ceremoniis mosaicis ita adiunxisse, ut ab utrisque simul deficerent (4 *Reg.* 17,33 sqq.); quapropter non esse mirum, quod solo Pentateucho contenti alios libros sacros Israelitarum neglexerint[1]. Quo effugio non indigemus, siquidem Samaritanos librum quendam Iosuae pro sacro venerari constat, ac proin eorum hac in re cum Iudaeis consensu confirmatur nostra sententia de libri nostri

antiquitate; eo enim tempore, quo Samaritani Pentateuchum acceperunt, liber Iosue apud Israelitas summa iam in veneratione fuit [2]. *Samaritanorum liber Iosue* quidem a canonico nostro multum differt, at dubium non est, quin ex nostro sit exortus. Hodie exstat arabica lingua sed samaritanis literis conscriptus. Textus editus [3] ab illis incipit, quae *Num.* 22-32 de expugnatione regionis transiordanicae narrantur, a quibus transit ad regionis cisiordanicae expugnationem et divisionem, qua in narratione nostrum librum sequitur fabellis nonnullis insertis. A iuniore scriptore demum addita sunt chronica quaedam, quae Samaritanorum historiam multis fabulis ornatam usque ad Alexandri Severi aetatem perducunt, unde integro libro *Chronici samaritani* titulus inditus est.

1. *Huetii* Demonst. evang. Prop. IV. De l. Iosue 12 (Ed. Venet. 1765. p. 205); *Goldhagen* Introd. II. p. 79.

2. De tempore, quo Samaritani Pentateuchum receperunt, egimus in *Introd. gener.* Ed. 2. 1894. p. 266 sqq.

3. *Chronicon samaritanum* arabice conscriptum, cui titulus est l. Iosue, edid. W. I. Juynboll. Lugd. Batav. 1848.

§ 12. — *De libri Iosue auctoritate.*

64. — Quaenam sit libri nostri *auctoritas historica*, fere otiosum videtur interrogare, postquam eius authentiam demonstravimus. Iosuen enim, quem eius auctorem esse ostendimus, rerum omnium, quas aut ipse gessit aut quae eius aetate ab eius populo gestae sunt, plenam et perfectam scientiam habuisse, nemo addubitaverit; neque minus certum est, eum in rebus illis referendis verum dicere voluisse. Quis enim sibi persuaserit virum, qui Moysis successor a Deo ipso electus et spiritu sapientiae repletus est [1], lectores suos voluisse in errorem inducere? Immo totius libri indoles omnem fraudis suspicionem prorsus excludit. Simplici enim modo res gestas eum solum in finem refert, ut divina fidelitas, potestas, benignitas celebrentur; quapropter auctor nec suam imprudentiam nec populi sui defectus silentio premit [2]. Atque ut narrationi pleniorem fidem faciat, monumenta in rerum narratarum memoriam erecta enumerat frequentique usu formulae « usque in hanc diem » ex iis, quae in medio populi etiam tunc conspiciebantur vel audiebantur, testimonium desumit se vera dicere [3]. Praeterea res, quas narrat, sunt publicae, integro populo notae et cum eius historia intime connexae, ita ut in iis narrandis lectores decipere non potuisset, si voluisset. Omnia igitur conspirant, ut maximam esse libri nostri auctoritatem historicam demonstrent. Neque argumenta vi sua privabuntur, si quis Iosuae ipsi librum abiudicandum censuerit; quin enim a viro,

qui rebus gestis praesens adfuit, sit compositus, non est dubium (59. p. 189 sq.). Iamvero testi oculari res publice gestas coaevis suis narranti fidem denegare non licet, nisi cum errasse aut in errorem inducere voluisse certis argumentis demonstretur. Tantum autem abest, ut vel minimus error hucusque in libro Iosue sit detectus, ut recentissimae in geographiam palaestinensem inquisitiones summam descriptionis fidelitatem et accurationem demonstraverint[4].

Hinc iuniores scriptores sacros facta in nostro libro relata satis frequenter allegare videmus. Auctor libri Iudicum nonnulla ad verbum transumsit; ab auctore duorum priorum librorum Regum commemoratur poena, qua Israelitae afflicti sunt, quia Saul fidem Gabaonitis iureiurando confirmatam violaverat, et duorum posteriorum auctor in memoriam revocat, Chananaeos ob abominandam suam idololatriam a filiis Israel esse deletos; magna miracula, transitus per Iordanem et prolongatio diei, quo devicti sunt quinque reges amorrhaei, a Psalmistis et Prophetis celebrantur; ab Ecclesiastico demum Iosuae et Calebi fortitudo secundum nostrum librum laudatur[5]. Quin etiam integra historia Israelitarum, quam iuniores libri tradunt, veritati nostri libri indirectum fert testimonium, quum eum rerum statum supponat, quem a Iosua introductum esse noster liber narrat. Neque plane desunt profana testimonia, quae eum confirment. Medio enim saec. 5. superstites fuisse duas columnas refert Procopius prope civitatem Tigisin in Numidia, quibus lingua punica inscriptum erat : « Nos sumus, qui fugimus a facie Iosuae, latronis, filii Nave »[6]. Quidquid de huius inscriptionis authentia est, illud saltem constat, ab eo tempore, quo Iosue populum in Palaestinam introduxisse refertur, Sidonem, Tyrum aliasque Phoenicum civitates quam plurimas et numerosissimas emisisse colonias, quibus non tantum insulas maris mediterranei, sed magnum orae septemtrionalis africae tractum occuparent; atqui pauciores erant et nimis exiguae civitates Phoenicum, ut tantum incolarum numerum alias in terras mitterent; quare coloniae illae eiectionem Chananaeorum supponunt : revera teste S. Augustino rustici Africae septemtrionalis interrogati, quid essent, non respondebant se esse Poenos, sed se esse Chananaeos[7].

Quae quum ita sint, liber Iosue, etsi ab eius inspiratione prorsus abstrahimus, maiorem meretur fidem historicam, quam libri quicunque historicorum profanorum, quippe qui a partium studio non sint integri atque suae gentis res gestas exaggerare, aliarum autem gentium praeclare gesta deprimere soleant. Ergo miracula quoque, quae liber noster refert, quamvis magna et stupenda sint, ob solum eius testimonium humanum pro veris admittamus oportet.

1. *Num.* 27,18; *Deut.* 34,9; cfr *Eccli* 46,1.

2. *Ios.* 9,14; 7,1; 24,23 etc.

3. Monumenta : *Ios.* 4,9. 20; 7,26; 8,28 sq.; 10,27; — nomina historica : *Ios.* 5,9; 7,24; 24,26 etc.

4. Quomodo libri Iosue notae geographicae monumentis hieroglyphicis et cuneiformibus confirmentur, praeclare ostendunt *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes III. p. 4 sqq.; *Schrader* Keilinschriften n. Altes Test. Ed. 2. p. 161 sqq.; *Brugsch* Geograph. Inschriften altägypt. Denkmäler II.; *Sayce* Alte Denkmäler im Lichte neuer Forschungen. 1886. p. 67; *Lex Mosaica.* 1894. IV. Period. of Ioshua p. 109 sqq.; *A. I. Delattre* S. I. Le pays de Chanaan province de l'ancien empire Égyptien. Paris 1896. etc.

5. *Iud.* 1,12 sqq. et *Ios.* 15,16 sqq.; *Iudic.* 1,20 sq. et *Ios.* 15,13. 63; *Iudic.* 1, 27-29 et *Ios.* 17,11 sqq. 16,10.; *Iudic.* 2,6 sqq. et *Ios.* 24. 28 sqq. — 2 *Reg.* 21,1-9 et *Ios.* 9,3 sqq. — 3 *Reg.* 14,24 etc. — *Ps.* 113,1 sqq.; 65,5. 6 et *Ios.* 3; *Habac.* 3, 11 sqq. et *Ios.* 10,13; *Ps.* 67,55 et *Ios.* 13, 6 sq. etc. — *Eccli.* 46,1-12.

6. *Procop.* De bello vandal. II. 10; *Mosis Chor.* Hist. Armen. I. 19 (Vers. germ. ed. Lauer. Regensb. 1869. p. 37); *Evagr.* Hist. Eccl. IV. 18; Niceph. Hist. Eccl. XVII. 12. De authentia huius monumenti cfr *Verdière* S. I. Compte rendu de l'Académie des Inscript. et Belles-Lettres (Journal officiel 1874. p. 4561 et 4912 sq.)

7. *S. August.* in ep. ad. Rom. inch. expos. 13 (M. 35,2096) : « Unde interrogati nostri quid sint, punice respondentes *Chanani*, corrupta scilicet, sicut in talibus solet, una litera, quid aliud respondent, quam *Chananaei?* »

65. — *Divinam auctoritatem* libri Iosue argumentis demonstrare supersedemus. Quoniam enim semper in canone fuit atque *SS. Iacobus* et *Paulus* ex eo testimonia desumserunt, praeter rationalistas antiquos et modernos nemo divinam eius auctoritatem in dubium vocare unquam est ausus; adversariorum autem rationes praeiudiciis eorum de miraculorum impossibilitate innituntur. Id unum videtur adnotandum, quod antiquos Manichaeos aliosque haereticos, quorum meminit Theodoretus [1], secuti Deistae saeculo praecedente et nonnulli rationalistae moderni [2] bellum Israelitarum Palaestinam invadentium iniustum dicere atque Iosuen, quia tot millia hominum, ne ipsis quidem senibus mulieribus pueris exceptis, occidi iusserit, crudelitatis accusare non erubuerint, ut libri nostri divinitatem impugnarent. At aeque fuse et egregie obiectionem hanc refutaverunt antiqui Patres, inter quos praecipuus *S. Augustinus*, atque recentes interpretes [3]. Quorum vestigia sequentes paucissimis verbis (quaestio enim haec ab interpretibus tractari solet) respondemus, Deum totius mundi Dominum supremum Palaestinam Israelitis dono dedisse : « Surge et transi Iordanem in terram quam ego dabo (rectius : *do*) filiis Israel » [4]. Idem autem Deus Chananaeos deleri et exterminari iusserat [5]; « iussio autem Dei, inquit *S. Augustinus*, pro lege est », nec « eius iussa contemnere licet »; quare rectissime *Theodoretus* : « qui Iosuen arguit, arguit etiam illum, qui ita praecepit; ipse enim Deus omnes penitus interfici iusserat, qui terram incolebant » [6]. Si quis vero interrogat, quas ob causas tam severe Deus erga illos populos egerit, respondet Moyses populum Israel alloquens

« Ne dicas in corde tuo, quum deleverit eos (Chananaeos) Dominus Deus tuus in conspectu tuo : Propter iustitiam meam introduxit me Dominus... quum *propter impietates suas istae deletae sint nationes.* Neque enim propter iustitias tuas et aequitatem cordis tui ingredieris, ut possideas terras eorum, sed *quia illae egerunt impie*, introeunte te deletae sunt » (*Deut.* 9, 3-6). Quam abominanda fuerit idololatria Chananaeorum, nemo ignorat; diu exspectaverat Deus, antequam eos puniret: quum enim Abrahae terram illam promitteret, « nondum completae erant iniquitates Amorrhaeorum » (*Gen.* 15,16). Quando autem mensuram compleverant, ne tunc quidem pro iustitiae suae rigore populos istos punivit, quemadmodum disertis verbis docet auctor *Sapientiae* (12,3 sqq.). Israelitae igitur non erant nisi instrumentum iustorum iudiciorum Dei, at non sine ratione electi, ut abominandas illas gentes delerent. Dei enim iudicia exsequentes se ipsi dignos declararunt, qui iisdem poenis puniendi essent, si eorundem criminum rei essent futuri. Ipsa igitur Chananaeorum punitio eruditio erat Israelitarum; dixerat enim Deus : « Ne polluamini in his omnibus (impudicitiis), quibus contaminatae sunt universae gentes, quas ego eiiciam ante conspectum vestrum... Cavete ergo, ne et vos similiter evomat (terra), quum paria feceritis, sicut evomuit gentem, quae fuit ante vos » (*Levit.* 18, 24-28). Sed haec hactenus; accuratius haec explicabuntur in libri interpretatione.

1. ***S. Epiph.*** haer. 66,82 (M. 42,160); ***S. August.*** c. Faust. XXII. 5 sqq. (M. 42. 403 sqq.); ***Theodor.*** in Ios. qu. 12 (M. 80,473).

2. ***Tindal*** Christianity as old as the creation. p. 470 sqq.; ***Parrish*** Inquiry into the Iewish and Christian revelation. p. 33 sqq. etc. — ***Ammon*** Handbuch der Sittenlehre. III. 2. p. 61; *De Wette* Lehrbuch der hebr. Archaeologie § 137; omnium impudentissimus ***Eichhorn*** Einl. III. p. 409 : « Wäre das wahr, was so lange Vorgeben u. Glauben kurzsichtiger Männer war, dass Iosua nach lauter Offenbarungen Gottes gehandelt hatte, wer könnte leugnen, dass so manches, was ihm von Gott befohlen worden wäre, mit dessen hohen Eigenschaften im Widerspruche stehe? dass ihn die Geschichte der Eroberung Kanaans nicht als ein höchst gerechtes u. gütiges, sondern als ein rachsüchtiges u. bluldürstiges Wesen darstelle? dass er hier befohlen hätte, was er ausserdem nie befohlen, sondern höchstens zugelassen hat, wie barbarisches Kriegsrecht, gänzliche Menschenvertilgung, blutige Bestrafung der Abgötterei u. s. w? Wer könnte leugnen, dass die Eroberung Kanaans von Umständen begleitet gewesen, die wunderthatigen Beistand Gottes ausschliessen? » etc.

2. ***S. August.*** c. Faust. XX. 74 sqq. (M. 42,447); ***Theodoret.*** in Ios. qu. 12 etc. — Ex saec. 16. interpretibus conferri meretur ***Serar.*** Iosue. II. p. 1 sqq. 62 sqq., ex recentissimis *Reinke* Das Recht der Israeliten auf Canaan. Beiträge I. p. 270-480; ex protestanticis *Hengstenberg* Authentie des Pentat. II. p. 471-507. — ***S. Epiphanius*** (haer. 66,82 sqq. M. 42,160 sqq.) ius Israelitarum derivat a terrae distributione per Noe facta, qua Semitae Chanaan obtinuerint; Cham enim sua sorte, quae Africam comprehendebat, non contentum contra ius etiam Palaestinam sibi arripuisse; Israelitas igitur terram in patre suo Sem ipsis attributam iure recuperasse. Moderni non-

nulli secuti sunt Epiphanium, alio tamen modo primum ius Israelitarum demonstrare conati. (De terrae distributione, quam Noe fecisse credebatur cfr *S. Philastr.* haer. 121. M. 12,1244). Scriptura autem tale ius non agnoscit, quum patriarchas semper velut « advenas et peregrinos » in Chanaan (*Gen.* 23,4; 26,3; 33,19) consideret et semper de *futura* terrae donatione loquatur. Cfr etiam *Act.* 7, 5.

4. *Ios.* 1,2. אֲשֶׁר אָנֹכִי נֹתֵן לָהֶם.

5. *Deut.* 7,1 sqq.; 20,16 sqq. cfr 10,40; 11,19 etc.

6. *S. August.* in Heptat. III. qu. 56; cfr VII. qu. 49 (M. 34,702. 816); *Theodor.* in Ios. qu. 12.

§ 13. — *De praecipuis in l. Iosue commentariis catholicis.*

66. — De libro Iosue Patres et antiquiores interpretes admodum pauca nobis reliquerunt, quae sensum literalem investigantibus inserviunt. Origenis enim vestigia prementes longe plerique neglecto fere sensu literali, quem utpote clarum explicatione non indigere putabant, in typicis et moralibus accommodationibus ingenium suum exercuerunt. Revera nomen ipsum Iosue, vel uti antiqui omnes iuxta alexandrinam versionem legebant *Iesus,* typicas explicationes quodam modo provocabat. *Origenes* ipse homilias viginti sex allegoricas reliquit, quae a Rufino latine redditae sunt; *S. Ephraem* quoque in annotationibus, quae ad nos pervenerunt, multo magis allegorizat, quam in reliquis suis commentariis; eodemque modo *Procopius Gazaeus* fere solum sensum allegoricum sectatur. Inter orientales Patres igitur solus *Theodoretus* viginti quaestionibus difficiliores nonnullos textus explicat sensui literali inhaerens [1].

Inter latinos autem solus *S. Augustinus* quum in Locutionibus tum in Quaestionibus in Heptateuchum difficultates libri nostri secundum sensum literalem enodat. Qui autem secuti sunt *S. Isidorus Hisp.* vel *Ven. Beda* (idem enim opusculum inter utriusque opera edi solet) ab Origenis fere allegoriis dependent, atque *Rhabanus Maurus* quoque longiorem suum commentarium, quem S. Friderico Traiectensi episcopo inscripsit, « ex sanctorum Patrum dictis in historiam Iesu Nave sensu allegorico prolatis collegit ». Glossa ordinaria quoque *Wal. Strabonis* ex allegoricis fere Origenis homiliis excerpta est atque paucas Augustini explicationes addit. Vix meliorem viam iniit *Rupertus Tuit.*, qui uti in paucis aliis, etiam in hoc libro explicando solas paene allegorias quaesivit. Ab Origene iterum dependent pauca illa, quae *Hugo a S. Victore* de nostro libro edidit [2].

1. *Origenis* homiliae in Iosue (M. 12,819-948); — *S. Ephraem* Explanatio (ex catena Severi Mon. excerpta) in Iosue. Opp. syr. I. 292-307; — *Procopii Gaz.* Comm. in Iosue (M. 87,981-1042); — *Theodoreti* Quaest. in Iosue (M. 80,457-486).

2. *S. August.* Locutiones in Heptat. VI. et Quaestiones in Heptat. VI. (M. 34,537-

542 et 775-792); — *S. Isidori Hisp.* Quaestiones in l. Iosue (M. 83,373-386); idem opusculum inter opera dubia *Ven. Bedae* (M. 93,417-422); — *Rhabani Mauri* In librum Iosue libri tres (M. 108, 999-1108); — *Wal. Strabonis* Glossa ordin. (M. 113,505-520); — *Ruperti Tuit.* Comm. in l. Iosue (M. 167,899-1024); — *Hugonis a S. Vict.* Allegoriarum in V. T. l. IV. (M. 175-669 sqq.). — Paucissima, quae *S. Paterius* ex operibus *S. Gregorii M.* in l. Iosue collegit, etiam sunt allegorica (M. 79,783-786).

Media aetas satis multos commentarios in librum nostrum videtur produxisse; etenim inter eius commentatores a Lelong nominantur *Andreas Anglus* († 1150), *Stephanus Langton* († 1228), *Alexander de Hales* († 1245), *Thomas Iorsius* vel *Anglus* († 1310), *Dom. Grenier* († 1347), *Ioannes Cremerius* († 1418), *Ioannes Capgrave* († 1461) aliique multi; sed quoniam eorum opera typis non sunt exscripta, iudicium de iis ferre non possumus; illi autem, qui innotuerunt, mediae aetatis interpretes magis, quam eorum praedecessores, ab allegorica libri Iosue interpretatione abstinuerunt. Iam *Card. Hugo* in sua Postilla sensum literalem non negligit; multo diligentius eundem sectatur *Nic. Lyranus; Dionysius Carth.* et *Alph. Tostatus* consuetam suam methodum etiam in nostro libro retinent; prior frequentes explicationes allegoricas et morales suis commentariis inserit vel potius addit, alter plurimis quaestionibus non necessariis immoratur[3].

Maior tamen sollicitudo et industria libro Iosue illustrando adhibita est a magnis interpretibus saec. 16. et 17. *Caietanus* iam, *Vatablus*, *Isid. Clarius* in suis scholiis ad solum sensum literalem attentionem suam converterunt et textu hebraico in auxilium vocato vulgatam versionem melius intelligere conati sunt; at longe superati sunt a suis successoribus. Pro more in iis enumerandis omittimus illos, qui integras V. T. Scripturas commentariis auxerunt, licet nonnullorum (*Corn. a Lapide*, *Thom. Malvendae* etc.) opera ab interprete non esse negligenda pateat, atque illos solos nominamus, quos prae reliquis eminere censemus[4]. Primum locum tenet *Andreas Masius*, cuius commentarios, quamvis nonnulla « minus sana vel sane sonantia » contineant, Catholici magnis laudibus iure celebrarunt, et Protestantes inter criticos sacros suos receperunt[5]. Proximus vero ei accedit *Nic. Serarius*, neque longe ab eo distant *Iac. Bonfrerius* et *Ben. Arias Montanus*[6]. Nominari quoque merentur *Cosmas Magalianus*, *Henricus Marcellius*, *Petrus de Aristizabal*, *Emmanuel Naxera*, qui duo ultimi concionatorum praecipue utilitati consulere studuerunt[7].

Quibus nec saec. 18. nec saec. 19. quemquam addiderunt, a quo sint superati; immo si *Calmetum* exceperis, cuius commentarium dissertationesque negligere non licet, aliosque glossatores nonnullos totius Sacrae Scripturae, vix quemquam invenies, qui toti nostro libro explicando tantam impenderit curam, ut hoc loco nominari mereatur.

Ineunte saec. 18. tres prodierunt commentarii in l. Iosue et nonnullos alios libros historicos, unus in Gallia auctore *Iac. Felibien*, alter in Germania auctore *I. Laur. Helbig*, tertius in Hispania auctore *Hier. Monterde;* ab illo autem tempore alius mihi non innotuit praeter eum, quem edidit *Clair*[8]. Eruditis tamen nonnullis dissertationibus libri Iosue antiquitatem et auctoritatem defenderunt aut eius textus difficiliores explicarunt *B. Welte, L. Reinke, F. Himpel, W. Smith* aliique[9].

Multo maiorem diligentiam protestantici interpretes nostra aetate in libro Iosue explicando posuerunt; inter eorum commentarios praestant illi, quos ediderunt *C. F. Keil* (Erlangen 1847. et brevior Lipsiae 1874.) et *T. E. Espin* (The Speaker's Commentary II. London 1872.); reliquos antiquiores et modernos enumerant *Fay* (Das Buch Iosue. Bielefeld 1870. p. 21 sq.), *Zöckler* (Handb. der theol. Wissenschaften 1883. p. 192 sq.), antiquiores accuratius recenset *Carpzov*. Introd. I. p. 149 sqq.

3. *Card. Hugonis*, O. Praed., Postilla. Venetiis 1754. I; — *Nic. Lyrani*, O. Min., Postilla. Venetiis 1588. II; — *Dion. Carth.* Opera Coloniae 1533. II; — *Alph. Tostati* Opera Venetiis 1728. V.

4. *Caietani*, O. Praed., Comm. in. ll. Iosue-Esther. Romae 1533.; — *Fr. Vatabli* Annotationes in V. T. Parisiis 1545. (expurgatae. Salmanticae 1584.); — *Isid. Clarii* O. S. Ben. Scholia. Venetiis 1542 (Duorum ultimorum glossae etiam in Crit. sacr. II.).

5. *Andr. Masii* Iosuae Imperatoris historia illustrata atque explicata. Antwerpiae 1574. fol. Praeter textus hebr. graec. lat. continet notas criticas et commentarium. Auctiorem editionem continent Critici sacri II., et Migne Curs. complet. S. Script. VII. VIII. Commentarium hunc multis commendant *Rich. Simon* Hist. crit. du V. T. p. 444 sq., *Corn. a Lap.* in Ios. Prooem., *Calmet* in Biblioth. sacr. etc.

6. *Nic. Serarii* S. I. Iosue ab utero ad usque eius tumulum... libris quinque explanatus. Moguntiae 1609. 1610. 2 vol. fol. (Cfr De eo *Rich. Simon* l. c. p. 423; *Corn. a Lap.* et *Calm.* ll. cc.); — *Iac. Bonfrerii* S. I. Iosue, Iudices et Ruth commentariis illustrati. Parisiis 1731. fol. (Secundum Dupin et Calmet l. c. omnes alios superat); — *Ben. Ariae Mont.* De optimo imperio seu in l. Iosue commentarius. Antwerpiae 1583. fol.

7. *Cosm. Magalliani* S. I. Comm. in Iosuae historiam. Turon. 1611. 2 voll. fol.; — *Henr. Marcellii* S. I. Comm. in l. Iosue. Herbipoli 1661. 4°; — *Petr. de Aristizaval*, O. Min., Discursus morales et politici super Iosue. Matriti 1655. fol.; — *Emm. Naxera* S. I. in Iosuam hostilibus redimitum trophaeis commentarii literales moralesque. Lugduni 1647. 1652. 2 voll. fol. — Reliquos saec. 16. et 17. commentatores enumeratos invenies in *Hurter* Nomenclat. I. II.

8. *Iac. Felibien* Pentat. historicus s. libri quinque historici Iosue etc. cum commentariis ex fonte hebr. etc. collectis. Parisiis 1704. 4°; — *I. L. Hellbig* In libros Iosue, Iudic., Ruth. Coloniae 1717. fol.; — *H. Monterde* Comm. theolog. in ll. Iosue, Ruth. Valentiae 1702. fol. — *Clair* Le livre de Iosue. Introduction critique et comment. Paris 1877. 8°.

9. *Welte* Parallelstellen in den BB. Iosue u. Richter (Tüb., Quartalschr. 1842. p. 584 sqq.); — *Reinke* Das Recht der Israeliten an Chanaan; Der Stillstand der Sonne u. des Mondes (Beiträge I. p. 271 sqq. VIII. p. 213 sqq.); — *Himpel* Selbständigkeit, Einheit, Glaubwürdigkeit des B. Iosua (Tüb. Quartalschr. 1864. p. 385 sqq. 1865. p. 227 sqq.); — *Smith* The Pentateuch p. 106-117 etc.

CAPUT III.

DE LIBRIS IUDICUM ET RUTH.

§ 14. — *De argumento, fine, divisione libri Iudicum.*

67. — *Iudices* (κριταί, שׁוֹפְטִים) in sacra historia viri illi appellantur, qui inde a Iosuae morte usque ad Saulis primi regis electionem rempublicam israeliticam gubernabant; hebraicum enim vocabulum *schaphat* (iudicavit) latiore etiam sensu de supremo reipublicae magistratu adhibetur[1]. Attamen Israelitarum *Schophetim* non ordinario quodam munere fungebantur nec continua successione sese excipiebant, sed pro rerum necessitate certis temporibus extraordinario modo immediate a Deo vocabantur, ut contribules ab iniusta hostium oppressione liberarent eosque ad Legis divinae observantiam reducerent; dictatores igitur quidam erant divinitus constituti, dum toto illo tempore ordinaria regendi administrandique potestas penes familiarum tribuumque principes erat. Inter Iosuen et Saulem quatuordecim vel sedecim, immo forte septemdecim Iudices numerantur hoc ordine : Othniel, Aod, Samgar, (Iahel), Debbora, (Barac), Gedeon, (Abimelech), Thola, Iair, Iephte, Abesan, Ahialon, Abdon, Samson, Heli, Samuel[2]. Inter quos una invenitur mulier (Debbora), omnes autem ex variis tribubus erant assumti : bini ex tribubus Iuda (Othniel et Abesan[3]), Ephraim (Debbora et Abdon), Manasse, (Gedeon, Abimelech), Gad vel Gilead (Iair et Iephte), Levi (Heli et Samuel), singuli ex tribubus Dan (Samson), Beniamin (Aod), Issachar (Thola), Nephtali (Barac), Zabulon (Ahialon); duorum (Samgar et Iahel) patria non nominatur. Ex illis autem omnibus soli tres (Othniel, Heli, Samuel) totum populum videntur iudicasse, reliqui uni soli aut nonnullis dumtaxat tribubus praefuisse[4].

Ab hisce igitur Iudicibus liber, qui in iudaici canonis parte secunda secundum locum occupat, nomen suum traxit, quia « eorum, inquit *Ps. Athanasius*, res gestas et vitae tempus describit »[5]. Erraret autem, qui in eo continuam historiam populi israelitici inde a Iosuae morte usque ad Saulem tradi censeret. Namque duorum ultimorum Iudicum, Heli et Samuelis, ne nomina quidem in eo commemorantur; unius, Iahel (5,6), nudum nomen ponitur; sex aliorum, Samgar (3,31), Thola et Iair (10,1-5), Abesan, Ahialon, Abdon (12,8-5), qui per septuaginta annos populum iudicabant, res gestae nullae narrantur; in-

terregnorum, quae satis longum temporis spatium complecti videntur, historia silentio praetermittitur; illorum demum Iudicum, de quibus fusior fit sermo, tantum abest, ut completa historia narretur, ut admodum paucae eorum res gestae tradantur. Libro Iosue et duobus primis nostri libri capitibus edocemur, tempore mortis Iosuae magnam, immo maiorem terrae promissae partem Israelitis nondum plene fuisse subiectam; in omnium enim fere tribuum territoriis Chananaeus cum filiis Israel habitasse dicitur, atque Aser et Nephtali « habitabant in medio Chananaei » (1,32. 33). Sed tempore Samuelis et Saulis Israel a finitimis quidem populis impugnabatur, terra palaestinensis ipsa vero omnibus paene Chananaeis exterminatis in quieta Iudaeorum possessione fuit. Iam vero de completa hac territoriorum expugnatione non magis sermo est, quam de interna reipublicae per totum illud tempus conditione. **Argumentum** igitur libri nostri non satis recte dicitur historia reipublicae israeliticae sub Iudicibus, quum paucas dumtaxat res a nonnullis Iudicibus gestas complectatur.

1. Radix שפט proxime significat *indicavit*; quia vero iudicia ad summos magistratus pertinent, facile transiit in sensum *gubernandi*, *regendi* (1 *Reg*. 8,5; 4 *Reg*. 15,5; *Deut*. 17,9; 19,17 etc.), atque participium *Schophet* significavit *gubernatorem* vel *summum magistratum* (*Ps*. 2,10; *Is*. 40,23; *Am*. 2,3 etc.). Idem nomen penes Carthaginienses teste *Livio* (*XXVIII*. 37; *XXX*. 7) eodem sensu usurpabatur : « *Sufetes*... qui summus Poenis est magistratus », atque Tyrii quoque per aliquod tempus a Iudicibus (δικασταῖς) regebantur teste *Fl. Iosepho* (c. App. I. 21). Attamen Hebraeorum Iudicibus alio quoque sensu nomen competit. Iudicum enim est iura oppressorum et miserorum tueri et vindicare, atque hoc sensu non raro usurpatur שפט (Is. 1,17. 23; *Ps*. 25 (26), 1; 71 (72), 4 etc.); viri autem illi, quibus in hoc libro nomen *schophet* tribuitur, filios Israel ab iniusta hostium oppressione vindicabant et liberabant, populum liberatum autem iusto suo regimine in divinae Legis observantia retinebant.

2. *Iahel* (*Iudic*. 5,6) ita cum Samgar nominatur, ut equidem illis antiquioribus et modernis interpretibus assentiar, qui utrumque Iudicem fuisse censeant; omnino enim videtur esse sermo de personis, quae auctoritate sua terrae quietem restituere debuerint. Quare parum mihi probatur ea sententia, quae eandem personam *Iudic*. 4,17 sqq. et 5,24 sqq. atque iterum 5,6 nominari teneat; non satis enim intelligitur, quid mulier illa Cinaea ad latrones compescendos conferre potuerit. — *Barac* autem, num inter Iudices recensendus sit, incertum est; titulo enim hoc non insignitur, sed dux fuit exercitus a Debbora congregati. Nisi forte 1 *Reg*. 12,11 ubi in text. hebr. et vulg. legimus : « Ierobaal (i. e. Gedeon), *Badan*, Iephte, Samuel », cum text. alex. et syr. legendum sit *Barac*; hac enim enumeratione procul dubio Iudicibus accenseretur (cfr *de Hummelauer* Comm. in libr. Sam. p. 129). *Abimelech* demum, Gedeonis filius, etiam non vocatur Iudex (9,6. 22), neque illa, quae de eo narrantur, sunt Iudice digna; quare rectius omittitur atque *ad summum* sedecim Iudices numerantur.

3. Abesan ex Bethlehem fuisse dicitur; utrum intelligendum sit Bethlehem Iuda, an Bethlehem Zabulon, incertum est. Eius successor Ahialon diserte appellatur *Zabulonites*, unde plerique concludunt, Abesan non fuisse Zabulonitem; sed conclusio, ut patet, necessaria non est; quare forte duo ponendi sunt ex tribu Zabulon, et unus ex tribu Iuda.

4. Debbora et Barac in suo exercitu sex dumtaxat tribuum cisiordanicarum milites habebant, Gedeon solos milites quatuor tribuum septemtrionalium; Iephte solos transiordanicos duxit contra hostes et Ephraimitas debellare coactus est.

5. *Ps. Athan.* Synops. S. Script. 11 (M. 28,312). — *Philo* de confus. ling. 26 (Ed. Lips. II. 275) vocat librum nostrum *iudiciorum* (ἡ τῶν κριμάτων βίβλος), sicut *Regum* quoque libri ab Alexandrinis βασιλειῶν α' etc. (*Regnorum* primus etc.) inscribebantur. Ceterum nomen istud non est ineptum, siquidem liber Iudicum revera de divinis erga Israel Iudiciis agit.

68. — Argumentum autem libri accuratius definiemus, si ad *finem*, quem auctor in eo conscribendo sibi proposuit, animos adverterimus. Fidelitatem divinam in libro Iosue praecipue celebrari ostendimus (53; p. 175 sqq.) at aliam viam iniit auctor noster, ut populum ad fidelem Legis observationem reduceret. *Divinam iustitiam* enim ei ob oculos ponit, una ex parte gravissimis poenis indicatis, quas idololatria sua suisque vitiis sibi ipsi attraxerat, altera ex parte indicato auxilio divino, quod nunquam defuit, quamprimum sincera poenitentia ad Deum suum reversus est. In eo igitur totus est, ut ostendat tota Iudicum aetate « alternavisse apud Iudaeos et humilitates laborum pro eorum peccatis et prosperitates consolationum propter miserationem Dei »[1]. Hunc enim FINEM AUCTORIS nostri fuisse, clare iam prooemium indicat atque tota libri dispositio et ordo non minus, quam rerum narratarum selectio confirmant.

Quamnam enim rerum israeliticarum vicissitudinem describere voluerit, his verbis in exordio monet : « Fecerunt filii Israel malum in conspectu Domini et servierunt Baalim ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum..., iratusque Dominus contra Israel tradidit eos in manus diripientium..., nec potuerunt resistere adversariis suis... Suscitavitque Dominus Iudices, qui liberarent eos de vastantium manibus...; quumque Dominus Iudices suscitaret, in diebus eorum flectebatur misericordia et audiebat afflictorum gemitus et liberabat eos de caede vastantium. Postquam autem mortuus esset Iudex, revertebantur et multo faciebant peiora, quam fecerant patres eorum sequentes deos alienos... Iratusque est furor Domini in Israel » (2,11 sqq.). Cui thematis, quod tractare vult, descriptioni plane consonat narrationis methodus. Quoniam enim factis illustrare vult, quomodo inobedientia et idololatria sua populus divinam iram provocaverit et hostium oppressionem sibi ipse attraxerit neque divinam misericordiam et liberationem ab hostium incursibus obtinuerit nisi fideli Legis observantia, ideo rerum a singulis iudicibus gestarum narrationem hac vel simili formula incipit : « Fecerunt malum (filii Israel) in conspectu Domini... servientes Baalim et Astaroth; iratusque Dominus tradidit eos in manus » hostium[2]; deinde conversione eorum indicata[3] refert Deum Iudice

aliquo suscitato eos ab oppressoribus liberasse. Iure merito igitur dicimus auctorem, ut Israelitas ab omni idololatria efficaciter absterreret atque ad divinam Legem observandam exhortaretur, ex aetate Iudicum nonnulla elegisse facta, quae luce clarius demonstrabant, quanta cum sollicitudine Dominus foederi suo invigilaret omnem Legis transgressionem severe puniens, ad meliorem autem frugem redeuntes paterna cum caritate excipiens[4].

1. *S. August.* de Civ. Dei XVIII. 13 et XVI. 43 (M. 41,570. 522) « Temporibus Iudicum, sicut se habebant et peccata populi et misericordia Dei, alternaverunt prospera et adversa bellorum ». Cfr *Procop. Gaz.* Comm. in Iudic. Prooem. (M. 87,1041) : « Liber hic secundum sensum literalem utilissimus est, quia videmus, quantum valeat cultus divinus et quantum apostasia; illa enim reprimit hostes irrumpentes, haec nos illis subiicit »; *S. Isid. Hisp.* In II. V. et N. T. Prooem. 25 (M. 83,161) : « In libro Iudicum continentur peccata et servitutes Israel, exclamationes populi miserationesque Dei. »

2. *Iudic.* 3,7. 12; 4,1; 6,1; 10,6; 13,1.

3. *Iudic.* 3,9. 15; 4,3; 6,7; 10,10.

4. Cfr *Zschokke* Hist. A. T. p. 177 : « *Scopus* libri vere *theocraticus* est; exhibet enim illustre documentum foederis et providentiae Dei, qui populum obedientem beneficiis cumulavit, idololatria autem et peccatis degenerantem paternis castigationibus ad meliorem frugem revocavit. »

69. — Ad libri DIVISIONEM transeuntes monemus duo priora capita (1,1-3,5) satis longum constituere exordium, in quo auctor, ut narranda facilius intelligantur, statum rerum politicum et religiosum, qui aetate Iudicum fuit, generali quodam modo describit finemque operis indicat, ultima autem quinque capita duabus constare appendicibus (17,1-18,31; 19,1-21,25), quae, etsi illustrando fini auctoris quam maxime inserviant, seriei chronologicae reliquorum factorum non sunt insertae, quia non de hostium exterorum oppressione et repulsione, sed de interno reipublicae statu agunt atque populi ad idololatriam et vitia inclinatione demonstrata periculum ostendunt, quod reipublicae ex tribuum dissidiis imminebat. Priorem autem narrationem de Danitarum expeditione contra civitatem Lais supra iam diximus ad ultimos Iosuae annos pertinere (62. p. 196); alteram autem de filiorum Beniamin flagitio et punitione etiam ad initium aetatis Iudicum esse referendam, ex eo solo iam evidenter elucet, quod eo tempore Phinees, filius Eleazari ac nepos Aaron, summum sacerdotium tenuit (20,28). Exordio autem et appendicibus sepositis reliquus liber secundum sex Iudices, quorum res gestae magis minusve fuse et accurate narrantur, haud inepte in sex partes distribuitur, quae satis diversae quidem sunt longitudinis, sed eodem fere, uti iam innuimus, modo inchoantur similique ratione procedunt. Aptior tamen concinniorque evadet divisio, si ad libri chronologiam simul attenderimus, de qua

infra (75 p. 224 sqq.) erit agendum. Nonnullos enim Iudices coaevos fuisse eodemque fere tempore in diversis tribubus principatum supremum tenuisse, iure admittimus, quare nonnullas quoque ex sex illis sectionibus arctiore inter se vinculo colligari apparet; quibus attentis *tres aetatis Iudicum periodos* iisque correspondentes *tres libri partes* recte distinguimus. Etenim, ut ab ultima inchoemus, eodem tempore ab Ammonitis tribus transiordanicas, cisiordanicas autem a Philisthaeis esse vexatas, diserte docet auctor noster (10,7); quare evidens est res gestas Iephte et Samsonis ad eandem periodum pertinere et una parte ab auctore esse comprehensas (10,5-16,31). Gedeon vero Iudicem coaevum non videtur habuisse; eius igitur filiique eius res gestae ad alteram pertinent periodum alteraque libri parte narrantur (6,1-10,5). Demum Debbora et Barac tribus septemtrionales a regis Iabin oppressione liberaverunt illo tempore, quo reliqua terra post Moabitarum cladem octoginta annis quievit, ita ut illa, quae 3,7-5,32 narrantur, eadem periodo sint gesta eademque libri parte apte absolvantur. Porro non inepte monent nonnulli moderni interpretes, tres illas periodos vel partes tribus illis comminationibus correspondere, quibus Deus populum a Legis violatione absterruit. Primam comminationem, quae quidem utpote sollemnior ipsi exordio inserta est totumque libri characterem quodam modo definit (2,1 sqq.), secutae sunt invasio Chusan, regis Mesopotamiae (3,8), dominatio Moabitarum (3,12), durum iugum Iabin, regis Chanaan (4,1), eique igitur respondet *prima periodus* aetatis Iudicum atque *prima pars* libri (3,1-5,31). Aliis minis propheta tempore oppressionis madianicitae (6,1) populum ad conversionem provocavit, illisque respondet *altera periodus* et libri *secunda pars* (6,1-10,5). Tertia demum comminatio (10,10 sqq.), quae Ammonitarum in terra transiordanica et Philisthaeorum in cisiordanica dominationem respexit, ad *tertiam periodum* referatur necesse est atque *tertiae parti* (10,5-16,31) congruit. Totius igitur LIBRI IUDICUM ANALYSIS haec erit[1].

1. *Card. Hugo* exordio et appendicibus non distinctis totum librum in duodecim partes discerpit potius quam dividit; melius ***Nic. Lyranus*** praeter exordium (1. 2.) et appendices (17. sqq.) « septem partes facit secundum septem tribulationes, quas passi sunt filii Israel pro peccatis suis et a quibus poenitentia ducti liberati sunt per septem iudices sibi succedentes » : Othniel, Aod (3.), Debbora, Barac (4. 5.), Gedeon (6. 7. 8.), Abimelech (9.), Iephte (10. 11. 12.), Samson (13-16.). Velut tertiam appendicem non inepte l. Ruth ponit (cfr *infra* p. 232). — ***Kilber*** librum ita dividit : I. Praenotanda (1,1-3,6); II. Historia fatorum alternantium 1.) sub primo quaternione Iudicum (3,7-5,32); 2.) sub Gedeone tribusque eius successoribus (6,1-10,5); 3.) sub Iephte et ternario numero succedaneo (10,6-12,15), 4.) sub Samsone (13,1-16,31); III Paralipomena de Israelitarum statu religioso (17,1-18,31) et moribus corruptis (19,1-21,24). —*Clair* (Les Juges et Ruth. 1878. p. 28) praeter exordium (1. 2.) et appendices

(17-21) sex partes facit, quas *Keil* (Ios. Richt. Ruth. 1874. p. 190. 194) in tres rectius contrahit ad tres comminationes respiciens; a quo *de Hummelauer* (Comm. in Iudic. 1888. p. 9. 56) in eo tantum discedit, quod pro exordio solum cp. 1. habet.

Exordium (1,1-3,6) ea tradit, quae ut narratio intelligatur, de Israelitarum statu politico et religioso et de auctoris fine cognitu sunt necessaria.

1. *In priore particula conditio politica reipublicae describitur*, qualis immediate post Iosuae mortem fuit (1,1-36).
   a.) Bellum contra Chananaeos Iosua duce inchoatum post eius mortem Israelitae praeeunte tribu Iuda per aliquod tempus continuant (1,1-7), qua occasione ea repetuntur, quae antea tribus Iuda iam gesserat (1,8-20);
   b.) at desides factae reliquae tribus Beniamin (1,21), Ephraim et Manasse (1,22-29), Zabulon, Aser, Nephtali (1,30-33) et Dan (1,34-36) Chananaeos non exterminarunt.
2. In altera particula religiosus rerum status describitur et finis libri indicatur (2,1-23).
   a.) Transit auctor ad hanc particulam narratione apparitionis Angeli Dei, qui populum ob inobedientiam, quia Chananaeos non exterminaverit et idola eorum non destruxerit, graviter vituperat minisque suis ad pium fletum commovet (2,1-5).
   b.) Indicato dein felici statu religioso qui immediate post Iosuae mortem fuit, viventibus adhuc senioribus, qui magnalia Dei ipsi conspexerant (2,6-10)[a], continuam illam, quae postea exorta est, idololatriae et poenitentiae alternationem atque utriusque sequelas depingit (2,11-23).
3. Utramque particulam paucis verbis comprehendens gentes ab Israelitis relictas enumerat, atque periculum ab illis populo imminens indicat (3,1-6).

Prima pars (3,7-5,31) enarrat afflictiones et liberationes, quae primam comminationem ab Angelo factam consecutae sunt.

1. *Chusan regis Mesopotamiae invasio.* Dominus ob Israelitarum idololatriam iratus eos tradidit in manus Chusan, conversos autem post octo annos liberavit per Othniel (3,8-10), et quievit terra per quadraginta annos (3,11).

a) Difficultatem quandam relate ad contextum creant 2,6-10, quum iisdem fere verbis, quibus *Ios.* 24,28-31, mortem Iosuae eaque, quae proxime secuta sunt, iterum narrent; quare non tantum « critici », uti *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 343), *Wellhausen* (in Bleek Einl. Ed. 4. p. 183 sq.) etc., nihil nisi fragmenta inepte consuta in toto exordio vident, sed alii quoque protestantici interpretes, uti *Hervey*(in The Speaker's Bible II. p. 123) *omnia*, quae praecedunt, ante Iosuae mortem gesta putant ideoque 1,1 non « post mortem *Iosue* », sed « post mortem *Moysis* » legere volunt. At non attendunt, verbis 2,6-10 increpationem Angeli et poenitentiam populi explicari, quum velut allegatio ex l. Iosue sint desumta. Clarior fit contextus, si separatas phrases hebraicas in unam periodum coniungimus et particulas hebraico more omissas supplemus hac fere ratione : « Etenim postquam Iosue filios Israel dimiserat,... servierant quidem Domino..; mortuo autem Iosua... et tota illa generatione congregata ad patres suos, surrexerant alii, qui non noverant Dominum et opera, quae fecerat cum Israel. Fecerunt igitur filii Israel malum in conspectu Domini » etc.

2. *Oppressio moabitica.* Propter iteratam idololatriam traduntur Israelitae in manus Eglon per octodecim annos (3,12-14); conversi liberantur per AOD, qui regem occidit, Moabitas fugat (3,15-29), et quievit terra octoginta annis (3,30).
3. SAMGAR occidit sexcentos *Philisthaeos* (3,31).
4. *Liberatio a Iabin rege Chanaan* (4,1-5,31).
   a.) Israelitae post mortem Aod denuo peccantes traduntur in servitutem Iabin, regis Chanaan, a quo graviter afflicti ad Deum se convertunt (4,1-3).
   b.) Conversos exaudiens Deus per DEBBORAM, prophetissam et Iudicem, mandat BARAC, ut filios Israel ducat contra Sisaram, regis Iabin principem exercitus (4,4-9);
   c.) Qui accitis militibus tribuum Zabulon et Nephtali una cum Debbora magnam cladem hostibus infert (4,10-16); Sisara autem ab Iahel, muliere cinaea, dolose interficitur (4,17-24).
   d.) Magnifico carmine Debbora et Barac hanc victoriam (5,1-22) et mulieris cinaeae fortitudinem celebrant (5,23-31).
   e.) Quievit autem terra per quadraginta annos (5,31).

ALTERA PARS (6,1-10,5) madianiticam oppressionem a GEDEONE repulsam narrat, et in oppositione ad patrem filium eius *Abimelech*, qui sibi ipse gubernium arrogaverat, misere pereuntem ostendit.

1. *Madianitae oppressores a Gedeone sunt repulsi* (6,1-8,32).
   a.) Post nova peccata Israelitae per septem annos a Madianitis opprimuntur (6,1-6) et ad Deum clamantes ob continuam suam ingratitudinem per prophetam increpantur (6,7-10).
   b.) Nihilominus Deus populi sui miseratus Gedeonem vocat, ut filios Israel a Madianitis liberet (6,11-16), atque variis signis se ei in hoc bello adfuturum esse ostendit (6,17-24. 25-32. 33-40).
   c.) Quibus confortatus et a Deo edoctus Gedeon ex toto suo exercitu trecentos dumtaxat milites retinet (7,1-8), quibuscum copias madianiticas fugat (7,9-23).
   d.) Ephraimitas tardius in auxilium vocatos ideoque conquerentes lenibus verbis placat (7,24-8,3); viros autem Succoth et Phanuel, quia militibus suis panes negassent, post victoriam castigat (8,4-17) principesque Madianitarum interficit (8,18-21).
   e.) Victor regressus Gedeon ab Israelitis invitatus, ut eorum esset rex, abnuit quidem (8,22. 23), sed sibi ex praeda postulat aureas Madianitarum inaures, ex quibus Ephod fecit, quod populo et ipsi factum est in ruinam (8,24-27).
   f.) Devictis Madianitis « quievit terra per quadraginta annos, quibus Gedeon praefuit » (8,28).
2. Gedeonis filius *Abimelech, qui regnum usurparit, misere periit* (8,28-9,57).
   a.) Ex septuaginta Gedeonis filiis (8,29-32) post eius mortem, quum Israelitae denuo idololatriae se tradidissent (8,33-35) unus, Abimelech, a Sichemitis adiutus occisis fratribus omnibus praeter Ioa-

tham minimum natu (9,1-5) regnum usurpavit, frustra dissuadente Ioatham (9,6-21).

b.) Mox autem rebellantibus Sichemitis exortum est bellum cum Abimelech, qui civitatem cepit et destruxit (9,22-45) turremque quoque Sichimorum igne delevit (9,46-49). At Abimelech ipse, quum oppidum Thebes obsideret, a muliere occisus est, atque ita Deus malum punivit, quod ille et Sichemitae fecerant (9,50-57).

3. Post Abimelech *iudicaverunt filios Israel* THOLA viginti tribus annis (10,1-2) et IAIR viginti duobus annis (10,3-5).

TERTIA PARS (10,6-16,31) de dominatione Ammonitarun in orientales et Philisthaeorum in occidentales tribus agit.

1. *Israelitae,* quum peccatis veteribus iungerent nova, *in manus Philisthiim et Ammonitarum traduntur;* poenitentibus Dominus ingratitudinem opprobrat quidem, sed misericordia commotus iterum eos adiuvat (10,6-16).

2. *Bellum contra Ammonitas a* IEPHTE *feliciter gestum* (10,17-12,6).

a.) Novam expeditionem contra Israel parantibus Ammonitis (10,17.18) Galaaditae ducem sibi eligunt Iephte, quem antea eiecerant (11, 1-10). Qui primo quidem, postquam Dominum interrogaverat, legatione missa cum Ammonitis rem componere conatur (11,11-27); deinde vero, quum audire nollent, a Spiritu Domini confortatus magnam illis infert cladem (11,28-33). Victor autem regressus filiam suam, quae prima ei occurrit, secundum votum emissum Deo (perpetua virginitate) consecrat (11,34-40).

b.) Ephraimitae, eo quod ad hoc bellum evocati non essent, contra Iephtem iniuste insurgunt, sed devicti quadraginta millia hominum proelio amittunt (12,1-6).

3. *Iephte,* qui sex annis Israelitas iudicavit (12,7), *secuti sunt Iudices* ABESAN septem annis, AHIALON decem annis, ABDON octo annis (12, 8-15).

4. *Israelitae,* quum peccare pergerent, per quadraginta annos *traditi sunt in manus Philisthaeorum, quibus* SAMSON *multas magnasque clades intulit* (13,1-16,31).

a.) Samsonis nativitas matri (13,1-7) ac deinde patri eius praedicitur ab Angelo Dei (13,8-23); nato autem benedixit Dominus et Spiritus Domini erat cum eo (13,24. 25).

b.) Quum uxorem philisthaeam duxisset (14,1-9) et in convivio problema de dulcedine, quae egressa esset de forti, proposuisset (14,10-14), triginta Philisthaeos occidit, ut eorum vestes daret iuvenibus, qui ab uxore eius adiuti problema solverant (10,15-19).

c.) Iratus eo quod eius uxor alteri nupserat, segetes Philisthaeorum incendit magnamque cladem eis intulit (14,20-15,8), atque maiorem paullo post, quum a tribu Iuda vinctus Philisthaeis esset traditus (15,9-10). Iudicavit autem Israel in diebus Philisthiim viginti annis (15,20).

d.) In oppido Gaza a Philisthaeis inclusus portam urbis transfert in

montem (16,1-3), tandem autem a Dalila, altera uxore sua philisthaea, detonsus atque hostibus traditus oculis privatur ludibrioque ab illis habetur (16,4-21); sed postquam una cum coma pristinae eius vires redierunt, tria millia Philisthaeorum secum occidit (16,22-31).

Appendices duae docent, quomodo etiam internus reipublicae israeliticae status idololatria (17,1-18,31) et morum corruptione (19,1-21,24) sit pessumdatus.

1. *Idololatria Michae et Danitarum* (17,1-18,31).

a.) Ultimo Iosuae tempore, quum rex in Israel non esset et unusquisque quod rectum ipsi videbatur faceret) Ephraimita quidam, Micha nomine, impulsus a matre fecit sibi idolum in domo sua (17,1-5) et praetereuntem levitam pretio conduxit, ut sibi esset sacerdos (17,6-13).

b.) Danitae autem aliqui, qui alias sedes sibi quaerebant, idolum una cum sacerdote vi abstulerunt (18,1-26), civitatem Lais expugnaverunt et destruxerunt eiusque in loco novam exstruxerunt, quam ex nomine patris sui vocaverunt Dan, et in qua idololatriam exercuerunt toto illo tempore, quo domus Dei erat in Silo (18,27-31).

2. *Ob morum corruptionem integra fere tribus Beniamin exterminatur* (19,1-21,24).

a.) Gravissimo facinore in uxorem alicuius levitae commisso incolae Gabaa iustam excitaverunt reliquarum tribuum indignationem (19,1-30); quae convenientes a tribu Beniamin postulaverunt, ut sibi rei traderentur (20,1-13); abnuentibus autem Beniaminitis intulerunt bellum, quod non terminatum est nisi integra fere tribu Beniamin deleta (20,14-48).

b. Sexcentis autem Beniaminitis, ne una ex duodecim tribubus prorsus interiret, permissum est, ut ex aliarum tribuum virginibus uxores sibi raperent (21,1-24).

§ 15. — *De libri Iudicum origine.*

70. — Antequam inquiramus, quonam tempore et a quo liber Iudicum sit scriptus, illam solvamus oportet quaestionem, utrum uni an pluribus auctoribus sit attribuendus. Antiquitus enim iam de hac re disceptatum est atque hodie de eadem disceptatur.

Olim *Dorotheus Tyr.* scribas sacros, quos prope tabernaculum foederis constitutos fuisse censet, res singulas eo tempore, quo gestae sunt, literis consignasse dixit, *Card. Hugo* vero « unumquemque Iudicem tempus suum, i. e. facta temporis sui, in scriptis redegisse atque regem Ezechiam omnia scripta in unum volumen compegisse » coniecit[1]. Eandem sententiam cum *Pineda* tenuerunt nonnulli recentiores

interpretes ea maxime permoti ratione, quod S. Matthaeum (2,23) textum ex nostro libro desumtum velut « per Prophe*tas* dictum » referre putarent[2]. At nemo, opinor, hodie Evangelistam eo in loco ad nostrum librum respexisse dixerit[3]; unitas autem libri, quae in analysi supra tradita conspicitur, exorta non esset, si eo, quo isti volunt, modo multi auctores per tria fere saecula in illo scribendo operam suam collocassent. Quamquam igitur res a Iudicibus gestas a coaevis esse mandatas literis non negamus, immo libentissime concedimus, eorum tamen commentarios auctori nostro pro fontibus dumtaxat fuisse, arbitramur, ex quibus hausit quaecunque ad finem suum facere iudicabat.

1. *Doroth. Tyr.* De Prophet. (Biblioth. max. Patr. III. 424); *Card. Hugo* Postilla. Praef. in l. Iudic. Cfr quoque *Petri Comest.* Hist. scholast.
2. *Pineda* in Iob. Praef. III. 3.
3. Cfr iam *Ians. Gand.* in concord. evang. XI; *Maldon.* in Matth. 2,23; *Serar.* in l. Iudic. Proleg. 4.

71. — Alias ob rationes moderni « critici » varios esse libri nostri auctores statuunt; ob contradictiones enim, diversas sententias religiosas diversamque dictionem, quas sibi videntur invenisse, alii introductionem et appendices alteri auctori attribuunt, alii ipsum libri corpus miro modo discerpunt, singulosque eius versus theocratico, prophetico, deuteronomico scriptoribus suis vindicant, alii librum nescio a quo et quo tempore scriptum a nescio quo iuniore auctore auctum et retractatum esse dicunt[1]. Inanem caperemus laborem, si omnia haec systemata explicaremus omnesque cavillationes et ratiunculas, quibus nituntur, refutaremus; eas solas afferemus, quae speciem saltem difficultatis videntur habere, ut ex iis, quid ceterae valeant, diiudicet lector.

Mirum profecto prudens lector esse censebit, quod nonnulli interpretes exordium a reliquo libro separatum alteri scriptori dare voluerint[2]. Demto enim exordio truncum habebis acephalum vel potius lacera et disiecta membra, quae nec quid sibi velint nec cur sint in unum volumen coniuncta quisquam dixerit. In exordio theatrum nobis depingitur, in quo res narratae acciderunt, atque vinculum indicatur, quo ad unitatem rediguntur. Omnes enim narrationes atque etiam appendices eo tendunt, ut iustitiam et misericordiam, qua Deus suo populo invigilavit, ob oculos ponentes thesin illam explicent et demonstrent, quam exordium (2,11 sqq.) proponit.

Attamen ipsum hoc prooemium ex variis scriptis coagulatum esse asserunt, quia non tantum 1,18 contradicat 3,3, atque 1,27 sqq., si ad 3,3 attenderis, saltem abundet, sed etiam quia satis magna sit styli differentia inter 1,1-2,5 et 2,6-3,6 atque iterum inter 2,6-3,6 et 13,2-16,31. — Contradictionem autem inter 1,18 et 3,3 is solus inveniet, qui urbes semel occupatas iterum

amitti posse ignorat, atque 1,27 abundare is solus contendet, qui auctori ius denegat paucis verbis ea comprehendendi, quae fusius iam narravit. Differentiam vero dictionis eam adesse fatemur, quae quum ex diversorum fontium usu tum ex diverso partium argumento suo quasi sponte exoritur; alio quippe sermone in narratione (1,1-2,5 et 13,2-16,31, vel potius 3,7-21,25), alio in expositione vel meditatione (2,6-3,6) utimur.

Appendices (17,-21,25) quidem tam arcto nexu, quam exordium, cum reliquo libro non cohaerent; quapropter facilius a iuniore auctore libro terminato additae dici possunt. Ut autem a libro nostro, cui toto fine suo alligantur, eas avellamus, fortiora argumenta requiruntur, quam quae hucusque sunt prolata[3]. Theocratico enim spiritu destitutum fuisse auctorem appendicum asserunt adversarii, quia nimirum quater conqueratur regem eo tempore in Israel non adfuisse; ac si regia potestas theocratiae repugnet (cfr *Deut.* 17,14 sqq. et supra 28 p. 94), neque in appendicibus quidquam reperiatur, quod Legem mosaicam cognitam et agnitam supponat (17,7 sqq.; 19,18; 20,27; 21,17 etc.). In appendicibus « mythologiam » quoque desiderari aiunt, quo nomine probabiliter miracula designant; quae non pauca in praecedentibus pericopis narrantur. Si vero omnes illas partes, in quibus miracula non leguntur, alteri scriptori sunt tribuendae, etiam ultimas partes historiae Gedeonis et Iephte atque totam historiam Abimelech (8,1-9,57; 12,1-15) ex libro nostro exscindamus. At profecto pericopae istae, aeque atque appendices, licet miracula non narrent, fini auctoris mirifice inserviunt; quomodo enim respublica israelitica continua sua idololatria, frequentibus suis vitiis perpetuisque dissidiis internis necessario fuisset peritura, nisi exterorum populorum oppressione ad poenitentiam adducta Dei misericordiam efflagitasset, luce clarius ostendunt. Demum iterum styli differentiam exaggerant atque vocabula nonnulla ἅπαξ λεγόμενα afferunt, ut lingua et sermone appendices a reliquo libro differre demonstrent. Sed quid istis vocabulis demonstretur, non videmus, quum nemo ignoret sua quamque nostri libri pericopen habere ἅπαξ λεγόμενα; ex variis enim fontibus narrationes suas hausit auctor noster, et satis varia sunt argumenta, quae tractat.

Etiam in corpore libri contradictiones non paucas inveniri obiiciunt adversarii. Inter alia plura canticum Debborae (c. 5) cum praecedente narratione (c. 4) multifarie pugnare dicitur: in cantico omnia ab hominibus et humano modo geruntur, in narratione omnia Deo attribuuntur; in cantico multi reges Chanaan cum supremo suo rege Sisara contra Israel pugnant, in narratione unus rex Iabin commemoratur et Sisara non est nisi belli dux; in cantico Sisara ab Iahel occiditur, dum ante eam stans bibit, in narratione autem occiditur, dum profundo somno sopitus iacet, item pugnare 4,5.10 et 5,6. 14 sqq. 23[4]. Qui integra duo capita (4.5.) inter se conferre voluerit, procul dubio duas relationes inveniet, quae se mutuo complent, at alias differentias non inveniet, nisi eas, quae inter prosaicam rei narrationem et poeticam eiusdem rei descriptionem intercedere solent. Quaenam enim est pugna, si 4,5 Israelitae ad Debboram venisse dicuntur, et 5,6 additur, eos per calles devios ivisse? Aut si 4,10 duae tantum tribus, Zabulon et Nephtali, nominantur, quae maximam exercitus partem miserant

(cfr 5,18), in carmine autem aliae quoque tribus celebrantur, ex quibus saltem aliqui in auxilium venerant? Aut si in narratione de solo rege Iabin sermo est, qui solus populum oppresserat, in carmine autem multi reges Chanaan adfuisse dicuntur, quippe quos Iabin, quum bellum contra Israelitas immineret, in auxilium vocaverat? Sisara autem etiam in carmine non vocatur rex, nec ullo verbulo regia eius dignitas commemoratur; num vero in carmine omnia a solis hominibus gerantur, facile videbit, quicunque 5,20-22 legere voluerit, et carmen (5,3 sqq. 8. 13 etc.) non minus, quam narratio, victoriam miraculoso Dei interventui adscribit. Qui demum pugnam invenit inter 4,18-21 et 5,24-27, abstineat a legendis carminibus; eorum enim intelligendorum incapacem se esse prodit evidentissime.

Pugna quoque invenitur inter 6,19-24 et 6,25-32, quia Gedeon duo altaria exstruere et duo sacrificia offerre non potuerit; inter 7,27-8,3 et 8,4 sqq., quia idem, postquam cis Iordanem Madianitas devicit et Ephraimitae duos eorum principes occiderunt, fluvium transire Madianitarumque terram ipsam aggredi et duos alios principes capere non potuerit; inter 8,21 et 8,24 sqq., quia eidem, postquam ornamenta et bullas regalium camelorum tulit, aureas inaures Madianitarum sumere non licuerit[3]. Si hisce immoraremur, tempus nostrum perderemus, quemadmodum « critici » integrum tempus perdiderunt, quod cavillationibus istis conquirendis impenderunt.

Neque magis illi obiectioni inhaeremus, quae ex diversa narrandi ratione desumitur; alia enim paucissimis verbis absolvi (10,1-5; 12,8-15), alia fuse narrari et describi (4,4-26; 6-8; 9; 13-16; 17-21) conqueruntur adversarii nostri. Quomodo enim ex diversitate hac, quam adesse evidens est, ad diversos libri auctores concludatur, non intelligimus. Quod si auctor tempore eorum Iudicum, quorum nomina fere sola affert, nihil gestum esse vidit, quod suo themati explicando inserviebat, eorum profecto historiam iure suo omisit; nomina tamen eorum tacere noluit, quia etiam illo tempore Deum populo suo providisse demonstrabant.

1. *Eichhorn* (Einl. III. p. 428 sqq.) solas appendices iuniori scriptori attribuit; *Bertholdt* (Einl. III. p. 884 sqq.), *de Wette* (Einl. Ed. 7. p. 217) etc. introductionem et appendices a diversis additas dicunt; *Bleeck* (Einl. Ed. 3. p. 346. 349) partem introductionis (2,6-22) et appendices ab altero insertas putat; *Schrader* (de Wette Einl. Ed. 8 p. 327) singulas pericopas sententiasque inter scriptores suos theocraticum, propheticum, deuteronomicum distribuit; *Wellhausen* (Bleeck Einl. Ed. 4. p. 181 sqq.; Prolegomena 1883. p. 238 sqq.) et *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 236 sqq.) librum in particulas discerpunt, sed quibus eas earumque collectionem attribuant, incerti haerent; ab iis haud multum « orthodoxus » *Koenig* (Einl. 1893. p. 251 sqq.) differre videtur, si quidem etiam multos statuit auctores, sed nulli completam narrationem attribuit; similiter « orthodoxus » *Strack* (Einl. Ed. 4. 1895. p. 63 sq.) varios admittit auctores, multo plures autem *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896), qui praeterea tres vel quatuor fuisse redactores statuit.

2. Cfr *de Wette* Einl. Ed. 7. p. 218; iuxta *Reuss* (l. c. p. 336) « sine ullo dubio narratio (3,6-16,31) olim sola exstitit » et iuxta *Koenig* (l. c. p. 251) 1,1-2,5 non sunt conscripta velut introductio nostri libri »; *Wellhausen* (ll. cc.) difficultates a de Wette congestas multis minutiis auxit, librum autem nostrum sacrum tam rustico et plebeio modo tractat, ut virum catholicum cum tali adversario disputare pigeat.

3. Cfr *de Wette* l. c. p. 217; *Reuss* p. 342; *Wellhausen* ll. cc.; *Cornill* p. 84 sqq. etc.

4. *De Wette Schrader* l. c. p. 327; *Wellhausen* in Bleek Einl. Ed. 4. p. 188. 189, Prolegomena p. 251 sq.; *Cornill* l. c. p. 85 sq.; *König* l. c. p. 251 etc.

5. *Wellhausen* in Bleek Einl. p. 190 sqq. et Proleg. p. 248 sq.; *Cornill* l. c. p. 87 sq. Reliquas obiectiones, quas Cornill aliique cum Wellh. multas congesserunt, quum omnes eiusdem sint valoris, adscribere supersedemus.

72. — Quoniam igitur contra libri nostri unitatem, quae ex eius fine, ordine, dispositione satis elucet, seria obiectio nulla profertur, unum solum eius auctorem esse admittendum necessario sequitur. Quis vero ille sit et quo tempore vixerit, antiquitus iam inter interpretes catholicos quaestio erat controversa, neque maior modernorum interpretum est consensus. Nihil de ea statui posse censuit *Alph. Tostatus; Masius* vero « Esdram divino spiritu afflatum... Iudicum librum... ex diversis annalibus apud Ecclesiam Dei conservatis compilasse » putavit; neque ab eo dissensit *Rich. Simon*, quum Esdram operi ultimam manum admovisse diceret nonnullis narrationibus additis. Pauci quidam cum *Card. Hugone* regi Ezechiae collectionem variarum narrationum, quibus liber constet, attribuere voluerunt, illo argumento nixi, quod Ezechiae amici proverbiorum salomonicorum partem collegerint (*Prov.* 25,1). Moderni quidam Salomonis aetati librum attribuunt, quia auctoris finis praecipuus fuerit, ut filios Israel ab idololatria absterreret, maximum autem salomonico tempore fuerit periculum, ne in idololatriam delaberentur. Alii primis Davidis annis opus exortum esse credunt; denique antiquorum *Iudaeorum* fuit traditio Samuelem esse libri auctorem; eam recepit *S. Isidorus Hisp.*, quem secuti sunt plerique interpretes saec. 16. et 17. et satis multi moderni, qui hanc sententiam non certam quidem sed probabilem esse tenent[1]; eadem ratione nos eam tuemur.

1. *Alph. Tostat.* in l. Iudic. qu. 4 (attamen velut probabile habet Samuelem esse auctorem. Iud. 1. qu. 22. 25; 15. qu. 11; 17. qu. 4.); consentit *Bonfrerius* Prolegom. VII. sect. 3 et Praef. Comm. in Iudic. — *Masius* in Ios. Praef. (Migne Curs. S. Script. 7, 853), et *Rich. Simon* Hist. crit. du Vieux Test. p. 53. — *Card. Hugo* Post. in Ios. Prol. : « Quis [eas] in unum volumen compegerit, dubium est; quidam dicunt, quod Samuel, alii quod Esdras, alii quod Ieremias, sed verisimilius est, quod Ezechias, qui parabolas Salomonis et libros Regum collegit in unum ». — *Herbst* Einl. p. 120 (contradicente Welte, operis editore) salomonicum tempus statuit. — De Iudaeorum traditione cfr *Thalm.* Baba bathra f. 14. « Samuel scripsit librum suum, *librum Iudicum* et Ruth ». Iisdem fere verbis *S. Isidor. Hisp.* De offic. eccl. I. 12 (M. 83,747), atque pro eadem sententia *Serarius* (in Iudic. Proleg. 4) allegat *Driedonem*, *Ariam Mont.*, *Ioan. Bened.* aliosque; ex iunioribus eandem sententiam velut probabiliorem tenent *Calmet.* (Proleg. in Iud.), *Goldhagen* (Introd. II. 96). *Iahn* (Einl. p. 190), *Welte* (Einl. p. 121 sqq.), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 217), *Vigour.* (Manuel II. p. 46), *Zschokke* (Histor. sacr. p. 178), *Schanz* (Einl. p. 102), *Clair* (Les Juges et Ruth. 1878. p. 8), *de Hummelauer* (Comm. in Iud. 1888. p. 22 sq.). — Ex veteribus acatholicis pro eadem nonnulli allegantur a *Carpzov.* (Introd. I. p. 175); ex modernis eam adoptarunt K. F.

Keil (Einl. p. 195; Comm. p. 197), *Thornton* (The O. T. 1877.), *Lex mosaica* (1894. p. 191), *Rupprecht* (Des Räts. Lösg. II. 2. 1896. p. 370) etc. — Primis quidem Saulis annis librum adscribunt sed Samuelem esse auctorem negant ex catholicis *Scholz* (Einl. II. p. 282), ex acatholicis *Cassel* (Lange's Bibelwerk V. p. X).

73. — Revera enim sententiam, quae Samueli auctori librum nostrum attribuit, esse probabilem apparebit, si tempus, quo conscriptus est, definiverimus.

Iam a.) quum non semel auctor, quod ea aetate, quam describit, regem in Israel non fuerit, conqueratur, non immerito concludere nobis videmur, librum non esse exaratum, antequam regem sibi constituerant filii Israel[1]. Ante Saulis igitur aetatem scribi non potuit. Attamen auctor ex hoc regii imperii defectu omnia mala, quae aetate Iudicum rempublicam israeliticam devastabant, maxime vero idololatriam Danitarum atque dissidium inter tribum Beniamin reliquasque tribus derivat. Nondum igitur viderat reges, qui aut ipsi idololatriam in regnum introduxerant (uti Ieroboam) aut ei aperte favebant (uti Salomon ultimis regni sui annis), neque etiam viderat scissionem regnorum Iuda et Israel, quae imperio regio non obstante effecta erat. Ergo ante ultimos Salomonis annos opus suum videtur conscripsisse.

b.) Arctioribus autem limitibus tempus illud circumscribere licet, si attenderimus Iebusaeum ea aetate, qua auctor vixit, partem urbis Ierusalem occupasse et consuetum urbis nomen fuisse Iebus. Atqui David 7. regni sui anno « cepit arcem Sion » eamque integram potestati Israelitarum subiectam fecit regni sui sedem. Tota autem occupationis historia ita est comparata, ut Davidem Iebusaeos exterminasse appareat, etsi postea unus alterve in civitate habitaverit; atque ab eo tempore, quo arca foederis in montem Sion est translata, antiquum nomen Iebus prorsus disparet[2]. Ante 7. igitur Davidis annum liber videtur esse scriptus.

c.) Ex fine demum operis magna cum verisimilitudine concludimus, nec primis illis septem Davidis nec ultimis Saulis annis eum esse compositum. Absterrere enim vult filios Israel ab idololatria maximis poenis propositis, quas Deus propter eam populo inflixerat; iam vero idololatriae periculum nec ultimis Saulis nec primis Davidis annis magnum erat; quamvis enim penitus exstincta non esset, Saul tamen tanta cum sollicitudine et severitate Legem in Israel restituere conatus erat, ut versus finem vitae eius vix magus aut hariolus in tota terra repertus sit (1 *Reg.* 28,9). Immo vero ultimis Saulis et primis Davidis annis auctor etiam vidisset, interna tribuum dissidia imperio regio non esse sublata.

Omnia ergo conspirant, ut primis Saulis annis librum nostrum compositum esse dicamus. Quando nimirum Samuele senescente filiis-

que eius a recta via declinantibus Israelitae sibi regem postulaverant atque Samuel a Deo iussus votis eorum obtemperans Saulem regem constituerat, quam maxime opportunum erat, ut novo bello imminente Israelitis, qui semper ad idololatriam inclinabant, clare ob oculos poneretur, « prospera et adversa bellorum alternasse, sicut se habebant et peccata populi et misericordia Dei ». Ideo Samuel in ultima sua concione, quam Iudex de munere suo gesto ad integrum populum habuit, integri libri nostri consilium et argumentum quodam modo explicat : « Nunc ergo state, ut iudicio contendam adversum vos coram Domino de omnibus misericordiis Domini, quas fecit vobiscum et cum patribus vestris », et paucis verbis oppressionem Chananaeorum, Moabitarum, Philisthaeorum miraculosamque liberationem per Gedeon, Barac, Iephte prosecutus in hunc modum concludit : « Nunc ergo praesto est rex vester, quem elegistis et petistis; ecce dedit Dominus vobis regem. Si timueritis Dominum et servieritis ei et audieritis vocem eius et non exasperaveritis os Domini : eritis et vos et rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum. Si autem non audieritis vocem Domini, sed exasperaveritis sermones eius : erit manus Domini super vos, (sicut erat) super patres vestros »[3].

Quoniam igitur primis Saulis annis liber videatur esse attribuendus, cui auctori melius illum attribuemus, quam Samueli, qui argumentum et finem eius in ultima sua concione tam accurate nobis descripsit?

1. *Iudic.* 17,6; 18,1; 19,1; 21,25. Querelae hae in solis quidem appendicibus inveniuntur, sed appendices a iuniore manu esse additas nullo argumento probatur, quin etiam eas ad ipsum librum pertinere ostendimus. Ceterum in corpore libri similem temporis indicationem habemus. Philisthaeorum enim dominatio in Israel quadraginta annos durasse dicitur (13,1); Samson autem, ultimus Iudex « inceperat » dumtaxat eam infringere (13,5), decretorio proelio ei finem imposuit Samuel (1 *Sam.* 7,7-12); ergo post finitum bellum Philisthaeum scriptus est liber; finem autem belli mox secuta est electio primi regis. — Cum veritatis specie quadam nonnemo obiecerit, formulam istam in nostro adhibitam libro (« In diebus illis non erat rex in Israel ») vix ac ne vix quidem differre a simili, quam Moyses adhibuit (*Gen.* 36,1 : « Reges autem, qui regnaverunt in terra Edom, *antequam haberent regem filii Israel*, fuerunt hi » etc.), atque proinde eadem ratione sequi, illam Geneseos pericopen esse conscriptam, postquam Israelitae regem sibi constituerunt. Difficultas autem disparebit, si ad modum, quo ab utroque auctore formula adhibetur, integrumque ad contextum animum attenderis. Moyses enim illa utitur, ut *promissioni antea relatae fidem adhiberi posse ac debere* ostendat (*supra* 25 p. 86.); noster autem auctor, ut explicet, quomodo tanta morum corruptio exoriri potuerit : « In diebus illis non erat rex in Israel, sed *unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat* » (17,6; 21,25; cfr etiam nexum in 18,1 et 19,1). Moyses igitur suae aetatis statum comparat *cum futuro*, noster vero suam aetatem, in qua eadem morum corruptio non viguit, *cum praecedente* comparans indicare vult mutationis rationem.

2. *Iudic.* 1,21 cfr 19,10 sqq. — 2 *Reg.* 5,6.

3. 1 *Reg.* 12,8-15 cfr *Iudic.* 2,11-23.

Quae contra hanc sententiam obiiciuntur, non admodum videntur esse gravia. Si enim ultimis Salomonis annis magnum idololatriae periculum populo imminuisse urgent adversarii, id quidem adfuisse fatemur, sed quidquam ex hoc solo periculo ad libri originem explicandam deduci negamus; multa enim alia erant tempora, in quibus periculum istud non erat minus. Immo vero num Salomonis tempore filii Israel nostro libro ab idololatria absterreri potuerint, valde est dubium. Quamquam enim ultimis eius annis hostes nonnulli contra eum surrexerunt, regni tamen status satis erat florens atque idololatriae sequelae pessimae latebant; quapropter parum est probabile regem aut populum descriptis illis sequelis, quas non experiebantur, ex falsa sua securitate excitari potuisse, siquidem ne ipsa quidem Dei verba Salomonem permovere potuerant[4]. Aliter se res habebat primis Saulis annis, quando dominationis philisthaeae recens erat memoria atque regnum vix fundatum hostibus undique cingebatur.

Paullo maioris momenti est eorum obiectio, qui ultimis regum Iuda annis, postquam regni Israel incolae iam ab Assyriis in captivitatem abducti erant, librum nostrum scriptum asserunt, propterea quod Danitae idolum apud se « usque ad diem captivitatis suae » (hebr. et gr. « usque ad diem captivitatis terrae ») habuisse dicantur[5]. Verum animadverte, ab auctore duobus modis tempus, quo mansit idolum in civitate Dan, definiri : « usque ad diem captivitatis suae » (vel terrae), et « omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo ». Atqui arca foederis iam tempore Heli summi sacerdotis a Silo ablata nec unquam eo reversa est; tabernaculum foederis autem iam Samuelis tempore aut primis regis Saul annis ex Silo in Nobe et postea in Gabaon translatum est[6]. Evidens igitur est « diem captivitatis » de assyriaca captivitate non posse intelligi, nisi auctorem in eadem phrasi sibi contradixisse statuamus. Adde, Samuelem, Saulem, Davidem, atque primis regni annis etiam Salomonem omni vi et conatu idololatriam ex Israel abolevisse; num igitur credi potest, eos idolum, quod publico cultu in una ex praecipuis civitatibus colebatur non abstulisse? Ieroboam demum in Dan novum idolum posuisse refertur, ut post regni scissionem subditos suos a puro cultu Iahve averteret[7]; id autem superfluum fuisset, si ab antiquo iam alterum idolum in Dan fuisset superstes. Quomodocunque ergo res consideratur, de assyriaca captivitate auctorem non loqui manifestum est. Quapropter aut cum Caietano verba de captivitate quadam intelligamus oportet, in quam ultimo Iudicum tempore tribus Dan sit abducta[8], aut cum plerisque antiquis et modernis ea explicemus de arca foederis per Philisthaeos capta[9]. Utra ex his explicationibus sit praeferenda, aliis deficientibus fontibus difficile est dictu.

4. 3 *Reg.* 11,9 sqq. Cfr quae contra Herbst bene disputat Welte (*Herbst-Welte* Einl. II. p. 122 sq.).

5. Mirum, quod *Herbst* l. c. p. 121 ex his verbis iuniorem appendicum originem demonstrare conetur, atque *Hervey* (The Speaker's Bible. O. T. II. p. 121) hoc solo argumento aetatem libri definire velit.

6. 1 *Reg.* 4,4; 21,7; 1 *Paral.* 16, 39.

7. 1 *Reg.* 7,3. 4; 3 *Reg.* 12,25-29.

8. *Caietan.* i. h. l., qui vix habuit sequacem; perperam enim Calmetus hanc sententiam Estio, Serario, Corn. a Lap. attribuit.

9. Haec sententia inde a *Lyrano* (in Iud. 18,30), qui pro ea (*Ps.*) *Hieronymum* (in 1 Paral. 23,15. 16. M. 23,1452) allegavit, communis est inter interpretes catholicos et illos protestanticos, qui inspirationem admittunt. ***Serarius*** (in Iud. 18. qu. 7.) pro ea allegat ***Tostat.***, ***Vatabl.***, ***Ariam Mont.***, ***Riberam*** in Os. 10, ***Genebr.*** Chron., ***Monceium*** etc., atque moderni plerique allegari possunt. In explicatione tamen dissentiunt. Alii enim traditum textum עַד יוֹם גְּלוֹת הָאָרֶץ retinentes monent, eum ad literam significare « ad diem nudationis terrae », sed « ablata est (גָּלָה) gloria ab Israel » ac proin nudata est terra, « quum capta esset arca Domini » (1 ***Reg.*** 4,21 cfr Ps. 77,59-61), sedes et symbolum Dei inter populum suum commorantis. Alii vero levissima textus hebr. mutatione הארון pro הארץ post *Houbigant* legere malunt עד יום גְּלוֹת הָאָרוֹן « usque ad diem captivitatis *arcae* ». Cfr interpretes.

§ 16. — *De libri Iudicum auctoritate.*

74. — Libri Iudicum, etsi circiter trium saeculorum spatium complectatur ideoque non eadem ratione, qua quatuor ultimi libri mosaici et l. Iosue, auctorem habeat, qui omnium rerum narratarum testis ocularis fuerit, summam tamen esse AUCTORITATEM HISTORICAM hisce argumentis demonstramus.

1. Praeprimis librum initio regni saulici conscriptum esse demonstravimus, quo nimirum tempore auctori, quicumque ille fuerit, fontes non defuerunt, ex quibus totius illius tempestatis certam scientiam hauriret. Quod si enim Moysis et Iosuae aetate, immo iam ante Moysen, praeclara facinora filiorum Israel summa cum fidelitate literis mandari solebant, idem sub Iudicibus obtinuisse non mera videtur esse coniectura sed certum consectarium. Atque profecto tota libri nostri indoles id confirmat. Lege enim narrationes de Aod, de Gedeon, de Abimelech, de Iephte, de Samuel, de Micha et matre eius, de levita in Gabaa: innumeras res tam accurate propositas, tam dilucide depictas, tanta cum veritate expressas invenies, ut ubique testem ocularem tibi audire videaris [1]: atqui Samuel ipse (vel quicumque Saulis tempore librum composuit) rerum illarum testis ocularis non fuerat; ergo nisi ei incredibile fere fingendi ingenium attribuere velis, eum has narrationes ex fontibus coaevis hausisse fatendum tibi erit. Porro Debborae canticum, Ioathami parabolae, Iephtae legationem ad Ammonitas [2] ex antiquis fontibus scriptis desumta esse vix quisquam addubitaverit. Lingua praeterea in singulis pericopis non parum variat, neque apte explicatur tanta variatio, nisi auctor ea, quae in fontibus invenit, fideliter transcripsisse dicatur.

Praeter libros scriptos autem auctori traditio quoque oralis praesto

fuit; ad quam puram et sinceram conservandam non tantum quam plurimum iuvabant nomina ob certos eventus locis nonnullis aut personis indita[3], sed praecipue rerum ipsarum gravitas. Neque enim diuturnas illas et molestissimas hostium oppressiones, neque praeclaras ducum suorum victorias, neque insignia illa divinae misericordiae specimina populus oblivioni dare potuit. Accedit, quod nonnulla narrantur, quorum auctor ipse aut testis ocularis fuit aut quae saltem a testibus ocularibus audivit, Iephte enim et Samson coaevi fuerunt summi sacerdotis Heli atque ipsius Samuel (75. p. 224 sqq.).

2. Tota igitur quaestio in eo vertitur, utrum auctor fontibus suis arbitrario modo sit usus, an magna cum fidelitate ex iis narrationem suam hauserit. Cui quaestioni sine ulla haesitatione respondebit, qui iterum ad totius libri indolem attentionem suam converterit. Quapropter etiam in « critica schola » non desunt, qui « fidelem historicam traditionem » in plerisque saltem narrationibus nostris inveniant, licet simul, quoniam miracula atque ipsam divinam providentiam negant, aliis in pericopis populi fabellas, mythos mythologicumque characterem detegant[4]. Quam longe autem auctor noster abfuerit ab arbitrario fontium usu, ex eo iam elucet, quod facta nonnulla maximi momenti paucissimis verbis absolvat. Othniel, primus Iudex, victoria sua de Chusan Mesopotamiae rege reportata populo suo quadraginta annorum requiem procuravit; si auctor noster fictis fabulis narrationem suam ornare voluisset, latissimus ei hac occasione patuisset evagandi campus : tempore remotissima erat victoria, rex et populus devictus prorsus ignoti, pro libitu igitur phantasiae indulgere potuisset, si voluisset, at quatuor versibus oppressio, liberatio, quies absolvuntur nec ullum singulare factum attingitur. Num hac ratione narrant mythologi? Porro ea, quae de Israelitarum idololatria morumque corruptione deque tribuum dissidiis et invidiis narrat, scriptorem produnt, qui lectoribus suis blandiri noluit. Multo magis autem veracitas clarescit, si ad finem, quem sibi proposuerat, animos adverterimus. Populum enim ab idololatria revocare et ad fidelem Legis observantiam adducere fictis fabulis aut incertis rumoribus non potuit. Ea sola facta, quae omnibus nota dubitationi non relinquebant locum, in medium ei afferre licuit, ut divinis idololatriae poenis in memoriam revocatis salutarem terrorem mentibus iniiceret atque divinae misericordiae exemplis eas ad spem et fiduciam erigeret. Quae quum ita sint, prudens criticus libro nostro plenam auctoritatem historicam attribuere non dubitabit.

1. Cfr ex. gr. occisionem regis Eglon (3,19-25), Gedeonis vocationem (6,11-24), colloquium cum Madianitarum principibus et filio suo (8,18-21), mortem Abimelech (9,50-54), Iephtae votum (11,29-40), Samsonis totam historiam (13,2 sqq.), collo-

quia Michae cum matre (17,2-4), Danitarum cum levita (18,15-20), levitae cum socero (19,3-10), cum sene in Gabaa (19,16-21) etc.

2. *Iudic.* 5,1 sqq.; 9,8 sqq.; 11,12 sqq.

3. *Iudic.* 2,5; 4,5; 6,24. 32; 15,19; 18,12. 29.

4. Cfr *De Wette Schrader* Einleitung p. 327 : « Obschon mit wunderbaren mythologischen Zügen durchwebt, trägt die Erzählung zum Theil nicht nur das Gepräge einer echten, nicht verkünstelten Volksage, sondern sogar *einer treuen historischen Ueberlieferung* und gibt ein lebendiges Gemälde des Zustandes und der Sitten des Volkes in jenen Zeiten ». *Davidson* Introduction p. 469 : « The descriptions of the book are commonly natural and graphic, *bearing on their face the impress of historical truth... There is therefore no room for doubting that the historical traditions of the nation*, written and oral, but chiefly the former, are faithfully given ». Ipse quoque *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 94) concedere non dubitat, « dass im Richterbuch eine Reihe von durchaus alterthümlichen werthvollen Quellen vereinigt sind und *dass wir uns hier auf wesentlich historischen Bodem befinden* ». Recte igitur *Rupprecht* (Des Räts. Lösung. II. 1. 1896. p. 371) adnotat : « Unter allen Umständen haben wir ein Buch vor uns, das den Stempel treuer geschichtlicher Wahrheit trägt ».

75. — Praeter miracula, de quorum possibilitate disserere huius loci non est, alia nonnulla « critici » interpretes afferunt, quibus historicam auctoritatem libri Iudicum labefactent et convellant. Etsi enim una cum fabulosis etiam relationes vere historicas in libris Iudicum Samuelis Regum contineri concedant, eas tamen ab ultimo librorum redactore (Deuteronomico?) secundum certum systema retractatas ac mutatas esse contendunt, ut plena fides eis non debeatur. In libro nostro Iudicum duo praesertim ab eis vituperantur, chronologia quae artificiose sit facta, atque rerum inter se nexus, qui etiam veritati non correspondeat[1]; ne muneri nostro desimus, de utraque obiectione pauca dicemus.

Chronologiam libri nostri difficultatem quandam creare antiqui interpretes iam viderunt. Etenim 3 *Reg.* 6,1 ab exitu populi ex Aegypto usque ad templi aedificationem, i. e. usque ad 4. Salomonis annum quadringenti octoginta anni effluxisse dicuntur; at multo plures anni effluxissent, si ratio temporum in libro nostro tradita esset admittenda; spatium enim trecentorum nonaginta annorum complectitur, quibus si addiderimus quadraginta annos peregrinationis in deserto, saltem quinquaginta ab ingressu in terram promissam usque ad primam oppressionem (*Iudic.* 2,7), quadraginta sacerdotis Heli (1 *Reg.* 4,18), quadraginta Samuelis et Saulis (*Act.* 13, 21), quadraginta Davidis (2 *Reg.* 5,4) et tres primos Salomonis (3 *Reg.* 6,1), ab exodo usque ad templi aedificationem sexcentos tres annos numerabimus[2]. — Iam moderni « critici » censent quadringentos octoginta illos annos in 3 *Reg.* 6,1 correspondere duodecim generationibus, quae 1 *Paral.* 6,35 sqq. (cfr 5,27 sqq.) ab Aarone usque ad Achimaas summum sacerdotem Davidis tempore numerantur; generationibus autem quadraginta annorum etiam correspondere maiores numeros libri Iudicum (Othoniel 40, Aod 80 [= 2 × 40], Barac 40, Gedeon 40, Samson 20 [+ 20 = 40]) atque ita acta-

tem Iudicum complecti sex generationes, quibus si addantur tres generationes ante Othoniel (peregrinatio 40, Iosue 40, generatio post Iosue 40 ex *Iudic.* 2,10) et tres post Samsonem (Heli 40, Samuel et Saul 40, David 40), efficiuntur duodecim generationes vel quadringenti octoginta anni. Hinc sequi asserunt, minores numeros libri nostri ex alio fonte esse desumtos, atque libri auctorem omnia permiscuisse, quia rem non intellexit[3].

Attamen quam parum « critici » nostri rem intelligant, ex eo solo apparere arbitramur, quod ne duo quidem inter se consentiant nec sciant, quis valor annis interregnorum, oppressionum, minorum Iudicum attribuendus sit[4]. Relinquamus igitur eos, usque dum certum et clarum systema ab integra « schola critica » admissum proponant; interea unum illud monemus, perperam et sine ullo fundamento scripturistico numerum quadragenarium statui numerum cyclicum generationum. Profecto quadraginta anni peregrinationis in deserto a nullo sacro scriptore pro numero rotundo habiti sunt aut haberi potuerunt, siquidem primi et secundi anni nobis indicantur menses et a secundo peregrinationis anno usque ad ultimam Moysis concionem numerantur triginta octo anni[5]; ille numerus igitur non est rotundus sed accuratus. Anni quadraginta Iosuae arbitrario attribuuntur; tantum enim abest, ut fundamentum in scriptura habeant, ut omnes libri Iosue interpretes minorem annorum numerum ei attribui viderent (61. n. 4. p. 194) Generationi, quae viderat magnalia Domini (*Iudic.* 2,7), quot anni attribui debeant, prorsus ignoratur. Restant igitur nostri solius libri numeri; iam in eo quater legitur numerus quadragenarius, semel octogenarius, bis vicenarius, sed duodecim saltem numeri annorum, qui nec multipla sunt numeri quadragenarii nec eius partes aequales. Si generatio ab auctore libri habita esset quadraginta annorum, Iephte ab occupatione terrae transiordanicae usque ad suam aetatem non trecentos annos numerasset, sed vel septem vel octo generationes i. e. vel ducentos octoginta vel trecentos viginti annos. Quod argumentum eo magis adversarios nostros constringit, quia plerique unum solum librorum historicorum statuunt redactorem ultimum. Illud facile concedimus, numerum quadragenarium vel octogenarium etc. eo sensu in nostro libro esse rotundum, quod oppressio vel quies forte non accurate quadraginta etc. annos duraverint, sed triginta sex vel septem etc. aut etiam quadraginta quatuor vel tres etc.; at numerum istum esse cyclicum generationis non asserendum dumtaxat, sed argumentis demonstrandum est; idque eo magis est necessarium, quo minus hucusque ullibi in antiquitate vestigium istius cyclici numeri inventum est (Cfr *infra* 102. n. 2). Quibus praemissis transeamus ad illas difficultatis chronologicae solutiones, quae ab orthodoxis scriptoribus sunt propositae.

Alii igitur numerum, qui 3 *Reg.* 6,1 legitur, utpote librarii errore exortum corrigere volunt[6]; at violentum est hoc remedium nec satis aptum, siquidem synchronismi aegyptiaci breviorem potius quam longiorem periodum inter exitum et Salomonem postulare videntur. Quare alii numeros Iudicum rectius ita coniungunt, ut summa eorum cum 3 *Reg.* 6,1 componi possit. Non eadem autem omnibus est coniungendorum numerorum ratio. Antiqui

Iudaei, quibuscum consentit Eusebius in Chronico quosque sequuntur etiam interpretes nonnulli, annos oppressionis connectunt cum annis quietis per Iudicem subsequentem procuratae, ut tempus Iudicum sit ducentorum septuaginta novem dumtaxat annorum[7]. Recte autem monet Calmetus « hanc digerendorum annorum rationem consuetudini repugnare et omnem vocum naturalem significationem turbare ». Illis igitur assentimur, qui nonnullos Iudices eodem tempore sed in diversis terrae partibus munus suum exercuisse docent. Octoginta illis annis, quibus terra post Moabitarum cladem quievit, Iabin rex Chanaan tribus septemtrionales opprimere potuit, ut tribus illae non nisi post victoriam Debborae et Barac quietem quadraginta annorum invenerint; sexaginta ergo anni (4,3; 5,31) disparent. Ex ipsa narratione (10,7) elucet, eodem tempore Ammonitas trans Iordanem et Philisthaeos cis Iordanem filios Israel oppressisse; Iephte igitur, Abesan, Ahialon et Abdon coaevi fuerunt Samsonis et Heli[8]. Iure autem nostro synchronismos in libro nostro adesse censemus, quum evidens sit, auctorem annales conscribere noluisse, sed factis historicis pericula idololatriae et fructus observantiae Legis docuisse; quam ob causam accuratum *systema* chronologicum in eius opere quaerere non licet, quamquam omnes numeri veritati consonant.

1. Cfr *Wellhausen* Prolegomena zur Gesch. Israels p. 238 sqq., qui praedecessorum suorum vestigiis inhaerens eorum obiectiones colligit et pro more suo rudiore modo proponit.

2. Hi numeri in l. Iudicum traduntur :

Chusan, rex Mesopotamiae, dominatur in filios Israel (3,8) annos. .	8;
post Othonielis victoriam terra quievit (3,11) annos.	40;
Moabitae dominatio (3,14) annorum.	18,
destruitur per Aod et quievit terra (3,30) annos.	80.
Iabini regis Chanaan oppressionem annorum.	20,
sequitur post Debborae victoriam quies annorum.	40.
Madianitarum oppressio (6,1) durat annos.	7;
atque iterum quievit terra post Gedeonis victoriam (8,28) annos. . .	40;
Gedeonem sequitur filius eius Abimelech (9,22) annis.	3.
Quem sequuntur Thola (10,2) per annos	23;
et Iair (10,3) per annos	22.
Ammonitae opprimunt filios Israel (10,8) annis.	18,
sed devincuntur a Iephte, qui iudicat (12,7) annos.	6;
et successores habet Abesan (12,9) per annos.	7;
Ahialon (12,11) per annos.	10;
Abdon (12,14) per annos.	8.
Demum Philisthaeorum dominatio durat annos.	40.
Summa.	390.

Annos 20 Samsonis (16,31) non computamus, quia « incepit » dumtaxat debellare Philisthaeos ideoque eius anni tempore dominationis philisthaeae comprehendi omnino videntur.

3. Hac ratione systema rationalisticum primus explicavit *Bertheau* Das Buch der

Richter u. Rut. Leipzig 1845. p. XVIII sqq.; alii secuti sunt, Ewald, Nöldeke, Seinecke, Wellhausen etc. sed suo quisque modo.

4. Recte ipse *de Orelli* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XII. p. 775 : « Die Verschiedenheit der kritischen Hypothesen von Bertheau, Ewald, Nöldeke, Wellhausen, Reuss u. a. zeigt, dass auch von den Praemissen der modernen Kritik aus das Räthsel sich nicht evident lösen lässt ».

5. *Exod.* 16,1; *Num.* 1,1; 9,1; *Deut.* 1,3; 2,14.

6. Qui haud raro ad *Act.* 13,20 provocant, quo ex textu Iudicum aetatem integram (Heli et Samuele inclusis) quadringentos quinquaginta annos comprehendisse concludunt. At parum recte. Licet enim textus graecus *receptus* numerum ad Iudicum historiam revocet, meliores tamen codices graeci (א. B. A. C.) cum Vulg., Copt. utraque, Arm. versionibus cum ad membrum praecedens trahunt tempusque a Dei promissione de terra danda (*Gen.* 17,8) usque ad promissionis impletionem numero illo definiunt. (Legendum igitur : καὶ καθελὼν ἔθνη ἑπτὰ ἐν γῇ Χαναὰν κληρονόμησεν τὴν γῆν αὐτοῖς ὡς ἔτεσιν τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα. Καὶ μετὰ ταῦτα ἔδωκεν κριτὰς ἕως Σαμουὴλ κτλ. Pro quibus *textus receptus* : καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσιν τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκεν κριτὰς ἕως Σαμουὴλ κτλ.) Testium enim istorum « coniuncta auctoritas, inquit *Tischendorf* (i. h. l.), deserenda non est, nisi gravissima ac satis evidens ratio suadeat. Est autem ea, quam praebent, lectio minime ita comparata, ut non possit non ad emendationem referri ».

7. Cfr *Euseb.* Chron. ad a. Abrahami 573 (M. 19,385) : « Post mortem Iesu subiectos tenuerunt Hebraeos alienigenae annis octo, qui coniunguntur temporibus Gothoniel *secundum Iudaeorum traditiones* ». Eadem ad a. Abr. 612. 692 etc. — *Usher.* in sua Chronol. hoc systema sequitur; cfr *Calmet.* Comm. in Iudic. Prolegom. (Ed. Venet. 1754. II. p. 156).

8. Non eodem modo ab omnibus synchronismi definiuntur; paucis mutatis equidem schema chronologicum praefero, quod ab exodo usque ad templi aedificationem exponit *Hülskamp* in Rohrbacher Hist. eccl. Edit. germ. II. p. 87.

Peregrinatio in deserto	40	
Ab ingressu in terra usque ad mortem Iosue	33	= 307 anni; cfr *Iudic.* 11,26.
A morte Iosue usque ad primam oppressionem	33	
Dominatio Chusan et quies post Othonielis victoriam	48	
Moabitarum oppressio	18	
Quies terrae post victoriam Aod	80	
Hoc tempore Iabin tribus septemtrionales 20 annis opprimit, ac Debbora victoria sua eis quietem 40 annorum obtinet.		
Madianitarum oppressio	7	
Gedeon et Abimelech, filius eius	43	
Thola et Iair	45	
Ammonitarum oppressio trans Iordanem (18), Iephte (7), Abesan (7), Ahialon (10), Abdon (8)	49	
Eodem tempore cis Iordanem dominantur Philisthaei 40 annis, quos impugnant Samson (20 annis) et coaevus eius Heli (40 annis).		
Samuel et Saul	40	
David	40	
Salomonis tres primi anni	3	
Ergo ab exitu ex Aegypto usque ad templi aedificationem	479	

Ab hoc schemate non multum differt illud, quod erudite exponit *D. Palmieri* S. I. (De veritate histor. libri Iudith aliisque Scripturarum locis. 1886. p. 145 sqq.), neque multum ab eis recedit *Bachmann* (Das Buch der Richter. 1868. p. 53 sqq.).

Haud paucis, opinor, altera obiectio, qua artificioso quodam (sed fictitio) nexu religioso auctor noster historiam adulterasse accusatur, refutatione indigna videbitur, ac profecto silentio eam praetermitteremus, nisi a modernis « criticis » *praecipua* diceretur. Irrident scilicet auctori nostro, quia illius aetatis historiam ita narraverit, ut miro quodam modo idololatriam populi sit secuta oppressio, oppressionem poenitentia, poenitentiam auxilium divinum et quies, donec series illa eadem ratione iterum iterumque repetatur; neque minus ridiculum esse censent, quod alii actores praeter Dominum Deum et Israel in scenam non producantur. Hostilibus enim illis incursionibus monent non integrum populum esse afflictum, sed unam alteramve tribum, neque oppressiones illas tempore sese excepisse, sed eodem tempore varias tribus a variis hostibus esse afflictos. Auctorem autem in eo errare, quod illa iam aetate filios Israel unam constituisse rempublicam supponat, quippe quae diu postea sit exorta. Multo magis vero eum errare, quum statum rerum in peiorem semper esse mutatum credat; revera enim semper meliorem esse factum rerum israeliticarum statum, donec tandem in fine illius aetatis capaces facti sint filii Israel, qui rege electo in perfecti regni formam sese constituerent[3].

Procul dubio vicissitudines illas adversorum et prosperorum, quae peccatis et poenitentiae populi correspondebant, ille non admittet, qui divina providentia negata Deo illud quoque ius abiudicat, ut poenis inflictis populos peccantes ad se revocet. Sed deisticorum praeiudiciorum absurditatem demonstrant philosophi, ad quos « criticos » nostros relegamus. Blasphema igitur illa irrisione omissa ad eorum argumenta veniamus. *Nonnullas* oppressiones narratas non integrum populum sed unam alteramve tribum afflixisse eodemque tempore a variis hostibus varias tribus esse vexatas, nos quoque probabile esse diximus, quia semel saltem liber noster ipse (10,7) id innuit atque chronologiae ratio id videtur postulare. At num reliquae tribus ad poenitentiam non adducebantur, si ob eadem crimina, quibus ipsae deditae erant, fratres suos gravissimis poenis videbant afflictos? Atque si eodem tempore variae tribus a variis hostibus opprimebantur, nonne multo magis integer populus ad Deum suum reverti cogebatur? Ceterum nonnullae dumtaxat calamitates fuerunt simultaneae; alias enim fuisse successivas minae ter repetitae docent (*supra* 69 p. 210). — At nonne arbitrario supponuntur ita unitae inter se fuisse israeliticae tribus, ut una alterave afflictis reliquae quoque ad poenitentiam adducerentur? Id quidem minime, dummodo libris historicis et propheticis ulla fides debeatur. In hac enim quaestione cardo rei vertitur. Si adversariis nostris credimus, Israelitae Iudicum aetate non constituerunt unam rempublicam, quae iisdem legibus politicis et religiosis regebatur, sed variae erant tribus nescio unde exortae, quae suis quaeque legibus regebantur suosque quaeque deos colebant, usque dum tandem a regibus in unam rempublicam nescio quomodo adunatae pro

deo suo proprio assumerent Iahve. Quoniam vero vident, id non asserendum dumtaxat, sed probandum esse, ideo praeprimis authentiam Pentateuchi reiiciunt, et quia Pentateuchus in omnibus libris iunioribus cognitus et agnitus supponitur, ideo authentia et auctoritas omnium librorum historicorum negatur. Atque demum quia libris omnibus reiectis nihil omnino de antiqua historia Israelitarum scire possunt, ex illis ea admittunt, quae in suam sententiam facere opinantur. Quod systema quam arbitrarium quamque absurdum sit, nemo non videt, nisi qui historiae a priore construendae et fontium historicorum pro libitu tractandorum ius sibi arrogaverit. Sed omittamus haec, ut quid in libro nostro invenerint diiudicemus. Secundum librum igitur nostrum status Israelitarum semper in peiorem mutatus esse dicitur, quamquam ex historia (nescio qua) constet eum semper meliorem esse factum usque dum regnum perfectum evaserit. Attamen peiorem esse factum statum populi aetate Iudicum liber noster nec asserit nec innuit; id unum docet eandem semper permansisse Israelitarum inclinationem ad idololatriam eandemque ad vitia proclivitatem, ut nec severis iustitiae poenis nec benignis misericordiae documentis per longum tempus in fideli Legis observatione retineri potuerint; unde tandem factum est, ut populus ipse clarius cognosceret se strenuo gubernio indigere, quo in debitis officiis retineretur. Si comparatione uti licet, liber Iudicum reipublicae israeliticae, cuius conceptionem et nativitatem descripserant Pentateuchus et liber Iosue, pueritiam enarrat, adultae autem aetatis eius historiam referunt sequentes libri. Quemadmodum pueri minis, poenis, blanditiis parentum per breve dumtaxat tempus corrigi solent, donec crescente prudentia sub strenua magistri manu in recta via incedere discant, ita Israelitae Iudicum aetate a Deo velut a bono patre paullatim eruditi sunt, ut suam ipsorum infirmitatem clarius perspicientes strenui gubernii necessitatem agnoscerent. Id ipse nos docet libri auctor, quando in appendicibus quater monet, illa aetate regem non adfuisse in Israel et unumquemque fecisse, quod sibi placuisset. Progressus igitur quidam in libro nostro adest, isque longe diversus ab illo, quem « critici » moderni postulant, quum historiam aetate Iudicum eundem semper in orbem circumagi asserant[10]. Progressus enim non est ab imperfectiore statu reipublicae ad perfectiorem nec a tribuum divisione ad regni unitatem, sed ab imperfectiore cognitione populi ad perfectiorem, quum suae infirmitatis conscius regem postularet, a quo secundum Legem divinam iudicaretur. Neque enim filii Israel cousque nec auctor libri nostri pravos illos reges viderant, quos satis multos populus erat habiturus, a quibus a recta via abduceretur, sed sperarunt eos omnes tales fore, quales Lex postulavit, « qui semper secum haberent volumen Legis et legerent illud omnibus diebus vitae suae, ut discerent timere Dominum Deum suum et custodire verba et ceremonias eius, quae in Lege praecepta sunt » (*Deut.* 17,19).

9. Cfr praesertim *Wellhausen* Prolegomena p. 240 sqq. et *Reuss* Geschichte des A. T. p. 338. Ex priore, qui rem fusius tractat, pauca adscribere non erit abs re, ut omnes videant, quam blasphemo modo libri nostri sacri a recentissima schola « cri-

tica » tractentur. « Aber *die Hauptsache*, inquit, *ist* nicht die Chronologie, sondern *die religiöse Verknüpfung der Begebenheiten*... Man wird an Satz Gegensatz Vermittlung erinnert, wenn man sich den einförmigen Takt ins Ohr klingen lässt, nach dem hier die Geschichte fortschreitet oder sich im Kreise dreht : Abfall, Drangsal, Bekehrung, Ruhe; Abfall, Drangsal, Bekehrung, Ruhe. Die einzigen Subjecte aller Aussagen sind Iahve und Israel; ihr Verhältniss allein ist es, was den Weltlauf in Bewegung setzt, je nachdem in entgegengesetzter Richtung, so dass es schliesslich immer auf demselben Flecke bleibt... Dass dies alles nicht zum eigentlichen Inhalt der Tradition gehört, sondern eine darüber gezogene Uniform ist, wird anerkannt (sc. a « criticis »)... Der falschen Continuität liegt eine falsche Verallgemeinernng zu Grunde. Aus lokalem Nebeneinander entsteht ein zeitliches Nacheinander, indem auf's Ganze bezogen wird, was vom Theile gilt, indem immer die Kinder Israels in corpore auf den Schauplatz treten, von den Feinden bedrückt und von den Richtern gerichtet werden. In Wirklichkeit treten nur die einzelnen Stämme als handelnd auf; die Richter sind Stammhelden.... Die Einheit Israels ist nun aber die Voraussetzung für das theokratische Verhältniss, für den Gegensatz von Israel und Iahve, wodurch nach dem Schema der Verlauf der Geschichte einzig und allein bedingt wird... Dieser pedantische Supranaturalismus, *die heilige Geschichte nach dem Recept*, findet sich in den ursprünglichen Erzählungen nicht. Israel ist da ein Volk wie andere Völker, und auch sein Verhältniss zu Iahve wird nicht anders aufgefasst, als z. B. Moab's Verhaltniss zu Kamos. An Erscheinungen und Zeichen der Gottheit fehlt es nicht, aber die Wunder sind so, dass man wirklich sich darüber wundert. Sie durchbrechen hin und wieder den irdischen Nexus, bilden jedoch kein zusammenhängendes System; sie sind Poesie, nicht Prosa und Dogmatik. Im Ganzen aber wird der geschichtliche Prozess, obwohl scheinbar krauser und verworrener, in Wirklichkeit doch viel begreiflicher, und obwohl scheinbar zerrissener, schreitet er in Wirklichkeit zusammenhängender fort. Es geht bergauf auf das Konigthum zu, nicht bergab von der Glanzzeit Mose's und Iosua's ».

10. Cfr *Wellhausen* l. c. p. 241.

76. — In libri nostri DIVINAM AUCTORITATEM non est, quod multum inquiramus, quoniam eum semper in canone veteris Synagogae et Ecclesiae fuisse inter omnes constat. Admodum paucae quidem in N. T. reperiuntur allusiones ad Iudicum aetatem; at S. Paulus in sua concione pisidiensi et in epistola ad Hebraeos librum nostrum eodem in ordine habet, in quo reliquos libros, ex quibus exempla sua desumsit[1]. Paullo frequentiores allusiones in V. T. libris sunt; Siracida Iudices celebrat, quorum memoria futura sit in benedictione, psalmistae non tantum argumenti summam paucis versibus comprehendunt, sed singula quoque facta narrata commemorant; Isaias quoque Madianitarum oppressionem et cladem in memoriam revocat, atque eius tempore petra Oreb nomen suum, quod Iudicum aetate acceperat, adhuc conservabat[2] etc.

Neque canonicitati libri obest, quod nonnulla narrat, quae legibus moralibus non consentiant. *Origenes* utique Iudicem Aod dixit « sapientissima arte quadam et callida quidem sed laudabili deceptione regem Eglon interemisse »[3], Scriptura autem istam occisionem nul-

libi approbat, nedum laudet. Num Iahel Sisaram decipiens et occidens peccaverit necne, disputant interpretes, at iterum Scriptura illam ob fortitudinem quidem et pietatem in patriam celebrat, de occisionis autem honestate nihil tradit. Quare de utroque facto id valere arbitramur, quod de Iudith docet *S. Thomas* : « Quidam commendantur in Scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quandam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quaedam indebita facienda. Et hoc modo laudatur Iudith, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis sese exposuit »[4]. Multo minus contra libri canonicitatem ea afferre cuiquam licet, quae de Samsone narrantur. Ea enim, quae peccaminosa egit, fideliter quidem narrat sed non approbat auctor; quae vero Deus Samsoni praestitit, ea in populi gratiam dedit, non vero ob Samsonis merita. Ceterum epistola ad Hebr., si Samsonem inter fidei testes enumerat, cum « se ipsum cum hostibus ruina domus oppressisse docet, *quia Spiritus latenter hoc iusserat*, qui per illum miracula fecerat »[5]. De Iephtae voto quid sentiendum sit supra iam diximus[6].

1. *Act.* 13,20; *Hebr.* 11,32.
2. *Eccli.* 46,13-15; — *Ps.* 82,10 sqq. cfr *Iudic.* 7,22. 25; 4,15. 24; 8,21; — *Ps.* 105,34-46 et *Iudic.* 2,11 sqq.; — *Is.* 9,4; 10,26 et *Iudic.* 7,22. 25. — *Ps.* 97,8. 9. desumti sunt ex cantico Debborae *Iudic.* 5,4. 5. etc.
3. *Origen.* in Iudic. hom. 4,1 (M. 12,967).
4. *S. Thom. Aq.* Summa theol. II. 2. qu. 110. a. 3 ad 3. Cfr *Serar.* in l. Iudic. 4. qu. 22 etc.
5. *S. August.* De Civ. Dei. I. 22. 26 (M. 41,35. 39).
6. *Supra* 21. 3. n. 11. p. 75.

§ 17. — *De libri Ruth argumento, fine, auctore, indole.*

77. — « In diebus, quando Iudices praeerant », centum viginti fere annis, uti videtur, ante Davidis regnum, Elimelech quidam Bethlehemita cum uxore sua Noemi duobusque filiis, Mahalon et Chelion, patriam relinquere et in Moabitarum terram transmigrare fame coactus est. Filii eius moabiticas uxores duxerunt, Orpham et Ruth; decem autem annis elapsis, quum Elimelech filiique eius morte essent abrepti, Noemi in patriam reverti statuit eamque licet abnuentem secuta est Ruth, altera nuru in Moab remanente. Bethlehemi messis tempore egressa Ruth, ut spicas colligeret, ad agrum venit Booz viri de cognatione Elimelech; a quo benigne recepta per totam messem cum ancillis eius versata est. Terminata autem messe Ruth socrus suae

consilio obsecuta a Booz petiit, ut secundum leviratus legem uxorem se duceret; neque abnuit vir, sed quoniam alius quidam in civitate propinquior aderat, coram senioribus rem egit, atque altero iuri suo renuntiante, agrum Elimelech sibi vindicavit et Ruth, nurum Elimelech, uxorem duxit, ex qua genuit Obed, qui fuit avus Davidis regis.

Hoc est *summum argumentum* pulcherrimi libelli Ruth, quem cum libro Iudicum coniunximus non tantum quia in nostro canone eum immediate sequitur, sed quia eius pars quaedam et complementum recte dici videtur. Etenim praeprimis certum omnino est, olim apud Iudaeos Iudices et Ruth unum librum constituisse, quamvis in hodierno Iudaeorum canone libellus noster ob liturgicas rationes ex antiqua sua sede remotus cum quatuor aliis in unum librum sub nomine « Quinque Volumina » coniunctus et in tertia sectione canonis iudaici sit collocatus[1]. Certum autem hoc nostrum assertum diximus ob diserta testimonia *Origenis*, *Epiphanii*, *Hilarii*, *Hieronymi*, quibuscum non obscure consentit ipse *Fl. Iosephus*[2]. Tota quoque libelli indoles postulat, ut arcte cum libro Iudicum coniungatur. Ipsa, qua inchoatur, formula (« in diebus, quando Iudices praeerant ») alteram similem in memoriam revocat, quae quater in duabus appendicibus praecedentis libri adhibetur nec usquam in aliis libris invenitur (« in diebus illis non erat rex in Israel »). Ex qua formula totum quoque libelli nostri argumentum ad Iudicum aetatem pertinere manifestum est. Finis demum utriusque libri idem est vel saltem affinis. Auctor enim libri Ruth noluit, id quod aliquibus placuit, matrimonium leviratus commendare; parvum enim istud est et leve libri momentum; multo enim efficacius Lege ipsa levirorum officia et iura inculcabantur, quam uno exemplo narrato. Neque tolerantiam erga alienigenas Deo acceptam esse demonstrare voluit; neque enim unquam Israelitae illos extraneos, qui « sub Domini alas confugerunt », repellere sunt conati. Neque domum davidicam voluit commendare; eius enim origo semimoabitica profecto apud Iudaeos domui davidicae non ducebatur laudi. Neque demum, id quod plerisque interpretibus catholicis placuit, Davidis genealogiam, quippe quae desideretur in libris Samuelis, voluit supplere; mirum enim procul dubio esset, si integram historiam Ruth narrasset, ut quinque versibus ultimis occasionem haberet genealogiae davidicae texendae[3]. *Quis verus fuerit auctoris finis* attentum lectorem non fugit; integer enim libellus ostendit, omnes omnino homines atque illos ipsos, qui a Domino longissime, velut Moabitae (cfr *Deut.* 23,4), abesse creduntur, a Domino non tantum non reiici, sed maxima cum caritate recipi summisque beneficiis ornari, quamprimum sese converterint et sub alas eius confugerint. Quam ob causam liber Ruth aptissimum est complementum duarum appendicum libri Iudi-

cum. Dum enim illae docent, quo tandem idololatria (*Iudic.* 17. 18.) et morum corruptio tribuumque discordia (*Iudic.* 19-21) ipsum populum electum adduxerint, tertia haec appendix demonstrat, quo idololatras ipsos adducat vera pietas et fiducia in Dominum. Hac sola ratione tres appendices simul sumtae aptam clausulam libri illius constituunt, qui totus in eo est, ut pro populi peccatis et poenitentia alternasse eius adversa et prospera ostendat; quare aliquid libro Iudicum deesse omnino videtur, si libellus Ruth ab eo avellitur. Optimo igitur iure iam *Lyranus* « librum Ruth non esse librum distinctum a libro Iudicum » dixit, atque minus recte alii interpretes eum « *quasi* appendiculam » vocarunt; prorsus autem a vero aberrare videntur, qui libellum nostrum ad duos priores Regum libros trahere voluerunt, cum quibus nihil habet commune[4].

1. Cfr *Introd. gener.* Ed. 3. nn. 15. 18. pp. 32. 36.

2. *Orig.* in Ps. 1. (M. 12,1084 cfr Eus. H. E. VI. 25. M. 20,580) : « Septimus Iudices et Ruth, unico volumine apud Hebraeos comprehensi, quod appellant Sophetim »; *S. Epiph.* de pond. et mens. 4 (M. 43,244) : « Iudicum liber cum libro Ruth »; *S. Hilar.* in Psalm. Prolog. 15 (M. 9,241) : « Iudicum et Ruth septimus liber »; *S. Hieron.* Prolog. galeat. : « Deinde subtexunt (Hebraei) Iudicum librum et in eundem compingunt Ruth, quia in diebus Iudicum facta narratur eius historia. » *S. Isidor. Hisp.* in suis Quaest. in V. T. (M. 83,391) libellum Ruth velut partem l. Iudicum explicat. — *Ioseph.* c. App. I. 8, quum prophetas historiam populi a Moyse ad Artaxerxem usque « tredecim libris » complexos esse asserat, nostrum libellum exclusisset, si eum in libro Iudicum non habuisset. At in suis Antiqu. (V. 9) eum velut unum ex fontibus adhibet, quorum auctoritatem contra Appionem (l. c.) defendit.

3. Commendationem matrimonii leviratus pro fine habuerunt *Bertholdt* (Einl. V. 2. p. 23 57), *Benary* (de Hebraeorum leviratu. 1835. p. 30) etc.; tolerantiam erga alienigenas commendatam vidit *Dereser* (Die h. Schrift. II. 2 p. 6); domus davidicae laudes finem dixerunt *Cleric.* (de scriptor. libr. hist. p. IV), *Eichorn* Einl. III. p. 454) etc. — Laudem pietatis primarium esse finem censet *de Hummelauer* (Comm. in Iudic. p. 355); genealogiae davidicae supplendae causa librum esse scriptum cum *Card. Hugone*, *Serar.*, *Bonfrer.* etc. tenent *Herbst-Welte* (Einl. II. p. 133), *Danko* (Hist. revel. V. T. p. 216), *Vigouroux* (Manuel II. p. 63), *Zschokke* (Hist. sacr. p. 179), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 22).

4. Cfr *Lyran.* in l. Iud. 17,1 et in Ruth 1,1. — « *Quasi* appendiculam » libellum vocant *Bonfrer.* (Praef. ad l. Ruth), *Celada* (Proleg in 4. l. II. qu. 2.) etc. — *S. Augustino* (Doctr. christ. II. 8. M. 34,41) libellus « magis ad Regnorum principium pertinere videbatur », eumque sequitur *Danko* (l. c.).

78. — Quoniam igitur libellus Ruth nihil est nisi tertia appendix libri Iudicum, in eius originem ulterius inquirere opus non est; pulcherriman enim hanc narrationem una cum reliquis, quae de Iudicum aetate agebant, Samuel senex in suum Iudicum librum recepit. Revera Samuelem auctorem nominant antiqui Iudaei, quos una cum S. Isidoro Hisp. plerique antiquiores interpretes sequuntur[1]. Quorum

sententiam longe probabiliorem habemus omnibus recentium, praesertim protestanticorum, coniecturis, **quibus a davidica usque ad machabaicam** fere aetatem per totam historiam israeliticam errant, ut libelli nostri originem explicent. Alii enim eius scriptorem Esdra multo recentiorem esse tenent (*Berthean*, *Wellh.*, *Cornill*) alii ab ipso Esdra librum conscriptum censent (*Masius*), alii eum scriptori vel redactori tempore exsilii sed ante Esdram degenti attribuunt (*Ewald, de Wette, Schrader, Koenig*), alii eum ultimorum regum Iuda aetate (*Reuss, Oettli, Driver*) aut satis diu post Davidem (*Welte, Danko*), aut brevi post Davidem (*Scholz*, *Keil*) prodisse arbitrantur. Verum ni fallimur, modus ille candidus et ingenuus, quo Ruth Moabitis vocatur Davidis proava eiusque virtutes celebrantur, satis clare docet, librum eo tempore non esse scriptum, quo maxima erat oppositio Iudaeos inter et alienigenas. Quis enim sibi persuaserit, librum talem in lucem esse emissum eo tempore, quo Esdras reduces ex exsilio alloquebatur : « Vos transgressi estis et duxistis uxores alienigenas, *ut adderetis super delictum Israel* », Nehemias autem, ut legem deuteronomicam (*Deut.* 23,3) impleret, « omnem alienigenam ab Israel separabat », atque externae nationes conquerebantur, quod Iudaei sese ab ipsis secernerent[2]? Quin etiam si videmus Salomonem vituperari, quod « mulieres alienigenas, filiam Pharaonis et *Moabitidas* » etc duxerit, nec. ullibi in iunioribus V. T. libris origo semimoabitica Davidis commemoratur aut levissimo verbulo innuitur[3], concludamus oportet, librum nostrum ante Salomonis aetatem esse compositum. Atque illud quoque notatu est dignum, quod David in fine genealogiae non nominatur « rex » ; quem titulum, opinor, auctor non praeterisset, si eo tempore, quo scripsit, David iam thronum occupasset. Ultimis igitur regis Saul annis, quando David rex iam erat unctus, sed exsul inter alienigenas versabatur parentesque suos curae regis moabitici commendare cogebatur (1 *Reg.* 22,3), narratio scripta esse recte asseritur.

Quae huic sententiae opponuntur, haud difficili negotio infirmantur. Neque enim videmus, quo cum iure libellum *post mortem Davidis* conscriptum esse concludant aliqui ex eo, « quod genealogia Davidis nomine terminetur »[4]; nonne rectius dicemus, illam, si Salomonis vel recentioris regis aetate esset scripta, procul dubio usque ad eos debuisse perduci? Neque magis valet argumentum ex lingua desumtum[5]; quam parum enim origini librorum explicandae lingua inserviat, clare ex eo solo elucet, quod omnes moderni interpretes, sive antiquum sive recentem libellum esse censent, ex illa sententiam suam confirmare conantur; atque alii quidem archaismos, alii neologismos, alii chaldaismos, alii bethlehemismos, alii moabitismos inveniunt. At rariores dicendi modi, quos adesse fatemur, quum in solis colloquiis legantur (1,13; 2,8; 3,3. 4), aliud non videntur demonstrare,

nisi auctorem in colloquiis familiarem sermonem retinuisse. Si quis vero ob linguae diversitatem non eundem esse librorum Iudic. et Ruth auctorem putaverit[6], monemus omnes fere pericopas libri Iudicum suis distingui proprietatibus, quam ex fontium, quibus libri Iudicum auctor usus est, diverso loquendi usu apte explicari diximus (71 p. 215 sq.). — Multo minoris, si fieri potest, momenti est, quod libelli nostri auctori nomen « propinquioris cognati » incognitum fuisse asseratur (3,12; 4,1), quia eum « certum aliquem » (פְּלֹנִי אַלְמֹנִי) nominet, et quod morem quendam olim usitatum (4,7) velut pridem abolitum designet[7]. Quoniam enim inter rem gestam et inter ultimos Samuelis annos vix non totum saeculum interiacet, utrumque facillime explicatur. — Demum obiicitur, librum nostrum, quum genealogia davidica, quam tradat, etiam ad domum davidicam celebrandam scripta sit, supponere eo tempore, quo scriptus est, iam cognitum fuisse magnum locum, quem David in theocratia occupaturus esset[8]. At nonne Samueli Deus revelaverat, se ex filiis Isai sibi providisse regem? Nonne Samuel ipse Davidem futurum regem unxerat atque de eius rebus gestis librum composuerat[9]? Quomodo igitur eum « auctoritas theocratica » Davidis latere potuit?

Iam haec sunt omnia argumenta, quibus sententia nostra impugnatur; tantum autem abest, ut eam labefactent, ut sua infirmitate eam corroborent et confirment.

1. Baba bathra 14. Cfr *Marx* Traditio rabbin. veterrima de libri. V. T. origine p. 13 sq. — *S. Isidor. Hisp.* De offic. eccl. I. 12 (M.83,747); *Serar.* in l. Ruth Proleg. 4., qui pro eadem sententia allegat *Tostat.* (in Ruth 4. qu. 8.), *Augustin. Eugub.*, *Ariam Mont.*, *Genebrardum*, *Driedonem*, *Sixtum Sen.*, *Feuardentium*. Consentiunt *Bonfrerius* (in Ruth. Praef.), *Corn. a Lap.* (in Ruth. Argum.), *Celada* (in Ruth Proleg. qu. 3) etc.; antiquiores protestanticos interpretes idem sensisse docet *Carpzov.* Introd. I. p. 173 sqq. 198 sq.

2. 1 *Esdr.* 10,10; 2 *Esdr.* 13,1 sqq. 23 sqq.; *Esth.* 3,8.

3. 3 *Reg.* 11,1. Unico loco totius V. T. moabitica origo Davidis videtur innui; quando enim ob persecutionem Saulis David patriam relinquere cogitur, patrem suum et matrem curae regis Moab commendat (1 *Reg.* 22,3).

4. *Danko* Hist. rev. V. T. p. 217; *Vigouroux* Manuel biblique II. p. 64.

5. *Danko* l. c., *de Orelli* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XIII. p. 142 et multi alii.

6. Cfr *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 222); quoniam vero libellum Ruth eadem ratione, qua duas alias appendices, ad l. Iudicum pertinere fatetur, re nobiscum consentit neque aliud negat, nisi Samuelem esse *primum* libelli auctorem. Similiter *de Hummelauer* (Comm. in l. Iud. et Ruth. 1888. p. 358 sqq.) eum Davidis tempore conscriptum et forte a Samuele editum esse arbitratur. — Cfr etiam *Keil* Einl. p. 438.

7. Cfr *Danko* Hist. revel. Vet. Test. p. 217.

8. *Zschokke* l. c. p. 180: « Mentio Davidis supponit, eum tempore conscriptionis libri iam attentionem omnium excitasse, utpote ad dignitatem regiam evectum ». Simili modo *Keil* l. c. p. 437 » Der Zweck, auf den die Erzählung mit der bis auf David fortgeführten Genealogie hinausläuft, setzt voraus, dass David für Israel bereits die grösste theokratische Bedeutung erlangt hatte ».

9. 1 *Reg.* 16,1; 1 *Paral.* 11,3; 29,29.

79. — Usque ad nostram fere aetatem nemo dubitavit, quin libellus noster vere esset historicus veramque historiam traderet; ac profecto « ita accurate, candide et absque fuco ullo omnia refert, ita ingenue omnia describit, et servat omnia, quae congrua sunt temporibus, locis et personis, ut sincerum eum et fide dignum fateri necesse sit »[1]. Verumtamen nostro saeculo ineunte rationalistis nonnullis, ut novi aliquid dicerent, non tam historicam auctoritatem quam HISTORICAM eius INDOLEM negare coeperunt. Libellum enim Ruth poema idyllicum esse definierunt, ad leviratus matrimonium commendandum vel davidicae familiae origines celebrandas confictum. Utpote rem satis miram « argumenta » adscribemus, quibus hoc assertum stabilire conatus est eius inventor. Praeprimis enim nomina omnia symbolica esse et ita conficta contendit, ut personarum characteribus et fatis correspondeant. Attamen personarum praecipuarum nomina, Ruth et Booz, quid significent, prorsus ignoratur; namque radix בעז nec in hebraica nec in vicinis dialectis est conservata et de etymologia nominis רות sub iudice lis est. Praeterea contradictionem in parvo nostro libello invenit; siquidem Noemi miseria et fame oppressa patriam reliquisse narratur et redux ipsa asserit « se plenam i. e. divitem esse profectam et vacuam i. e. pauperem reverti » (1,21); scilicet doctissimus vir intelligere noluit, mulierem de marito filiisque loqui, quos in terra aliena sepeliverat. Quibus duobus argumentis duo alia non minus praeclara addidit; tot enim virtutibus esse ornatas poematis personas praecipuas, Ruth, Booz, Noemi, ut in rerum veritate eodem tempore in eadem familia esse non potuerint, atque in toto eventu narrato omnia tam apte concinere et inter se connecti, ut fictio clarissime pateat[2]. At ne ipsis quidem rationalistis nec poetica libelli indoles nec argumenta, quibus adstruebatur, patebant, quare oblivioni fere datum erat integrum systema, quando recentissimis « criticis » illud recoquere et sub nova forma proponere placuit. *Wellhausen* quidem in rem accuratius non inquisivit, sed paucis contentus proclamat « idyllium nulla ratione continere historicam veritatem, si liber Iudicum fidelem illius aetatis descriptionem tradat »; credere videtur, per integros illos ducentos vel trecentos annos continuis bellis et dissidiis intestinis totum populum israeliticum ita fuisse turbatum, ut nemo quietus agrum suum colere potuerit[3]. Accuratius autem rem tractat *Reuss*, cui carmen non amplius est idyllicum, sed (memorabile dictu) politicum, quo post regni septemtrionalis interitum poeta quidam regni illius reliquias ad davidicam domum reducere sit conatus. Filius scilicet Ruth, i. e. domus davidica, secundum naturam quidem genitus est a Booz ex tribu Iuda, sed secundum ius leviratus a Mahalon ex tribu Ephraim; ideo Noemi, vidua ephraimitica (i. e. regnum septemtrionale rege suo or-

batum ac proin viduatum) filium istum (i. e. domum davidicam) velut legitimum haeredem agnoscere debet. Cuius explicationis fundamentum est nomen *Ephrataeus*, quo Elimelech velut *Ephraimita* regnique Israel incola designari absurde asseritur[4]. Neque minus absurde alii quidam, licet de antiquiorum allegoriis ridere solant, ipsi in hoc libro explicando allegorias sectantur[5].

1. Cfr *Lamy* Introd. in S. S. II. p. 69.

2. *Bertholdt* (Einl. p. 2237 sqq. hoc commentum difusissime proponit.

3. *Bleek-Wellhausen* (Einl. p. 204) novam simul sibi fingit genealogiam Davidis, qua traditam (1 *Paral.* 2,5 sqq.; *Matth.* 1,5) evertat.

4. Cfr *Reuss* Gesch. d. A. T. p. 297. — Bis quidem vel ter אפרתי designat *Ephraimitam* (Iudic. 12,5; 1 Reg. 1,1 et forte 3 *Reg.* 11,26), alibi autem semper *Ephrataeum*. Atqui hoc sensu locutionem hic (*Ruth.* 1,2) explicandam esse addita verba *de Bethlehem* docent, quibus antiquum oppidi nomen recentiore definitur (cfr 1 *Reg.* 17,12). Ceterum mirum profecto est, quod « politicus » ille poeta, ut Israelitas ad domum davidicam alliceret, ei originem moabiticam affingere voluerit, magis mirum, quod finem suum tam astute et callide occultaverit, ut non nisi post viginti vel potius triginta saecula sagacitas professoris argentoratensis eum detexerit.

5. Auctor ficta sua narratione iuxta *Kuenen* (Einl. I. § 36) contra Esdram et Nehemiam demonstravit matrimonia cum alienigenis esse licita; iuxta *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 138) etiam inter ethnicos veram pietatem inveniri docuit; iuxta *Lagarde* (Orientalia II. p. 41) insinuavit, domui davidicae eandem atque aaroniticae dignitatem competere etc.

§ 18. — *De praecipuis commentariis catholicis in Iudicum et Ruth libros.*

80. — Iidem fere sunt libri Iosue et librorum Iudicum et Ruth commentatores; quapropter paucissimis hanc quaestionem absolvemus. Inter Patres *orientales* allegoricis explicationibus septem priorum capitum *Origenes* novem homilias implevit, quas Rufinus latine vertit; aliarum explicationum Origenis paucissima nobis conservata sunt fragmenta. Multo utilior est brevis commentarius *S. Ephraem*, licet ipse quoque ab allegoricis accommodationibus non abstineat; *Theodoretus* viginti octo quaestionibus de difficultatibus l. Iudicum tractat et duabus pauca ex l. Ruth attingit; illa autem quae *Procopius Gaz.* collegit, non magni sunt momenti[1]. Pauciora sunt, quae *latini* Patres nobis transmiserunt. *S. Augustinus* in suis Locutionibus et Quaestionibus in Heptateuchum satis multas difficultates bene solvit; *S. Isidori Hisp.* vero quaestiones paucae sunt et allegoricae, eaedem autem etiam sub nomine *V. Bedae* circumferuntur. Veri nominis commentarium primus edidit *Rhabanus Maurus*, quod opus, uti ipse asserit in Praef. ad Humbertum, non tantum ex maiorum dictis, sed ex suo labore, quantum

divina gratia eum posse concessit, editum constet, ita ut partim Patrum sententias, partim et sui sensus exiguitatem, uti necessarium existimaverit, proferat. *Wal. Strabo* maxime sequitur Augustinum et Origenem[2].

Ex MEDIAE AETATIS interpretibus, quos non paucos enumerat Lelong in sua Bibliotheca sacra, nominamus solos *Rupertum Tuitiensem*, qui allegorizat, *Hugonem a S. Vict.*, qui solum sensum literalem nonnullorum textuum tradit, *Card. Hugonem* et *Nicolaum Lyran.*, qui in suis Postillis consuetum suum explicandi morem retinent, *Dionysium Carth.* et *Alphonsum Tostatum*[3].

1. *Origenis* fragmenta et homiliae (M. 12,950-990; 17,37 sq.); — *S. Ephr. Syri* Comment. (Opp. syr. I. p. 308-330); — *Theodoreti* Quaestiones (M. 80,485-528); — *Procopii Gaz.* Commentarii (M. 87.1041-1080).

2. *S. August.* Locut. in Heptat. VII et Quaest. in Heptat. VII (M. 34,541-548. 791-824); — *S. Isidori Hisp.* Quaestiones (M. 83,379-392); cfr *Ven. Beda* Opera dubia (M. 93,423-429); — *Rhaban. Mauri* Commentarius in l. Iudic. (M. 108,1107-1200), in l. Ruth (M. 108,1200-1224); — *Wal. Strabonis* Glossa (M. 113,521-540). — Inter *S. Hieronymi* opera spuria legitur explicatio cantici Debborae (M. 23,1382 sqq.); *S. Paterius* (M. 79,785-790.) paucissima quaedam in l. Iudic. ex magistri sui S. Gregorii M. operibus collegit.

3. *Ruperti Tuit.* Comment. in l. Iudic. et Ruth (M. 167,1023-1060); — *Hugo a S. Vict.* Annot. elucidat. (173,87-96); inter eius opera spuria habetur tractatus de voto Iephtae (M. 175,323 sqq.); reliquos commentarios nominavimus *supra* 66. n. 3 p. 205.

Quemadmodum in reliquis historicis, ita etiam in Iudicum et Ruth libris interpretandis maiorem curam et diligentiam, quam praecendentia, posuerunt SAECULA 16. ET 17. Praeter multos illos et magnos omnium Scripturarum commentarios aetas illa non paucas quoque nostrorum libellorum explicationes protulit, quae sive subtilitatem criticam sive scientiae copiam spectas omnes superiorum saeculorum commentarios longe superant. Ex multis praestantissimos nominamus. Primum locum occupare nobis videntur opera *Nic. Serarii* et *Iac. Bonfrerii;* quibus proxime accedunt in l. Iudicum commentarii *Ben. Ariae Montani, Cosmae Magaliani, Casp. Villaroel, Christoph. Vegae*, in l. Ruth commentarii *Casp. Sanctii, Did. de Celada*, in utrumque librum commentarius *Marcellini Evangel.*[4]. Duos alios commentarios bonos addidit SAECULUM 18., scilicet *Iacobi Fellibien* et *I. Laurentii Helbig*, egregiamque dissertationem de tempore, in quo historia Ruth ponenda sit, auctore *I. Khell*[5].

Qui commentarii, quum modernis quoque difficultatibus solvendis plerumque sufficiant, aliquo modo explicant, cur NOSTRUM SAECULUM admodum pauca ad librorum Iudic. et Ruth interpretationem contulerit. Si enim scholia praetermittimus, quibus universa Scriptura Sacra illustratur, duos tantum habemus commentarios copiosiores, qui

speciali memoria sunt digni, quorum priorem *Clair*, alterum *Fr. de Hummelauer* composuerunt; commemorari tamen etiam dissertationes egregiae merentur, quibus *Ben. Welte*, *Laur. Reinke*, *H. Zschokke*, *E. Floeckner* rationalisticas obiectiones quasdam refutarunt [6].

Multo plura moderni Protestantes ediderunt: ex quorum operibus catholico interpretibus utiliores sunt commentarii, quos ediderunt *C. F. Keil* (Ed. 2. Leipzig 1874) et *Paul. Cassel* (Bielefeld 1865); anglicanus commentarius, quem edidit *A. Hervey*, multo plus, quam alii eiusdem collectionis (The Speaker's Commentary) opera, a rationalistis dependet. Reliqua enumerant *Zoeckler* Handb. der theol. Wissensch. Nördlingen 1883. I. p. 194 et *Strack* Einleitung. Ed. 4. 1894. p. 206 sq. 213; antiquiora accuratius recenset *Carpzov*. Introd. I. p. 192 sqq.

4. *Nic. Serarii* S. I. Iudices et Ruth explanati Moguntiae 1609. fol.; — *Iac. Bonfrerii* S. I. Iosue, Iudices, Ruth commentario illustrati. Paris 1631. fol. (Etiam in Migne Curs. S. Script. VIII.); — *Ben. Ariae Montani* De varia republica s. comment. in l. Iudic. Antwerpiae 1592. fol.; — *Cosm. Magaliani* S. I. In Iudicum historiam explanationes et morales adnotationes. Lugduni 1626. fol.; — *Casp. Villaroel*, O. S. Aug. Iudices commentariis literalibus tum aphorismis moralibus illustrati. Matriti 1635. fol.; — *Christoph. Vegae* S. I. Comment. liter. et moral. in l. Iudic. Lugduni 1671. 3 voll. fol. — *Casp. Sanctii* S. I. Comment. in ll. Ruth, Esther etc. Lugduni 1628. fol.; — *D. de Celada* Comm. liter. et moral. in Ruth cum duplici appendice. Lugd. 1651. fol.; — *eiusdem* in Debboram. Lugd. 1673. fol. — *Marcell. Evangelistae*, O. S. Franc., Expositiones in l. Iudic. Venetiis 1598; in l. Ruth. Florentiae 1584.

5. De operibus Fellibien et Helbigii cfr *supra* 66. n. 8 p. 205. — *I. Khell* S. I. De epocha historiae Ruth. Viennae 1756.

6. *Clair* Les Juges et Ruth. Paris 1878; *Fr. de Hummelauer* S. I. Comment. in libr. Iudic. et Ruth. Paris 1888. — *B. Welte* Parallelstellen in den BB. Iosue u. Richter (Tüb. Quartalschr. 1842. p. 584 sqq.); *L. Reinke* Das Gelübde Iephte's (Beiträge z. Erkl d. A. T. I. p. 421 sqq.); *H. Zschokke* Biblische Frauen. 1882. p. 175 sqq. 203 sqq.; *E. Floeckner* Simson ein Sonnenheros? (Tüb. Quartalschr. 1886. p. 449 sqq. 621 sqq.; 1887. p. 47 sqq.). — Dissertationes de chronologia libri a *Hülskamp*, *Palmieri*, *Bachmann* editas *supra* (p. 227 sq.) iam nominavimus. — Ceterum cfr etiam *Holzammer* Handb. z. bibl. Geschichte. Ed. 5. 1891. p. 491 sqq.

SECTIO II.

DE LIBRIS ISRAELITICAM HISTORIAM USQUE AD ESDRAE NEHEMAEQUE AETATEM NARRANTIBUS.

CAPUT IV.

DE DUOBUS LIBRIS SAMUEL (1. 2 REGUM).

§ 19. — *De librorum Samuel argumento, divisione, fine.*

81. — Iudicum et Ruth libros in canone tridentino iuxta rerum temporumque ordinem excipiunt *quatuor libri Regum,* qui historiam reipublicae israeliticae a Philisthaeorum oppressione, qua Iudicum liber terminatur, ad 37. exsilii Iechoniae (4 *Reg.* 25,27) perducunt. A Graecis Βασιλειῶν τέσσαρα (βιβλία) et ab antiquioribus Latinis *Regnorum* libri vel graeco retento titulo *Basiliae,* praeeunte autem S. Hieronymo a iunioribus *Regum* libri nuncupati [1] penes Iudaeos duo diversa opera constituunt, quorum prius, duos primos libros continens, שְׁמוּאֵל (*Samuel*), alterum מְלָכִים, *Reges* inscribitur [2]. Ex *infra* (86 p. 255 sqq.) dicendis elucebit distinctionem hanc optimis niti fundamentis; argumento enim et fine, dicendi narrandique modo et auctore duo priores libri a duobus posterioribus omnino differunt, atque parum apte ab alexandrinis, ut videtur, interpretibus eodem titulo sunt insigniti et in unum opus compacti. Quoniam Vulgata quoque nostra titulis, quos duobus prioribus (« Liber 1. [2] Samuelis, quem nos 1. [2] Regum dicimus ») et posterioribus duobus (« Liber 3. [4] Regum, secundum Hebraeos 1. [2] Regum ») praefixit, distinctionem approbare potius videtur, quam improbare, eam retinebimus, et in hoc capite de libris Samuel, in sequente de libris (3 et 4) Regum agemus [3].

Nomen suum priores duo libri non ex eo habent, quod Samuel eorum sit auctor (Samuel enim ante Saulem mortuus est et libri nostri israeliticam historiam usque ad Davidis fere mortem, i. e. ad a. 40. post Saulis mortem narrant); sed ex eo, quod Samuel in tota illa aetate, quam complectuntur, primas quasi partes egisse credebatur. « In utroque libro, inquit *Sanctius*, aliquid est, quod ad nomen opus-

que Samuelis pertinet. Nam in primo agitur de sacerdote Heli, in cuius ipse societate vixit, et de Saul, quem regno praefecit Israel, in secundo de Davide, quem ipse unxit et reiecto Saule ad regni gubernacula vocavit. Quare in utroque libro est aliquid, quod suum sibi Samuel possit vindicare »[4]. Simili fere modo dudum antea dixerat *R. Abarbanel*, « quae in utroque libro narrentur, omnia ad Samuelem certo modo referri, etiam Saulis et Davidis res gestas, quia ambo a Samuele uncti velut manuum eius opera et instrumenta fuerint; secus autem rem se habere in (3. 4.) libris Regum, in quibus ea, quae narrantur, ad reges proprie spectent, non ad prophetam ullum »[5]. Quae non inepte esse dicta, si solius librorum argumenti ratio habetur, non diffitemur; parum autem aptum esse librorum titulum, si eorum argumentum una cum auctoris fine attenditur, ex dicendis apparebit. Neque enim Samuelis merita celebrare voluit auctor, sed alium eius finem fuisse arbitramur (84).

1. Cfr *Melit. Sard.* ep. ad Onesim. (Eus. H. E. IV. 26. M. 20,396) : Βασιλειῶν τέσσαρα; *S. Athan.* ep. fest. 39 (M. 26,1177) : Βασιλειῶν τέσσαρα βιβλία; *Orig.* in Ps. I : etc. — Ex Latinis cfr *Tertull.* c. Marc. III. 26 (M. 20,350) : « in secundo Basiliarum »; *Rufin.* Symb. Apost. 37 (M. 21,374); *S. Hieron.* in Mich. 4,9 (M. 25,1249) : « in primo *Regnorum* libro »; sed *idem* in Prol. galeato : « Melius multo est *Melachim* i. e. *Regum*, quam *Mamlachot* i. e. *Regnorum* dicere; non enim multarum gentium describit regna, sed unius israelitici populi, qui tribubus duodecim continetur ». Ceterum adnota מַמְלָכָה non tantum de terra, quae regi paret, sed etiam de tempore, quo rex aliquis imperium tenet, usurpari; quapropter antiquior titulus non minus aptus quam recentior est dicendus.

2. Utrumque opus in hebraicis codicibus continua serie sine librorum distinctione exhibetur, id quod iam monuerunt *Origenes* (in Ps. 1. M. 12,1084; Eus. H. E. VI. 25 : Βασιλειῶν πρώτη δευτέρα παρ' αὐτοῖς [sc. Ἰουδαίοις] ἓν Σαμουὴλ ὁ θεόκλητος· βασιλειῶν τρίτη τετάρτη ἐν ἑνὶ Οὐαμμέλεχ Δαβὶδ ὅπερ ἐστὶ βασιλεία [rectius : βασιλεὺς] Δαβίδ), *S. Hieronymus* (Prol. galeat.) aliique Alexandrini interpretes utrumque opus in binos libros sciderunt, atque ex graecis latinisque editionibus Daniel Bomberg hanc divisionem una cum capitum nostrorum distinctione primus in suam hebraicam Bibliorum editionem (Venetiis 1517.) recepit, ex qua postea in alias editiones impressas transiit.

3. Quia vero christiani interpretes utrumque opus simul explicare solent, commentarios in II. Regum conscriptos unica paragrapho (§ 25) complectemur.

4. *Sanctii* Comment. in II. Regum. Proleg. 2.

5. *R. Abarbanel* apud *Carpzov.* Introd. p. 211 sq. Alteram rationem minus probabilem addit : « quia scilicet ob Samuelem prophetam et Davidem regem opus sit scriptum neque tamen ab utroque sed ab alterutro nomen sortiri debuerit, conveniens fuisse, ut ab Samuele potius, quam a Davide denominaretur ob Samuelis maiorem sanctitatem et pietatem propheticamque dignitatem ».

82. — ARGUMENTUM summum librorum Samuel hoc fere solet indicari. Respublica israelitica quum populi peccatis tum Iudicis sui a Deo constituti et summi sacerdotis Heli segni indulgentia in summum discrimen erat adducta atque ipsam arcam foederis Domini, in medio

populo suo inhabitantis auxilioque suo semper praesentis symbolum iam amiserat, quum Samuel a Deo est constitutus iudex et propheta, qui rempublicam periclitantem restitueret. Qui primum quidem ipse ob pietatem suam a Deo adiutus Philisthaeis oppressoribus penitus devictis terram ab hostibus liberavit atque populum fideli munerum iudicis et prophetae exercitio ad Legis observantiam revocavit. Senescens vero Israelitis regem postulantibus iussus a Deo Saulem primum regem praefecit, qui ab initio optime res gessit, postea autem inobedientia sua sese indignum regno exhibuit. Quare Samuel a Deo iussus est ungere Davidem regem. Qui « vir iuxta cor Dei « frustra a Saule ad necem quaesitus post aemuli mortem prius a tribu Iuda atque deinde ab integro populo rex agnitus est et a Deo aeterni regni promissionem accepit. Felicibus bellis divinitus adiutus rempublicam ad summum potestatis fastigium evexit eique fines illos expugnavit, quos patriarchis olim Deus promiserat. In gravia crimina lapsus severe a Deo punitus est praesertim Absalomis filii sui rebellione; at quum poenitentiam egisset rebellione devicta in sedem suam regiam reversus thronum iterum gloriose occupavit. Si igitur argumentum nudum spectamus, paucis verbis illud hac ratione comprehendere possumus : Deus populum suum ob peccata et ducis negligentiam ultimo exitio et interitui vicinum ex ima deiectione per fideles servos suos Samuelem prophetam et Davidem regem ad summam potestatem elevavit.

Ad argumentum solum autem plerique attendunt, qui operis nostri DIVISIONEM aliquam proposuerunt. Quoniam Samuel et David praecipuae sunt huius aetatis personae, Alexandrini iam opus in duos libros ita distribuerunt, ut in priore Samuel, reipublicae restaurator et imperii regii fundator, primum locum teneret, in altero autem Davidis, regis secundum cor Dei, res gestae narrarentur. Recentiores tamen, ne Saulem negligant, tres partes agnoscere malunt, quarum prima de Samuele, altera de Saule, tertia de Davide agant; quoniam vero ultimae res Samuelis cum Saulis regno atque Saulis finis cum initiis Davidis intime cohaerent, in ambitu partium definiendo inter se dissentiunt [1]. Nihilominus hac ratione integrum opus apte dispertiri fatemur, dummodo cum *P. de Hummelauer* quatuor sectiones distinguantur (Historia Samuelis I. 1-7,17; Historia Saulis. I. 8,1-12,25; Historia Davidis exsulis I. 13,1-31,13; Historia Davidis regis. II. 1,1-24,25) [2]. Alteram tamen distributionem proponere liceat, in qua non tantum argumenti, sed praecipui quoque, quem auctorem prae oculis habuisse censemus, finis ratio quaedam habetur. Id vero auctorem praeprimis intendisse statim demonstrare conabimur, ut *aeterni throni in domo davidica fundationem memoriae proderet*, ideoque in *introduc-*

tione virum illum nobis describit, quo velut instrumento in hac fundatione usus est Deus (I. 1,1-7,17), opus vero ipsum in duas partes distribuit, quarum prior (I. 8,1-31,17) *praeparationem fundationis regni aeterni,* altera (II. 1,1-20,26) *eius fundationem ipsam et confirmationem* enarrat. Quatuor vero ultima capita (21,1-24,25) *epilogum* quendam constituunt, in quo *historia fundationis throni aeterni* singularibus nonnullis factis *illustratur et confirmatur.* Ex sequente analysi haec clarius elucebunt; infra autem de divisionis fundamento accuratius disseremus (84 p. 250 sqq.).

1. *Card. Hugo* opus « chronicc scriptum esse » dicit ideoque divisionem non indicat, cum fere secutus *Goldhagen* (Introd. II. p. 102 sq.) in priore libro quinque et in altero quatuor *epochas* distinguit (I. 1-7; 8-15; 16-20; 21-24; 25-31; II. 1-7; 8-12; 13-19; 20-24). — *Lyranus* libros Regum primum in duo opera distribuit, quorum prius (1. 2 Reg.) « de regno Israel unito », alterum (3. 4 Reg.) « de regno bipartito » agant; operis nostri autem duas agnoscit partes, quarum prior « de regno Israel ex electione » (sc. Saule, Davide), altera « de eodem ex successione » (Isboseth, Salomone) tractet. — Tres autem partes faciunt *Kilber* (Analys. bibl. I. p. 153 sqq.) : « Epocha postremorum Iudicum I. 1,1-8,21; Auspicia regiae potestatis apud Israelitas I. 9,1-31,13; Regnum Davidis II. 1,1-24,25 »; — *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 67) : « Enfance et judicature de Samuel I. 1-12; Histoire du règne de Saül I. 13-31; Histoire du règne de David II. 1-24 »; — *Clair* (Les livres des Rois I. p. 5 sq.) : « Histoire d'Israel sous la conduite du prophète Samuel I. 1-7; Histoire de Saül et de son règne jusqu'à sa mort I. 8-31; David II. 1-24 ». — Inter protestanticos interpretes eadem habetur varietas : *Carpzov.* (Introd. p. 226 sqq.) : Res sub Heli gestae I. 1-4; Res sub Samuele propheta et iudice gestae I. 5-12; Res sub Saule gestae I. 13-31; Res sub Davide gestae II. 1-24; — *Keil* (Bibl. Comm. ü. die Bücher Samuel's p. 2) et *Erdmann* (Die BB. Samuel's p. 3 sqq.) : Samuel I. 1-7; Saul I. 8-31; David II. 1-24; — *Hervey* (The Speaker's Bible II. p. 43) : Samuel I. 1-12, Saul I. 13-15; David I. 16-II. 24. etc. Memoratu est dignum, quod tantum non omnes a 2. Sam. novam partem inchoant, dum in aliis definiendis varient; unde Alexandrinos opus in duos libros recte distribuisse apparet.

2. *F. de Hummelauer* Commentarius in libros Samuel. Paris 1886. p. 9 sqq. Ultima quatuor capita (21,1-24,25) pro appendice ponit.

83. — Analysis librorum Samuel.

In INTRODUCTIONE (I. 1,1-7,17) *vita Samuelis adumbratur,* magni illius viri, quem Deus mirabiliter suscitavit et vocavit, ut aeterni throni davidici fundamentum poneret.

I. *In Samuele Israelitis reformator et liberator suscitatur* (1,1-3,21).

1. Samuel nascitur et Deo consecratur (1,1-2,11). — Elcanae levitae uxor Anna, quum diu sterilis mansisset, enixis precibus a Deo sibi filium efflagitat, quem se Deo consecraturam esse promittit (1,1-18). Voti compos facta filiolum sacerdoti Heli tradit (1,19-28) et magnifico cantico Deo gratias agens praevidet filii sui relationem ad futurum regem et ad Messiam (i. e. ad aeternum thronum davidicum) (2, 1-11).

2. Samuelis pia pueritia (2,12-36). — Dum Heli sacerdotis filii in sacro ministerio explendo omnibus vitiis indulgent (2,12-17), Samuel fideliter ministrat ante Dominum; quapropter Dominus Annae maritoque eius benedicit (2,18-21), Heli autem filios suos non nisi molliter corripienti (2,22-26) eiusque domui per prophetam gravem poenam annuntiat (2,27-36).

3. Samuelis vocatio ad propheticum munus (3,1-21). — Iuvenis noctem in tabernaculo foederis peragens prima dignatus divina manifestatione (3,1-10) gravem revelationem contra Heli eiusque domum recipit (3,11-18), deinde vero paullatim toti populo tamquam propheta fidelis innotescit (3,19-21).

II. *Samuel liberator et reformator populi sui* (4,1-7,17).

1. Maximum reipublicae discrimen propter peccata domus Heli et populi (4,1-7,1). — Bello exorto cum Philisthaeis Israelitae arcam foederis in castra arcessunt (4,1-9), sed caeduntur, arca a Philisthaeis capitur, duo filii Heli occiduntur; quibus auditis Heli corruens occumbit et nurus eius in partu moritur (4,10-22). Populi vero sui misertus Deus arcam Philisthaeis in ruinam vertit (5,1-12), ut eam cum donariis redderent (6,1-18); Bethsemitae, qui eam debita cum reverentia non tractarunt, gravi clade puniti sunt et arca transportata est in Gabaa (6,19-7,1).

2. Populi conversio et victoria (7,2-14). — Samuelis admonitionibus Israelitae sincere ad Dominum conversi (7,2-6) orante propheta tantam cladem Philisthaeis inflixerunt, ut toto eius tempore contra populum non amplius invaluerint (7,7-14).

3. Samuel autem in tota terra munere suo iudicis fideliter functus est (7, 15-17).

PARS PRIOR (1, 8,1-31,17) enarrat PRAEPARATIONEM REGNI AETERNI IN DOMO DAVIDICA.

I. *Postulantibus Israelitis Saul datur primus rex, qui tamen ob inobedientiam suam regno indignum se exhibet et a Deo reiicitur* (1,8,1-15,35).

1. *Magnis Samuelis meritis non obstantibus Israelitae postulant, ut sibi rex constituatur* (8,1-22).

a.) Samuele senescente et filiis eius, quos in muneris sui partes assumserat, ad avaritiam declinantibus seniores populi postulant regem (8,1-5);

b.) Samuel reluctans a Deo iubetur Israelitis durum regum iugum praedicere (8,6-18), illis autem petitioni inhaerentibus promittere, se eam esse impleturum (8,19-22).

2. *Saulis primi regis privata publicaque inauguratio et Samuelis abdicatio muneris iudiciarii* (9,1-12,25).

a.) Saulis privata unctio (9,1-10,16). — Saul, filius Cis, Beniaminita, quum exisset ut patris sui asinas quaereret, a Deo Samueli revelatur rex ungendus (9,1-24); privatim igitur a Samuele ungitur (9,25-10,1), atque trium signorum a propheta praedictorum (10,2-7) eventu certior redditur, se a Domino esse electum et se mandatum a Samuele acceptum (10,8) debere implere (10,9-16).

b.) Saulis publica inauguratio et ab integro populo approbatio (10,17-11,15).

α.) Convocato populo in Maspha annuntiat Samuel, Dominum eis regem esse daturum (10,17-19); sorte missa designatur Saul, qui a populo rex salutatur (10,20-24). Quibus peractis lex regni a Samuele describitur (10,25), at integer populus Sauli non adhaesit (10,17-27).

β.) Brevi autem post novus rex, quum Ammonitas terram invadentes profligasset (11,1-11), a toto populo in Galgala rex approbatur (11,12-15).

c.) Samuel abdicat munus iudiciarium (12,1-25). — Novo igitur rege approbato Samuel coram populo muneris sui gesti rationes reddidit (12,1-5), fervida oratione Israelitas exhortatus, ut Domino adhaererent (12,6-17) pollicitusque se in posterum quoque eorum curam habiturum simul populo et regi peccaturis interitum praedixit (12,18-25).

3. *Saul primis suis rebus feliciter gestis ob duplicem inobedientiam a Deo reiicitur* (13,1-15,35).

a.) Prior Saulis inobedientia reiectionisque eius praedictio (13,1-14). — Philisthaeis post cladem a Ionatha filio Saulis acceptam (13,1-4) magno cum exercitu Palaestinam invadentibus Saul Israelitas in Galgala convocat (13,5-7). Quoniam vero copiae convocatae ob hostium timorem sese dispergere coeperunt, Domini praecepto (10,8) spreto et Samuele non exspectato holocaustum offert; quapropter ei ab adveniente Samuele iam nunc reiectio domus eius annuntiatur (13,8-14).

b.) Dei beneficiis ad poenitentiam non adducitur (13,15-14,52).

α.) Magnum beneficium in bello philisthaeo (13,15-14,46). — Quamquam Israelitis arma deerant (13,15-23), bellum philisthaeum feliciter est gestum. Ionathae enim virtute hostes caeduntur (14,1-23); inconsiderato autem Saulis voto vita Ionathae magno periculo exponitur, sed populi precibus salvatur (14,24-46).

β.) Alia quoque bella Saul confirmato regno feliciter gessit et numerosa erat eius posteritas (14,47-52), ut de regno in sua domo continuando bene sperare posset.

c.) Ob novam mandati divini violationem Saul ipse quoque reiicitur (15,1-35).

α.) Deus per Samuelem mandat Sauli ut Amalecitas omnes deleat (15,1-3).

β.) Feliciter quidem rem gerit Saul, sed optima quaeque Amalecitarum sibi reservat (15,4-9).

γ.) Quare Samuel ei reiectionem annuntiare iubetur (15,10-35).

II. *In Saulis reiecti locum David a Deo electus et a Samuele privatim unctus multis aemuli sui persecutionibus in fiducia Dei confirmatur et ad regnum praeparatur* (16,1-31,13).

1. *Davidis initia* (16,1-18,9).

a.) Reiecto Saule Samuel a Deo iussus Davidem ungit regem super Israel (16,1-13);

b.) qui paullo post ad Saulem, quem reiectum malus spiritus invaserat, in aulam advocatur, ut citharae pulsu regis animum leniat (16,15-33).

c.) Interea novo bello philisthaeo exorto David Goliath vincit (17,1-54), quo facto Ionathae quidem amicitiam, Saulis autem invidiam et odium sibi attrahit (17,55-18,9).

2. *Saul multis insidiis Davidem persequitur* (18,10-27,12).

a.) Davidis in aula degentis vexationes (18,10-19,17). — Davidem coram se cytharizantem Saul lancea transfigere voluit (18,10-12); praetextu nuptiarum cum filia sua eum magno periculo in bello exposuit (18,13-30); filium et amicos suos ad necem eius provocavit (19,1-7); lancea missa eum interficere conatus est (19,8-10); domi latentem per satellites ad necem quaesivit (19,11-17).

b.) Davidis fugitivi pericula (19,18-27,12).

α.) Primum fugit David ad Samuelem, apud quem Saul eum frustra quaesivit (19,18-24), atque deinde postquam Ionathan patrem amicumque reconciliare frustra conatus est (20,1-42), ad sacerdotem Achimelech in Nobe (20,43-21,10), indeque ad regem philisthaeum Achis in Geth; a quo non receptus (21,11-16) in terram Iuda reversus est, ut parentes suos regi moabitico commendaret (22,1-5). Eo autem tempore Saul sacerdotes in Nobe occidi iussit, quia Achimelech Davidem receperat (22,6-23).

β.) In terra Iuda vagatus David Ceilam liberat et occupat (23,1-6), quo in oppido Saul eum capere frustra conatur (23,7-13). Maiori periculo in deserto Ziph expositus mirabili Dei interventu salvatur (23,14-28). Dum autem Saul Davidem omni modo ad necem quaerit, David eius vitae in spelunca deserti Engaddi parcit, ita ut Saul ipse Davidem magnanimitate eius perculsus regno dignum proclamet (24,1-23).

γ.) Interea mortuus est Samuel (25,1); David vero cum amicis semper in desertis circumvagari cogitur, ubi ducit Abigail et Achinoam uxores, quum Saul primam eius uxorem Michol alteri tradidisset (25,2-44). Ad pristinum odium reversus Saul secunda vice magnanimitatem Davidis experitur (26,1-25).

δ.) Demum David, ut Saulis insidiis se subtrahat, in Philisthaeam sese recipiens Siceleg occupat, quo ex oppido contra Amalecitas aliosque antiquos Israelitarum hostes bellicas expeditiones suscipit (27,1-12).

3. *Saulis interitus in bello philisthaeo, Davidis victoria de Amalecitis* (28,1-31,13).

a.) Philisthaeis una cum Davide bellum moventibus (28,1. 2.) perterritus Saul, quia a Domino responsum non accipiebat, per pythonissam endoriensem evocat Samuelem mortuum, qui apparens ei mortem propinquam et Israelitarum cladem praedicit (28,3-25).

b.) David a Philistaeis timentibus, ne in proelio contra ipsos sese converteret, cum amicis suis e castris eiectus (29,1-11) oppidum suum Siceleg ab Amalecitis invenit devastatum (30,1-5); a Domino iussus hostes persequitur, caedit, praedam eorum recuperat (30, 6-20), quam inter suos dividit, et ex qua senioribus Iuda dona mittit (30,21-31).

c.) Eodem tempore Philisthaei fugant exercitum Saulis, qui una cum tribus filiis natu maioribus perit (31,1-13).

PARS ALTERA (II. 1,1-20,26) enarrat REGNI AETERNI IN DOMO DAVIDICA FUNDATIONEM ET CONFIRMATIONEM.

I. *Regnum Davidis in Hebron eiusque concertatio cum domo Saulis* (1,1-4,12).

1. *David ungitur rex Iuda* (1,1-2,7).

a.) David de Saulis Ionathaeque morte certior factus (1,1-16) eorum interitum cantico deflet (1,17-27).

b.) A Deo autem iussus in Hebron ascendit ibique rex Iuda publice ungitur (2,1-7).

2. *Bella cum domo Saulis* (2,8-4,12).

a.) Abner, princeps exercitus Saul, quartum Saulis filium Isboseth constituit regem super reliquas tribus (2,8-11), sed tribum Iuda quoque subiicere conatus devincitur ab Ioab, cuius fratrem Arael fugiens occidit (2,12-32).

b.) Exinde exortum est bellum diuturnum, Davide in Hebron sedente et domum suam procreatis filiis fundante (3,1-5), Abnere autem domum Saulis regente (3,6), donec Abner ab Isboseth offensum se reputans (3,7-11) pacem iniret cum Davide (3,12-21) atque a Ioab interficeretur (3,22-30) inscio Davide, qui Abneri mortem amare deflevit (3,31-39).

c.) Paullo post Isboseth quoque occisus est (4,1-8), eius autem interfectores David morte punivit (4,9-12).

II. *Regnum Davidis in Ierusalem fundatur et confirmatur* (5,1-20,26).

1. *Aeterni throni davidici fundatio* (5,1-7,29).

a.) Isboseth interfecto David ab omnibus tribubus rex Israel unctus (5,1-5) in Ierusalem, cuius arcem Iebusaeis eripuerat, regni sedem transtulit (5,6-11) et cognovit « quoniam confirmasset eum Dominus regem super Israel » prole quoque numerosiore a Deo accepta (5,12-16).

b.) Sempiternis autem Israelitarum hostibus Philisthaeis penitus devictis terram sanctam ab eorum incursionibus liberat (5,17-25).

c.) Hac ratione regno pacificato arcam foederis magna cum sollemnitate in arcem Sion transtulit (6,1-23) proposuitque Domino aedificare domum (7,1-3). A quo proposito quidem Deus eum per prophetam Nathan avertit, *sed simul promisit, se ei domum aedificaturum et thronum eius stabiliturum in aeternum* (7,4-16); de qua magnifica promissione David humili precatione Deo gratias egit (7,17-29).

2. *Magnificum regnum Davidis usque ad eius lapsum* (8,1-10,19).

a.) Felicibus bellis a Deo adiutus fines regni sui dilatavit (8,1-14);

b.) internam regni felicitatem auxit bona administratione (8,15-18),

c.) neque in felicitate sua immemor fuit promissionis, quam olim Ionathae fecerat, sed magnanimitatem suam beneficiis Miphiboseth, Ionathae filio, collatis demonstravit (9,1-13).

d.) Ad summum vero potestatis fastigium adduxit regnum bellis, quae per Ioab ducem suum contra Ammonitas et Syros feliciter gessit (10,1-19).

3. *Lapsu suo David domum suam maximo periculo obiicit* (11,1-18,32).

a.) David gravissima peccata committit et de iis poenitentiam agit (11, 1-12,31.)

α.) David postquam adulterium commisit cum Bethsabee (11,1-5), adulterae maritum occidendum curavit (11,6-25), ipsam autem uxorem duxit (11,26. 27).

β.) Quapropter a Deo per prophetam Nathan gravissime increpatus (12,1-12) poenitens veniam quidem accepit, morte autem filii ex adulterio punitus est (12,13-23), veniae vero acceptae pignus ei concessum est nativitate Salomonis et Ioabi victoria de Ammonitis (12,24-31).

b.) Attamen infelici duorum filiorum primogenitorum interitu David in domo sua poenas scelerum commissorum luit (13,1-18,32).

α.) Primogeniti Ammonis scelus et interitus (13,1-14,33).

Amnon sororem suam Thamar stupravit (13,1-22), quam ob causam ab Absalome Thamaris fratre uterino occisus est (13,23-33).

Absalom autem, ut patris iram evitaret, fugit in Gessur (13,34-39) et non nisi post quinque annos Ioabe intercedente in gratiam patris rediit (14,1-33).

β.) Secundogeniti Absalomis rebellio et interitus (15,1-18,32).

Patris benignitate abusus Absalom seditionem contra eum praeparavit et movit (15,1-12); qua David urbem relinquere et trans Iordanem fugere coactus (15,13-37) et in fuga convitiis oneratus est (16,1-14).

Interea Absalom Ierusalem occupavit patrique gravissimam iniuriam intulit (16,15-23), sed consilio Chusai, qui ex patris partibus fuit, impeditus est, ne illum statim persequeretur (17,1-23).

Postea autem trans Iordanem cum exercitu patrem persecutus devictus est et occisus a Ioab, a Davide autem defletus (17,24-18,32).

4. *Triumphans Ierusalem revertitur David* (19,1-20,26).

a.) David a tribu Iuda in civitatem reductus benignum se exhibuit erga eos, qui a partibus Absalomis steterant (19,1-41).

b.) Reliquae autem tribus ob invidiam contra Iuda a Seba ad seditionem excitatae sunt, quam occiso Seba Ioab repressit (20,1-22).

c.) David Ierusalem reversus administrationem regni sui denuo ordinavit (20,23-26).

In EPILOGO (21,1-24,25) nonnulla afferuntur, quibus INTEGRA HISTORIA FUNDATIONIS THRONI AETERNI ILLUSTRATUR ET CONFIRMATUR[1].

1. *Domus Saulis punitur ob patris crimen.* — Quia Saul fidem a Iosua Ga-

baonitis iuratam laeserat, terra triennali fame afflicta est, usque dum Saulis peccatum sex ex eius posteris crucifixi expiassent, quorum ossa David honorifice sepelienda curavit (21,1-14).

2. *Quatuor bella philisthaea* brevissime quidem sed ita enarrantur, ut Deum speciali auxilio Davidi eiusque amicis adstitisse appareat (21,15-22).

3. *Praeclaro cantico petrae* (*Ps.* 17.) David gratias agit Deo de singulari protectione, qua a Saule et omnibus suis hostibus liberatus est, et de aeterni regni promissione (22,1-51).

4. *In novissimis* autem *verbis suis* praedicit David magnum et iustum dominatorem, per quem domus davidica in aeternum regnatura sit (23, 1-7).

5. *Catalogus heroum Davidis* (23,8-39) iterum est documentum specialis Dei erga Davidem amoris.

6. Clausulam demum libri facit *narratio de pestilentia propter populi censum immissa*, post cuius cessationem David altare exstruxit in area Areuna Iebusitae (24,1-25) eo sc. in loco, in quo postea Salomon exstruxit templum.

1. Sine ullo ordine sex hae pericopae velut membra disiecta operi terminato interdum creduntur adiectae; attamen rem attentius consideranti patet, eas non tantum eximia quadam arte inter se esse connexas sed etiam aptissimum constituere epilogum. Etenim totum opus in eo versatur, ut aeterni throni in domo davidica fundationem describat, ideoque illud quoque ostendit, quomodo David Deo sese acceptum reddiderit; quapropter eius fiduciam in Deum, eius zelum in promovendo cultu divino, eius obedientiam erga divina mandata, eius promptitudinem ad poenitentiam peccati cogniti agendam enarrat. Iam vero in Dei amore erga Davidem celebrando et in virtutibus Davidis ipsius enarrandis omnes sex versantur pericopae. Evidens est in duobus carminibus, quae medium epilogum occupant eiusque ut ita dicamus centrum constituunt, thema libri sublimi modo enuntiari : Deum illos adiuvare, qui in ipso fiduciam suam collocaverint, expertus est David in tota sua vita ab omnibus hostibus divinitus liberatus et promissionem throni in domo sua perduraturi adeptus; haec est summa prioris cantici (22,1-51); alterum autem prophetice praevidet magnum dominatorem Messiam, in qua haec aeterni throni promissio perfectam impletionem sit inventura (23,1-7). Iam tertia haec et quarta pericopae, quae nucleum constituunt epilogi, quatuor aliis ita includuntur et circumdantur, ut secunda correspondeat quintae, et prima sextae. Argumento enim suo intime cohaerent philisthaea bella (21,15-22) et catalogus heroum (23,8-39), siquidem utraque pericope ostendit, quomodo Deus magnis illis viris suscitatis Davidem ab omnibus eius hostibus liberaverit. Eadem ratione argumento suo vicinae sunt prima et sexta; utraque agit de poena propter peccatum divinitus inflicta : quia Saul ipse peccati sui poenitentiam non egerat, domus eius periit (21,1-15); David poenitentiam peccati sui agens veniam invenit et sibi domuique suae Deum reconciliavit (24,1-25). Eadem igitur oppositio, quae in toto libro inter Saulem ob inobedientiam reiectum et Davidem ob obedientiam assumtum conspicitur, etiam epilogum ad unitatem redigit. At eximia quoque ars in pericoparum epilogi dispositione cernitur. Duae enim primae tertiam et quartam praeparant, quibus summum beneficium Davidi collatum celebratur, duae vero ultimae easdem confirmant; in prima et sexta virtutes indicantur, quibus David se dignum reddidit divinis beneficiis, et in secunda et quinta describuntur minora be-

neticia, quibus bene usus ad summa adduci meruit. Mirum, quod *Cornill* (Einl. p. 105), licet hunc nexum agnoscat, eas temere coagulatas dicat.

84. — Ex iis, quae de operis argumento et divisione diximus, diiudicandum iam est, quis PRIMARIUS FINIS auctoris fuerit. Atque praeprimis id videtur esse manifestum, vehementer illos errare, qui in libris Samuel integram ultimorum Iudicum et primorum Regum historiam aut Samuelis, Saulis, Davidis biographias quaerunt. Quas si tradere voluisset, tot res non omisisset auctor, quae, ut completam et distinctam aetatis illius imaginem nobis efformemus, scitu prorsus sunt necessariae. Quis enim ea, quae de Samuele, Saule ipsoque Davide opus nostrum tradit, ita inter se connectet, ut aliqua cum certitudine eorum vitam narret? De Samuelis nativitate fuse agitur, publicae eius vitae paucissima referuntur; Saulis primus cum Samuele congressus fuse iterum describitur, fuse quoque nonulla, quae contra Davidem egit, atque unum alterumve proelium in bello philisthaeo narrantur, reliqua vix attinguntur. Ne id quidem ex nostro opere colligimus, quot annos Samuel iudicaverit, Saul regnaverit, neque magis quis sit ordo chronologicus rerum sive ab illis sive a Davide gestarum. Neque fontes, ex quibus accuratam scientiam historiae virorum illorum hauriret, auctori defuisse dicere licet; optimos enim et ditissimos fontes ei praesto fuisse, totus liber clare docet, quippe in quo tot minutae res accuratissime describantur[1]. Itaque pro certo asserere non dubitamus, auctorem neque *mere* historicum finem prosequi neque solam curiositatem quandam vanam pascere voluisse.

At illos quoque a vero aberrare certum est, qui omni fere historico fine negato in opere nostro vix aliud quam collectionem rerum vident, quibus ad virtutem sectandam incitemur. Quibus merito accensetur *Goldhagen*, cui si credimus, « scopus sacri historici sive potius Spiritus sancti scriptorem regentis neutiquam eo tendit, ut expleat rerum apud Iudaeos eorumque reges gestarum narratione curiositatem lectorum, sed ut nos instruat et ad virtutem incitet relatione eorum, quae Deum ostendunt supremum esse rerum omnium Dominum, qui pro arbitrio voluntatis ac sapientiae suae cuncta moderatur ipsaque hominum vitia et pessimos conatus iustissimorum suorum consiliorum exsecutioni facit inservire. Exhibet ea in historia Deum semper iustum, sanctum, omnipotentem, calamitatibus populi sui commotum, misericordem et nunquam non ad veniam impertiendam promtum, ubi scilicet vera scelerum poenitentia ducti ad eum confugerint. Repraesentat simul eundem ut magnificum virtutis remuneratorem, fortissimum innocentiae protectorem, vindicem criminum severissimum. Passim indicat, unicam felicitatis, cuius desiderio tene-

mur, consequendae viam in humili ad Deum subiectione perfectaque ad omnem eius voluntatem obedientia positam esse »[2]. Quae omnia verissime et optime dicta evidenter demonstrant, magnam utilitatem omnes ex hoc opere posse haurire, at auctoris finem scopumque non definiunt.

Toto igitur operis argumento totaque eius indole consideratis historicum quidem egisse nostrum auctorem apparet; verum eadem ratione qua librorum praecedentium auctores, *sacrum* historicum egit, qui de rebus humanis eatenus dumtaxat loquitur, quatenus ad salutis oeconomiam pertinent, atque altiorem semper finem persequitur. Quis autem hic finis fuerit, satis facile cognoscemus, si eius opus cum praecedentibus comparaverimus. Libri Iosue, uti vidimus, auctor id maxime sibi proposuit, ut fidelitate, quam Deus in terra promissa danda et distribuenda manifestavit, demonstrata et in memoriam revocata Israelitas exhortaretur, ut ipsi similem fidelitatem in foedere observando manifestarent (53). Alia autem via Samuel in suo libro Iudicum et Ruth incedens divinam iustitiam populo suo ob oculos posuerat, ut continuo esset memor, integram suam felicitatem a foedere observato pendere, foederis autem violatione omnia adversa adduci (68). Iam vero liber noster ad priorem propius, quam ad alterum accedere videtur, illumque etiam in fidelitate divina commendanda praecipue versari arbitramur. Etenim usque ad Samuelis aetatem Deus continuis populi sui defectionibus impeditus nondum omnes suas promissiones implere potuerat : filii patriarcharum in magnum populum excreverant, in terram illis promissam ingressi eius partem occupaverant, tribus singulae illa adeptae erant territoria, quae Iacob prophetice iis assignaverat; verum maxima benedictio a Iacob praedicta ubinam erat?

« *Iuda*, te laudabunt fratres tui; manus tua in cervicibus inimicorum tuorum; adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Iuda; ad praedam (rectius : a praeda), fili mi, ascendisti (vel : ex praeda crevisti); requiescens accubuisti ut leo et quasi leaena, quis suscitabit eum? *Non auferetur sceptrum de Iuda* et dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est et ipse erit exspectatio gentium (rectius : donec veniat is, cui repositum est [sceptrum] et ei erit obedientia gentium) »[3]. Magnificum hoc est vaticinium messianicum : Messiam regem ex tribu Iuda oriundum imperaturum esse omnibus gentibus praedixit Iacob, sed simul tribui Iuda usque ad Messiae adventum splendidam sortem promisit : primatum inter reliquas tribus, victorias gloriosas de hostibus praedamque amplissimam, sceptrum demum Messiae transmittendum atque hac ratione sempiterno duraturum. Ubinam promissionis illius impletio? Iuda peregrinationis quidem

agmen duxerat in deserto, in terrae distributione primam sortem obtinuerat, post Iosuae mortem in debellandis Chananaeis et in tribu Beniamin punienda praeierat reliquis tribubus[4]; ab eo autem tempore fere disparuerat nec eius nomen in libro Iudicum amplius apparet, nisi ubi tribus ignava Samsonem vinctum Philisthaeis tradidit[5]. Itaque magnifica illa promissio a Deo quasi oblivioni tradita esse videbatur. At fidelem esse Dominum in omnibus suis promissionibus nostrum opus denuo demonstrat. Ultima particula libri Iudicum et Ruth est genealogia Phares, filii Iuda, et ultimum genealogiae nomen, quo integer liber terminatur, est nomen Davidis. Quae conscribens Samuel quodam modo innuit, tempus tandem advenisse, quo splendida promissio Iudae facta impletionem suam sit inventura. Praeparandus autem erat populus, ut dignus fieret, qui sceptro aeterno regeretur; edocendus erat, promissum sceptrum non posse a rege qualicumque initium suum habere, sed ab illo solo rege, qui sit, « secundum cor Dei », atque Iudae tunc tandem filium illum datum iri, cui fratres omnes, i. e. reliquae tribus, honorem et obedientiam essent praestituri, cuius manus fortis subiectura esset omnes hostes in circuitu, qui quasi leo praeda onustus ex omnibus bellicis suis expeditionibus esset reversurus et regno suo fines patriarchis iam promissos « a flumine Aegypti usque ad magnum Euphratem » esset daturus, qui demum sceptrum aeternum esset accepturus, illud videlicet quod maiori suo filio, Messiam dico, erat transmissurus.

Id igitur sibi praecipuum proposuit auctor, ut divinam fidelitatem demonstraret in throni aeterni tribui Iudae promissi fundatione et confirmatione. *Hinc David, primus rex ex tribu Iuda divinitus vocatus, praeparatus, in thronum elevatus et in eodem confirmatus est thema libri;* de eo enim non tantum maior prioris libri pars (I. 16-31) et integer secundus liber diserte agunt, sed ad eum illa quoque pertinent, quae in principio operis (I. 1-15) de Samuele et Saule traduntur; de priore enim agitur, quia per illius ministerium Deus thronum illum fundare voluit, de altero autem, ut ex oppositione inter Saulem et Davidem clarius appareat, quidnam Davidem Domino reddiderit acceptum. *Hinc cardo totius operis est in aeterni throni promissione Davidi facta :* « Praedicitque tibi Dominus, quod domum faciet tibi Dominus. Quumque completi fuerint dies tui et dormieris cum patribus tuis, suscitabit semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum eius. Ipse aedificabit domum nomini mei, et stabiliam thronum regni eius in aeternum... Et fidelis erit domus tua et regnum tuum usque in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus iugiter ». *Hinc in operis exordio hanc aeterni throni promissionem iam innuit Anna Samuelis mater,* quum Domino gratias

agens in Spiritu praevidit « Dominum daturum imperium regi suo et sublimaturum cornu Christi sui ». Immo eodem modo, quo S. Lucas annuntiationem et nativitatem Ioannis B. fuse narrat, quia « praecessurus erat ante faciem Domini parare vias eius », etiam auctor noster de nativitate Samuelis fuse agit, quia ipse quoque praeparare debuit vias Davidis, typi Messiae. *Hinc iterum epilogus totus versatur in throni aeterni fundatione.* In novissimis enim suis verbis David magnum illum regem futurum celebrans, qui thronum suum aliquando sit occupaturus, « Dominatorem hominum (מוֹשֵׁל בָּאָדָם i. e. Dominatorem integri generis humani, Dominum « cui erit obedientia gentium »), Iustum (κατ' ἐξοχήν), Dominatorem in timore Dei, qui sicut lux aurorae futurus sit oriente sole, et sicut tempus matutinum absque nubibus et sicut pluvia producturus herbam de terra », admirabundus exclamat : « Annon tanta est domus mea apud Dominum, ut pactum aeternum inierit mecum, firmum in omnibus atque munitum »[6]? Hoc autem fine ad pulcherrimam unitatem redigitur universum opus, quandoquidem omnia, quae narrantur, concurrunt, ut fidelitatem Domini in magna hac promissione implenda demonstrent.

1. De fontibus, quibus usus est auctor, infra dicemus 92. p. 271 sqq.

2. *Goldhagen* Introductio II. p. 103 sq.

3. *Gen.* 49,8-11. Praeferendam in ultimo versu censemus lectionem שִׁלֹה, quam secuti sunt Alex. et Onkelos.

4. *Num.* 2,3. 9; 10,13 etc.; *Ios.* 14,6 sqq.; *Iudic.* 1,1 sqq.; 20,18.

5. *Iudic.* 15,9 sqq. — Othniel, primus Iudex, pertinebat quidem ad tribum Iuda, sed utpote Cenezaeus (*Iudic.* 1,13; 3,9. 11; cfr *Ios.* 14,6; *Num.* 32,12; *Genes.* 15,9) ex *posteris Iudae* non videtur fuisse. — Num Abesan Iudex Bethlehemita ex tribu Iuda fuerit, incertissimum est (Cfr *supra* 67. n. 3. p. 207)

6. 2 *Reg.* 7,11-16; 1 *Reg.* 2,10; 2 *Reg.* 23,3-5. De quorum textuum interpretatione cfr *de Hummelauer* Comment. in libros Samuel p. 319 sqq. 44 sqq. 430 sqq. De fine operis *integri* non multum dissentit *de Hummelauer* l. c. p. 21; tria enim opera, ex quibus integrum constare putat, censet « in unicum librum coaluisse, non casu sed consilio, ut unam nobis exhibeant *Historiam instituti primum apud Hebraeos regni* ».

85. — Attamen alterum quoque finem secundarium, qui cum primario intime est connexus, auctori praeluxisse libentissime concedimus. Vix enim quemquam fugiet, opinor, in opere nostro duorum primorum regum, quos Samuel a Deo iussus unxerat, res gestas ita enarrari, ut ex earum oppositione, qualem regem Deus populo suo praeesse velit, primo aspectu appareat. Saul ab initio quidem, quamdiu a Domino per prophetam duci se sinit, omnia feliciter peragit; quamprimum vero prophetae monita transgressus inconsulto Deo res gerere vult, immo diserta monita divina spernit vanisque excusationibus inobe-

dientiam suam tegere conatur, a Deo plane derelinquitur et reiicitur, rempublicam summo discrimini obiicit, se ipsum domumque suam perdit. Contra David, vir « secundum cor Dei », multis longisque aemuli sui persecutionibus non fractus sed eruditus, non agit nisi Deo consulto, voluntati divinae per prophetas manifestatae semper obsequitur, et quum ipse quoque a concupiscentia et vana gloria abreptus in gravia peccata esset lapsus, prophetam vanis excusationibus fallere non conatur, sed humilis poenas per eum annuntiatas suscipit, atque hac ratione dignum se exhibet magna aeterni throni promissione et divinitus adiutus regnum suum ad potestatis fastigium adducit domuique suae aeternum thronum acquirit. In Saulis igitur et Davidis historia regibus omnibus israeliticis speculum quoddam proponitur, ut se ipsi cum illis comparantes, quomodo sese debeant gerere, addiscant. Quam apte vero duplex hic libri finis tempori conveniat, quo illum conscriptum esse censemus ex infra (91) dicendis apparebit[1].

Antequam autem quaestionem hanc terminemus, pauca addere liceat, quibus clarius innotescet, quanta sit operis nostri utilitas. Samuelis enim aetate in republica israelitica duplicem factam esse mutationem nos docet, politicam alteram et alteram religiosam, quae ambae et in theocratia ipsa et in eius typica significatione gravissimi sunt momenti. Politicam iam innuimus; ab eo enim tempore Deus non amplius, quemadmodum antea, per viros immediate et extraordinario modo a se electos et vocatos (Moysen, Iosue, Iudices) populum suum regebat, sed per reges haereditarios, quos non iam ipse immediate dirigebat, sed quibus per prophetas voluntatem suam manifestabat. Quapropter etiam ab illo tempore, quo populus sibi ipse regem constitui postulaverat, prosperam et adversam reipublicae israeliticae fortunam a regum maxime, qui populum quodam modo repraesentabant, obedientia vel inobedientia pendere videmus; in Saulis igitur propter inobedientiam reprobati et in Davidis propter obedientiam exaltati historia velut praeformata et adumbrata sunt regum subsequentium atque totius reipublicae fata. Ad prophetas vero quod attinet, certum quidem videtur esse, inde a Moysis tempore Israelitis nunquam defuisse viros a Deo illustratos, quos in necessitatibus suis consulere potuerunt; illos enim se populo suo daturum promiserat Deus, ne ad ethnicorum augures et vates sese converterent[2]. Munere suo tamen potius velut personae privatae primis temporibus functi sunt prophetae, quamdiu populus per duces immediate a Deo vocatos regebatur, atque in vita publica admodum raro apparent[3]. Post Samuelem vero, qui non tantum velut iudex, sed etiam velut propheta Domini fidelis integro populo a Dan usque ad Bersabee innotuit et ardentibus suis concionibus filios Israel ad fidelem foederis observationem revocavit, multo

maior esse coepit prophetarum auctoritas, quippe qui ex eo tempore non solis privatorum quaestionibus de rebus quotidianis responderent, sed maxime publicas totius reipublicae res gererent, velut Dei ad reges legati. Quemadmodum enim Samuel Sauli Dei voluntatem manifestare iussus est et in Saulis reiecti locum Davidem suffecit, qui a Saule persecutore ad eum refugium quaesivit, post eius vero mortem Nathan et Gad prophetae Davidi promissiones et minas et poenas divinas annuntiarunt, ita ab eo tempore semper prophetas videmus internuntiorum divinorum munere fungentes, quibus Dominus voluntatem suam regibus revelavit[4].

Nostri quidem muneris non est, typicam duplicis istius mutationis significationem fusius persequi; paucis autem eam innuere nobis licebit. Christi *sacerdotis* munus praefiguratum iam erat aaronitico sacerdotio, omnibusque illis sacrificiis tam fuse in Pentateucho enumeratis et descriptis unum illud sacrificium ad totius mundi peccata redimenda in cruce offerendum et incruento modo usque ad mundi finem continuandum iam erat repraesentatum. At Christus a Iacobo praedictus erat *rex*, a Moyse *propheta*, duplicis vero huius muneris figurae clarae et perfectae ante Samuelis aetatem nondum erant propositae, Moysen ipsum si exceperis. Verum in Samuele prophetisque, qui eum secuti sunt, typus clarissimus et perfectissimus proponitur illius auctoritatis, quam Iesus Christus, prophetarum caput, quum in terris vivens per se ipsum, tum in coelis gloriose regnans per suum in terris vicarium exercere voluit. Atque sicut David, rex « secundum cor Dei », gentes vicinas sibi subiecit et a flumine Aegypti usque ad magnum Euphratem regnum suum extendens promissiones patriarchis factas implere coepit, ita Iesus Christus, « Dominator hominum » accepit « gentes haereditatem suam et possessionem suam terminos terrae ». Sed haec sufficiat innuisse, ne in alienam messem falcem misisse videamur.

1. Secundum *de Hummelauer* (l. c. p. 21) « satis probabile est, librum Samuelis a Nathan collectum esse eo fine, ut educationi pueri Salomonis inserviret ». De tempore quidem scripti operis non plane consentimus; optime autem monet, « librum Samuelis regum educationi esse aptissimum »; nam, uti animadvertit *Corn. a Lapide* : « Inde clare intelligent principes, fundamentum regni et politiae totiusque prosperitatis in vera religione et iustitia collocandum, extra hoc nihil christiano principi fore firmum aut tranquillum ».

2. *Deut.* 18,14 sqq.; 1 *Reg.* 9,3 sqq.; 3 Reg. 14,1 sqq.; 4 *Reg.* 1,3. Cfr *Orig.* in Cels. I. 36 (M. 11,729).

3. Propheta, qui de rebus publicis egerit, ante Samuelis aetatem non commemoratur nisi Iudic. 6,8 (et 1 *Reg.* 2,27); Moyses quidem, Iosue, Debbora et in genere Iudices omnes prophetis adnumerari possunt ac debent, sed aliud fuit eorum munus, quam illud iuniorum prophetarum, de quo agitur.

4. De politica prophetarum actione *infra* Dissert. III. § § 1. 2. recurret sermo.

§ 20. — *De librorum Samuel origine.*

86. — Quoniam ab interpretibus alexandrinis libri Samuel cum ll. (3.4) Regum ita sunt coniuncti, ut unum opus efficere videantur, cum antiquioribus interpretibus etiam moderni nonnulli unum quatuor librorum esse auctorem opinati sunt[1]. At duo opera, quae Iudaei palaestinenses semper distinxerunt (*supra* 81), pro uno parum recte habentur. Evidentissime id imprimis elucet ex utriusque operis diverso narrandi modo. Duorum enim posteriorum librorum auctor brevem plerumque rerum a singulis regibus gestarum conspectum exhibet lectoresque ad fontes, quibus ipse usus est, remittit ut uberiora ex illis hauriant[2]. In nostro autem opere non tantum omnes eiusmodi citationes desiderantur[3], sed res gestae Samuelis, Saulis, Davidis illae, quas recepit, tam fuse plerumque narrantur, ut eorum biographias interdum legere tibi videaris. — In posterioribus libris chronologiae ratio satis diligens habetur, siquidem singulorum regum aetas, qua regnare coeperunt, et regni duratio nunquam omittitur; in libris Samuel autem chronologicus ordo ita negligitur, ut nec quot annis Samuel et Saul regni gubernacula tenuerint, cum aliqua verisimilitudine ex illis definiatur, nec Davidis res gestae secundum temporis rationem cum certitudine distribuantur. — Porro librorum 3.4 Regum auctor de singulis regibus eorumque agendi modo *suum* iudicium exprimere laudesque et vituperia distribuere solet; interdum quoque unde eventus sint exorti et quomodo cohaereant demonstrat[4]; priorum vero librorum auctor *suum* iudicium vix unquam indicat, sed aut aliorum iudicia historice refert aut lectoribus iudicium relinquit. — Quibus demum adde in duobus prioribus libris linguam hebraicam esse puriorem, quam in posterioribus, in quibus haud infrequentes inveniuntur chaldaismi.

Neque minus priores duos libros a duobus sequentibus seiungendos esse deprehendemus, si ad tempus, quo exorti sunt, animos advertерimus. Dubitari enim non licet, quin ll. (3.4) Regum, qui historiam israeliticam usque ad 37. annum exsilii regis Iechoniae perducunt, ante medium exsilium non sint terminati, etsi non improbabiliter ante destructionem urbis et templi hierosolymitani dicantur inchoati[5]. At 1.2 Samuel nullum omnino exsilii vestigium exhibent, quin etiam regnum Iuda perdurare supponunt, atque omnia suadent, ut eos brevi post reipublicae israeliticae scissionem conscriptos esse dicamus (*infra* 91).

Contra hanc sententiam, quae duos priores libros opus completum et a duobus sequentibus prorsus distinctum esse tenet, id unum cum

aliqua veritatis specie obiectum est, quod apta clausula carere videantur, quoniam mortem Davidis non narrent[6]. Haec videtur fuisse causa, qua permoti antiquitus iam Lucianus M., Diodorus Tars., S. Chrysostomus, Theodoretus aliique ea, quae in principio 3 Reg. libri de morte Davidis leguntur, ad secundum librum traxerunt atque tertium a 3 *Reg.* 2,12 inchoarunt[7]. At obiectio erronee supponit auctorem nostrum integras Samuelis, Saulis, Davidis biographias aut integram davidici regni historiam tradere voluisse. Aliud autem sibi proposuisse auctorem ostendimus; ad fundationem vero et confirmationem throni aeterni in davidica domo mors Davidis nullatenus pertinet. Aptissime enim narrationi suae finem imposuit auctor illo momento, quo David devictis Absalomis et Sebae rebellionibus in urbem regiam reversus thronum suum vidit confirmatum et novis nominatis magistratibus regnum suum denuo constituit (2 *Reg.* 20,23-26). Capita autem, quae sequuntur, operis esse epilogum eximia cum arte compositum *supra* (83. *n.* 1 p. 249 sq.) ostendimus. Sua ergo apta clausula libri Samuel non carent; immo quemadmodum liber Iudicum et Ruth addita Davidis genealogia aeterni throni fundationem quodam modo indigitat, ita quoque operis nostri clausula narrato sacrificio in area Areuna, in qua templum erat aedificandum, sequens opus certo quodam modo praeparat.

1. *Iahn* Einleitung II. p. 232 sqq.; *Movers* Krit. Unters. über die bibl. Chronik. p. 4; *Herbst* Einleitung II. p. 139 sqq. (sed cfr quae *Welte* introductionis illius editor contra hanc sententiam disputat p. 142 sqq.) etc.

2. 3 *Reg.* 11,41; 14,19. 29; 15,7. 13 etc. Cfr *infra* 100 de fontibus II. Reg. p. 295 sqq.

3. Semel dumtaxat allegatur « liber Iustorum » (2 *Reg.* 1,18; cfr *Ios.* 10,13 et *supra* 61. 2. p. 194), in quo scriptum sit « canticum arcus ». At dum in ll. 3. 4 Reg. lector ad illos fontes remittitur, ut plura ipse ex iis hauriat, in nostro libro integrum illud canticum transcribitur. Diversus igitur est modus, quo fontes adhibentur.

4. 3 *Reg.* 11,1 sqq.; 13.33. 34; 15,3 sqq. etc.; — 4 *Reg.* 17,6-23 etc.

5. 4 *Reg.* 25,27. Cfr *infra* 99 p. 293 sqq. de tempore, quo scripti sint ll. 3. 4 Reg.

6. Cfr *Herbst.* l. c. p. 140; *Iahn* l. c. p. 232.

7. In codicibus nonnullis graecis in fine 2 Reg. legitur hoc scholion : « In Hexaplis et in accuratioribus exemplaribus 2 Regnorum liber desinit in narrationem de plaga populi et in emtionem areae Ornae; 3 Regnorum autem liber inchoatur ab historia de Abisag Sunamitide et de Adonia eiusque tyrannide. Sed *Diodorus* secundo libro Regnorum haec quoque adiungit usque ad mortem Davidis, similiterque *Theodoretus* » (*Field* Hexapla Orig. I. p. 588; *Montfaucon* Hexapla. M. 16,146). Teste *Field* (l. c.) cum Diodoro et Theodoreto faciunt codd. 19. 82. 93. 108. 245., qui librum tertium a 3 *Reg.* 2,12 incipiunt; sed hi codices sunt illi, qui *Luciani M.* recensionem versionis alexandrinae exhibere creduntur (cfr *Intr. gener.* Ed. 2. n. 133 p. 368; quare *Lagarde* (Librorum V. T. canonicorum pars prior graece. Gottingae 1883. p. 325) eadem ratione libros dividit, quum lucianeam recensionem restituere vellet. Graeca exemplaria operum *Theodoreti* sex priores eius quaestiones in 3 Reg. trahunt ad 2 Reg. (Cfr notam editoris opp. Theodoret. post qu. 6. M. 80,673). *S. Chrysostomi* sententiam expressam habes in eius Synopsi S. S. (M. 56,349).

87. — Iure igitur nostro duos priores libros Regum a duobus sequentibus velut opus completum separamus; sed quisnam eius est auctor? In *Thalmude* quidem « Samuel librum suum (i. e. librum eius nomine insignitum) scripsisse » asseritur, atque *S. Gregorius M.* quoque « hic liber, inquit, primus et secundus ad hoc prophetae *Samueli* adscribitur, ut *ex auctoris titulo* sentiatur historia, quam scribit, non tam historia esse quam prophetia »[1]. Quam sententiam erroneam esse demonstratione non indiget, quia Samuel satis diu antequam David thronum ascendit vitam suam finiverat. Itaque antiqui rabbini thalmudicam sententiam eo sensu esse intelligendam docebant, quod Samuel res suo tempore gestas conscripserit, reliquae autem partes prophetis Gad et Nathan debeantur; pro argumento autem ad 1 *Paral.* 29,29 provocant, quo in loco « gesta Davidis prima et novissima in libro Samuelis Videntis et in libro Nathan prophetae et in volumine Gad Videntis scripta esse » dicantur. Quam opinionem multi interpretes christiani adoptavere. « Primum Regum librum, inquit *Corn. a Lapide*, scripsit Samuel propheta usque ad mortem suam, quae recensetur 1 *Reg.* 25,1. Ita censent S. Gregorius, Theodoretus, Procopius, Eucherius, Hugo, Lyranus, Abulensis, Caietanus, Vatablus, Serarius et alii passim. Mortem vero Samuelis et gesta post eam usque ad finem libri secundi scripsit David, ait S. Isidorus, aut potius Nathan et Gad prophetae, qui Davidi erant a secretis et commentariis, ut scilicet eius acta per singulos dies quasi diaria et chronica conscriberent, uti diserte dicitur 1 *Paral.* 29,29. Ita censet Bellarminus et Sixtus Senensis, licet Abulensis eos ab Isaia vel Ieremia conscriptos putet, eo quod 1 *Reg.* 27,6 Siceleg dicitur facta regum Iuda usque in diem praesentem; hoc enim non videtur dixisse David, sed aliquis eo posterior, ut Isaias vel Ieremias. Verum haec particula libro iam composito addi potuit ab Isaia vel Ieremia, uti similia addita sunt in Pentateucho, Iosue, Iudicum et aliis libris. » Haec ille atque *Sanctius* simili modo asserit : « Est communis omnium fere sententia, a Samuele scriptum esse librum primum ad caput usque 25., ubi de illius agitur interitu; ab eo autem loco usque ad finem libri secundi Nathan et Gad Videntes i. e. prophetae, scriptores existimantur. Argumento est illud 1 *Paral.* 29,29 »[2].

At quamvis communis olim fuerit haec sententia, eam esse erroneam arbitramur, si ita intelligatur, ut trium prophetarum libri mechanico, ut ita dicam, modo in unum volumen sint coniuncti vel potius conglutinati. Hac enim ratione unitas, quae in nostro opere deprehenditur, exoriri non potuit. Eundem quippe in toto libro habemus dicendi narrandique modum, eundem stylum eandemque linguam, intimum quoque perpetuumque rerum omnium nexum, aptissimam immo

artificiosam quandam singularum pericoparum dispositionem, eundem in narrationum delectu finem: quomodo haec explicantur, si tres libri a diversis scriptoribus diverso tempore exarati in unum volumen sint colligati et conglutinati? Id igitur libenter concedimus — neque quidquam aliud asseritur 1 *Paral.* 29,29 — a Samuele Gad Nathan prophetis res gestas Davidis esse conscriptas; at eorum libri auctori nostro pro fontibus dumtaxat fuerunt, ex quibus ea, quae ad suum finem faciebant, magna cum cura selegit omissis multis aliis, quae prophetae illi, si regni diaria scripsisse creduntur, procul dubio etiam literis mandarant[3]. Quadraginta annis regnavit David, quam plurima bella gessit, quibus regni fines usque ad Euphratem extendit, adiuvantibus prophetis splendidissimun cultum religiosum introduxit, politicam regni sui rationem integram ordinavit, id quod ex variis aulae eius muneribus evidentissime elucet: num omnia haec Nathan et Gad, si erant « a commentariis », memoria non esse digna iudicaverunt[4]? Nonne potius dicendus est auctor noster, qui fundationem et confirmationem aeterni throni davidici describere sibi proposuit, omnia illa silentio praetermisisse, quia huic fini non inservierunt? Unum igitur auctorem operis esse statuendum pro certo asserimus, quoniam secus interna operis unitas non explicatur. Sed priusquam ulterius inquiramus, quisnam ille fuerit vel potius quo tempore floruerit, quaestio quaedam nobis est agitanda cum rationalistis.

1. *Baba bathra* fol. 14: — *S. Gregor. M.* in l. 1 Regum exposit. Prooem. 4. (M. 79,40).

2. *Corn. a Lap.* Comment. in ll. Reg. Argum.; *Sanct.* Comment. Proleg. 1.; *Goldhagen* Introd. II. p. 98. etc. — Animadvertas velim a Corn. a Lap. sententias Patrum et interpretum non satis accurate allegari. Verba *S. Gregorii* iam adscripsimus; *Theodoret.* (in ll. Reg. et Paralip. Prol. M. 80,529) suam sententiam de eorum origine sic exprimit: « Perspicuum est unumquemque ex prophetis ea conscripsisse, quae gesta sunt ipsius tempore. Alii autem quidam, quum illa collegissent, ex illis composuerunt opus Regnorum. Et rursum fuerunt alii historiographi, qui ea collegerunt, quae ab istis erant praetermissa et suum opus appellarunt Paralipomena ». Eadem ad verbum fere excerpsit *Procop. Gaz.* in 1 Reg. Prooem. (M. 87,1080). Simili modo *Card. Hugo* Ieremiam putat quatuor libros Reg. ex scriptis Samuelis, Davidis, Salomonis et iuniorum prophetarum composuisse etc. Consensus igitur tantus non est, quantus esse asseritur.

3. *Fr. de Hummelauer* (Comm. in libr. Sam. p. 9 sqq.) ad antiquiorum interpretum opinionem prope accedit, si trium prophetarum libros additis nonnullis glossis a propheta Nathan in unum opus apte secundum certum consilium coniunctos esse censet. Qua sententia admissa nonnullae difficultates, quibus rationalistae operis nostri auctoritatem impugnant, facile solvuntur. Sed ea nobis videtur esse integri operis unitas, quae trium diversorum librorum coniunctione exoriri vix potuerit; neque satis intelligimus, qua ratione usus « fastorum David » (l. c. p. 5 sqq.) cum trium librorum coniunctione concilietur. Quapropter licet sententiam propositam sua probabilitate non carere libentissime concedamus, alteram tamen sequi maluimus, qua unitatem operis melius servari arbitramur.

4. Immo vero prophetas omnia illa in suis commentariis tradidisse, docet Paralipomenon auctor. Undenam enim omnia illa hausit, quae de levitis a Davide in varias classes distributis, de cultu per eum aucto, de magnis thesauris ab eo in futuri templi exstructionem collectis etc. fuse tradit, nisi ex libris prophetarum, quos velut fontes in narrationis suae fine allegat?

88. — Ab uno quidem viro opus nostrum in hodiernam suam formam esse redactum, « critici » interpretes nobiscum fatentur. At illum fuisse compilatorem tam imperitum insinuant, ut ex diversis fontibus, quibus usus sit, satis multa transumserit, quae inter se parum consentiant aut etiam aperte pugnent, atque facta nonnulla, quae aliquantum mutata in variis fontibus narrata vidit, diversa esse putaverit et velut diversa narraverit. Quibus non contenti monent quoque, compilatorem illum in narrandi modo omnino a fontibus suis dependere, ita ut nonnulla brevissime et obiter tantum attingat, alia diffusissime exponat, atque ipsas clausulas, quas in fontibus suis invenit, inepte in suum librum transtulerit [1]. — Quam obiectionem, quae si veritate niteretur, non tantum operis unitatem sed etiam eius auctoritatem destrueret, negligere nobis non licet; arduum vero non est eam refutare, postquam antiquiores iam et moderni interpretes contradictiones illas non esse nisi apparentes plus semel demonstrarunt [2]. Quapropter omnes et singulos textus, quos rationalistis conquirere placuit, examini subiicere opus non est; non pauci enim sunt, in quibus quae difficultas possit inveniri equidem non video. Quid enim difficultatis habet, si seniores senectutem Samuelis et peccata filiorum eius pro rationibus allegant, ob quas regem sibi constitui desiderant (I. 8,5), Samuel autem paullo post de periculo, quod ab Ammonitis imminebat, tamquam de causa ad regem postulandum movente loquatur (I. 12,12)? Aut si Saul a Samuele privatim rex unctus (I. 10,1), atque (publice) coram populo sorte rex designatus (I. 10,21) post victoriam de Ammonitis reportatam ab integro populo rex agnitus esse (I. 11,15) refertur [3]? Aut si David caput Goliath in civitatem Ierusalem, quam iam a multo tempore possederunt Israelitae, attulisse narratur (I. 17,54), quamvis arcem (montem Sion) Iebusaeis non nisi rex eriperet (II. 5,9)? Aut si David arma Goliath in tentorio suo (i. e. in domo sua paterna) immediate post proelium deposuit (I. 17,54), gladium autem Goliath, quem Domino consecraverat, postea in tabernaculo foederis invenit (I. 21,10)? Haec et alia eiusmodi, quae satis multa conquisiverunt, longiore explicatione non indigent; pauca autem sunt, quae difficultate non omnino carent.

1. Cfr *Thenius* Die BB. Samuels (1842. p. XV sqq. et passim), *Davidson* Introduction (I. p. 511 sqq.), *de Wette Schrad.* Einl. (p. 337 sqq.), *Bleek Wellh.* Einl. (Ed. 4. p. 206 sqq.), *Wellh.* Prolegom. (p. 256 sqq.), *Bertheau* (Schenkel Bibellexic. V.

p. 161 sqq.), *Reuss* Gesch. d. A. T. (p. 299 sqq.), *König* Einl. (1893. p. 557 sqq.), *Cornill* Einl. (Ed. 3. 1896. p. 97 sqq.).

2. Ex antiquioribus consuli meretur prae ceteris *Sanctius* (Comm. in II. Regum. passim), ex modernis *Welte* Einleitl. Char. d. BB. Sam. (Tüb. Quartalschr. 1846. p. 183 sqq.), *Himpel* Ueber Widersprüche u. Quellen der BB. Sam. (l. c. 1874. p. 71 sqq.), *Clair* Les livres des Rois (1875. p. 17 sqq.), *de Hummelauer* Comm. in libr. Sam. (1886. passim). — Ex acatholicis utiliter conferuntur *Keil* Einl. (p. 200 sqq.), *eiusdem* Comm. zu. den BB. Sam. (passim), *Erdmann* Die BB. Sam. (p. 8 sqq.) in Lange's Bibelw. VI.), *I. I. Lias* (in Lex mosaica 1894. p. 222 sqq.), *Rupprecht* Des Rätsels Lösung. (II. 1. 1896. p. 273 sqq.).

3. Narratio de primi regis electione (cc. 8-12), quamvis optime inter se cohaereat, miris modis a « criticis » torquetur, ut ex variis relationibus composita esse demonstretur. Moderatus est *Dillmann* (Schenkel Bibellexicon s. v. Saul. V. p. 202 sq.), qui duas quidem relationes distinguit (9,1-10,16 + 10,27^b-11,11. 15 et 8,1-22 + 10, 17-27 + 11,12-14 + 12,1 sqq.), sed eas inter se consonare concedit. Unica autem ratio eius satis levis est; scilicet non intelligit, quomodo 11,3-5 nuntii urbis obsessae Iabes non ad Saulem sed ad universos terminos Israel missi dici potuerint, si scriptori ea cognita erant, quae de Saulis publica electione (10,17-27) narrantur. At duplex huius difficultatis solutio in aperto est. Apte enim respondetur, Iabesitas forte ex illis fuisse, qui Saulis electionem agnoscere noluerant (10,27); aptius autem monetur, sacrum textum non *diserte* quidem *asserere*, sed *tacite innuere* Iabesitas ad Saulem venisse. Cur enim statim in Gabaa Saulis (11,4) venissent, nisi per Saulem se ab « universis terminis Israel » auxilium obtenturos sperassent? Quod autem *absente Saule* legati cum omnibus incolis Gabaa nuntios suos communicant, id profecto difficultatem non creat. Longius alii « critici » progrediuntur; easdem duas, quas Dillmann, relationes agnoscit *Wellhausen* (Prolegomena. p. 260-268), sed eas inter se pugnare contendit, idque integris octo paginis tam diffuso et *confuso* modo demonstrare conatur, ut nesciam an se ipse intellexerit; pro argumentis habet nonnulla asserta, quae pro more blasphemiis quibusdam et rusticis verbis exornat. *Reuss* (Geschichte des A. T. p. 300) tribus relationibus indiget, quae inter se pugnent, ut nostram narrationem componat; prima habetur c. 8,1-22 et 10,17-27, altera 9,1-10,16, tertia demum 11,1 sqq.; quibusnam in rebus adsit pugna, doctissimus vir indicare dignatus non est. Mirum quod *Thenius* (l. c. p. 58; in I. 14,47) novam quoque relationem, quae cum prioribus pugnet, illis in versibus invenerit, in quibus auctor brevem rerum gestarum Saulis conspectum tradit. Putat enim Saulem victoria sua de Philisthaeis relata regnum occupasse; at errorem hunc evitasset, si S. Hieronymi versionem optimam recepisset, qui vidit verba illa וְשָׁאוּל לָכַד non esse sententiam primariam, sed secundariam, quae tempus indicat, a quo Saul « pugnare per circuitum » coepit : « Et Saul, *confirmato regno super Israel* », coepit etc.

1. Quibus num illud quoque adnumerari oporteat ignoro, quod Samuel « *cunctis diebus vitae suae* » filios Israel *iudicasse* narretur (I. 7,15). Monent scilicet adversarii, Samuelem senescentem in partem muneris filios assumsisse (I. 8,1) atque munere suo se abdicasse, postquam Saul ab integro populo agnitus est rex (I. 12,1 sqq.). Quam parum enim Samuel supremam auctoritatem deposuerit, quum « poneret filios suos iudices Israel » (8,1), evidentissime ex eo elucet, quod seniores eum adierint precantes, ut sibi constitueret regem (8,5). Neque etiam postquam Saul agnitus est rex, suprema Samuelis auctoritas cessavit; Saul ipse semper eam agnovit, atque David, ut

Saulis persecutioni sese subtraheret, ad Samuelem velut ad superiorem confugit (I. 19,18.). Duplici autem vocabuli *Iudicis* significatione ludere videntur adversarii, si Samuelem munere Iudicis se abdicasse obiiciunt. Iudicis munus, quatenus supremam auctoritatem in filios Israel significat, a Deo solo immediate conferebatur et ab eo solo auferebatur, neque magis in hominis potestate erat illud deponere, quam munere prophetico se abdicare. Samuel igitur, postquam « posuit filios suos iudices Israel », et multo magis postquam Saul agnitus est rex ab universo populo, iudicia agere quidem cessavit (I. 12,1 sqq.), sed « Iudex » permansit « cunctis diebus vitae suae » supremam exercens potestatem in Israel.

2. Eiusdem fere generis est altera difficultas : « Et humiliati sunt Philisthiim nec apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel; et facta est manus Domini super Philisthaeos *cunctis diebus Samuelis* » (I. 7,13). Nihilominus brevi post iterum videmus Philisthaeos in terra Israel (I. 10,5) eosque ita praevalentes, ut filii Israel in arcto positi sese absconderent in speluncis (I. 13,6) neque fabrum ferrarium in tota terra haberent, qui eis arma necessaria fabricaretur (I. 13,19) etc. — Difficultatis solutionem iam innuit *Sanctius* (in I. 7,13) monens illud in Scripturis « non ultra » fieri dici, quod « extraordinario modo fit et extraordinario cum successu » « Redierunt sane, inquit, Philisthiim tempore Saulis et adhuc vivente Samuele, immo fortasse aliquando Samuele regnante, licet id raro et nullo successu; verum quia post longum tempus et irrito conatu, dicuntur non ultra redisse ». Verba igitur primi hemistichii non sunt premenda, nec ullo modo ultima verba secundi hemistichii (« cunctis diebus Samuelis ») ad primum sunt trahenda. Profecto si « manus Domini facta est super Philisthaeos cunctis diebus Samuelis », Philisthaei « cunctis diebus Samuelis » in terram palaestinensem irrumpere illamque sibi subiicere conati sunt; nisi quis ergo inter duo hemistichia eiusdem versus contradictionem invenire voluerit, videtur esse concedendum, Philisthaeos reversos esse. Quapropter sensus integri versus hic est : « Philisthaei clade sibi apud Lapidem adiutorii (Ebeneser) inflicta animos desponderunt nec quamdiu cladis sequelas sentiebant Israelitas aggredi ausi sunt; quoties autem postea, vivente Samuele, reverti voluerunt, manus Dei erat contra eos nec unquam amplius eo modo praevalebant, quo ante istam cladem per quadraginta annos praevaluerant et Israelitas oppresserant ». Si forte terrae partem per certum tempus occuparunt et victoriam quandam obtinuerunt, tamen manus Domini erat contra eos, quia suis victoriis ipsis maiorem sibi attraxerunt cladem [1].

3. Satis gravis difficultas in conciliandis I. 10,8 cum 11,14 et 13,8 invenitur. In primo enim textu Samuel, postquam Saulem unxit eique tria signa, quibus divinam suam electionem cognosceret, indicavit, eum Galgala descendere ibique septem dies exspectare iubet, donec ipse eo sit venturus. In altero autem Samuel et Saul simul Galgala descendisse dicuntur, atque demum in tertio Saulem in Galgala septem diebus prophetam exspectare videmus. — Quoniam non satis perspexerunt, quomodo haec cohaereant, moderni nonnulli interpretes 10,8 immediate ante 13.8 inserere voluerunt putantes per errorem librarii versiculum istum e loco suo esse remotum, an-

tiquiores autem nonnulli (Abulensis, Caietanus etc.) mandatum 10,8 expressum dixerunt fuisse universale, ut quoties res occurreret, quae deliberationem desideraret, Saul in Galgala se conferret et Samuelem arcessitum septem diebus exspectaret[3]. Quibus violentis remediis non indigemus, si attenti totum contextum consideramus. Etenim Saul de divina sua electione eventu trium signorum a Samuele praedictorum certior factus ea agere iussus erat, « quaecunque inventura esset manus eius, quia Dominus adiuturus esset ipsum » (10,7). Quaenam haec sint, statim narrantur; post publicam enim electionem (10,17 sqq.) sese ei obtulit bellum ammoniticum gerendum (11, 1 sqq.), quo feliciter terminato in Galgala ab integro populo rex agnitus est (11,12 sqq.). Attamen quia ob eum praesertim finem rex erat creatus, ut a perpetuis Philisthaeorum incursionibus filios Israel liberaret (9,14), immediate post privatam suam unctionem a Deo per Samuelem audiverat, quid esset agendum imminente philisthaeo bello. In Galgala scilicet, quo in loco Iosue Iordane transgresso prima castra posuerat, descendere iussus est, ut ibi Samuelem septem diebus exspectaret et post sacrificia per prophetam oblata a Deo sciscitaretur, quomodo bellum istud esset gerendum (10,10). Quamobrem quamprimum post eius electionem Philisthaei bellum moverunt (13,3), Saul divini mandati memor populum in Galgala ad se advocat (13,4) ibique Samuelem exspectat (13,8) etc. Aptissime ergo omnia cohaerent; mandatum quidem statim post privatam unctionem promulgatum est, urgere autem non incepit nisi bello philisthaeo instante. Iter autem, quod una cum Samuele Saul post Ammonitarum cladem in Galgala suscepit, mandato illo non attingitur. Neve mirum esse tale mandatum dicatur, quod post multum tempus dumtaxat urgere inceperit. Saul tam extraordinario modo ad regnum vocatus et de divina sua electione signis extraordinariis certior redditus obedientia sua se hisce privilegiis dignum exhibere debuit : quam ob causam ei statim illud mandatum imponitur, obedientia autem non postulatur, nisi postquam non tantum signis extraordinariis promissis sed etiam auxilio divino contra Ammonitas iam obtento certior redditus est mandatum hoc vere esse *divinum*, ideoque etiam Samuel ad Saul : « Stulte egisti (rectius : *peccasti* נִסְכַּלְתָּ), nec custodisti mandata Domini Dei tui, quae praecepit tibi » (13,13) etc.

4. Gravem quoque difficultatem creare dicuntur I. 16,1-18,5, atque catholici quoque nonnulli in hac narratione duas relationes non satis concinno modo coniunctas esse arbitrantur. Cum quibus, licet eorum sententia nobis parum probetur, non disputamus, sed res nobis est cum rationalistis, qui 17,12-31 et 17,54-18,5 cum reliquis narrationibus aperte pugnare asserunt. Namque a.) ex iis, inquiunt, quae de Davidis unctione referuntur (16,1-13), lector patrem fratresque eius iam cognovit, nihilominus auctor iterum (17, 12-16) de illis loquitur, quasi eos nondum commemorasset; b.) Saul Davidem, « fortissimum robore et virum bellicosum », fecerat armigerum suum (16, 18. 21), exorto autem bello philisthaeo David ad gregem suum revertitur et casu dumtaxat postea in castra venit (17,17 sqq.); c.) Saul iam ante bellum Davidem eiusque patrem cognovit (16,18-22), at quando David ad pugnam

cum Goliath egrediebatur, nec Saul nec Abner, princeps militum, quidquam de iis scire videntur (17,55-58); d.) ante bellum quoque Saul iam ab Isai petierat, ut Davidem secum retinere posset (16,21. 22), nihilominus post Davidis pugnam iterum narratur, Saul eum secum retinuisse (18,2); e.) inter alia Saul etiam filiam suam illi promiserat, qui Goliath esset devicturus (17,25 sqq.), sed de hac promissione postea non recurrit sermo, et David aliis rebus praeclare gestis filiam Saulis sibi merere debuit (18,17).

Difficultatibus non plane carere nostram pericopen haud fugerat antiquos interpretes atque facili negotio nonnulli nodum sciderunt eiectis versibus 17,12-31 et 17,54-18,5. Ita inter graecos codices duo praestantissimi (B. א) cum paucis aliis. Revera illis omissis aptum et satis concinnum contextum remanere perspicuum est; id unum, si 17,12 sqq. omittuntur, non satis explicatur, quomodo David Saulis armiger cum baculo pera et funda in castris adfuerit. At violentior nec ullo modo probanda est haec difficultatis solutio; paucis enim illis codicibus, quamvis praestantibus, contradicunt cum plerisque graecis exemplaribus textus primigenius et versiones reliquae; Patres quoque graeci, *S. Chrysostomus, Theodoretus, Procopius Gaz.*, versus illos pro genuinis admittunt et *Fl.* Iosephus eos iam in suo codice versionis graecae legit[6].

Quo effugio relicto interpretes quidam catholici, ut diximus, auctorem versus 17,12-31 et 17,54-8,5 ex alio fonte hausisse coniiciunt atque novam relationem cum priore ita coniunxisse, ut contradictionibus omnibus evitatis nonnulla repeteret, quae magis minusve erant superflua, quia in priore iam contenta[7]. Quam explicationem, dummodo non ab imperito compilatore opus nostrum compositum esse teneat nec eius internam unitatem neget, non repudiamus, sed superfluam eam esse censemus, quia sine eiusmodi ambagibus difficultates directo modo satis superque solvuntur.

Namque quod ad primam attinet, fatemur quidem a nostro narrandi modo abhorrere, ut ea, quae paullo antea iam dicta sunt, iterum repetantur; repetitiones autem eadem cum cura et diligentia ab orientalibus scriptoribus non evitari inter omnes constat, atque ex libris nostris sacris satis multa essent eiicienda, si omnia, quae a nonnullis inutiles repetitiones vocantur, essent removenda[8]. Neque exaggerare licet repetitiones illas in nostra pericope. Verum enim praeprimis non est, auctorem 17,12 sqq. de Isai filiisque eius ita esse locutum, ac si eos nondum nominasset; dicens enim וְדָוִד בֶּן־אִישׁ אֶפְרָתִי־הַזֶּה מִבֵּית לֶחֶם יְהוּדָה (quod optime interpretatus est S. Hieronymus : « David erat filius viri Ephrataei, *de quo supra dictum est,* de Bethlehem Iuda ») diserte priorem suam narrationem in lectoris memoriam revocat. Quod si vero nihilominus iterum addit, Isai habuisse octo filios, et tres natu maiores nominat, nihil aliud facit, nisi quod satis frequenter in aliis libris factum esse videmus. Nonne tres filii Noe in quatuor capitibus sese excipientibus *quater* nominantur[9], ut ne ipsi quidem « critici » sciant, quomodo textus illos inter suos iahvisticos et elohisticos scriptores apte distribuant. Adde demum auctori non defuisse rationem repetitionis istius. Etsi enim de Davidis familia iam esset locutus, illo tamen temporis momento,

quo David, futurus rex, prima vice coram populo apparet et velut persona publica agere coepit, aptissime iterum eius patrem et fratres nominat. Simili fere modo in Exodo Moysis, cuius nativitas narrata erat, genealogia refertur, quando coram Pharaone causam populi sui agere coepit[18].

Nullius prorsus momenti esse id ducimus, quod secundo loco obiicitur, Davidem, quamvis Saulis armiger esset creatus, exorto bello domum ad gregem suum esse reversum (16,21; 17,15). Ioab, dux exercitus davidici, decem armigeros habuisse legitur (2 *Reg.* 18,15); multo plures procul dubio Sauli praesto erant, quapropter Davidis, qui armorum consuetudinem non habebat (I. 17,39) et a rege, ut coram ipso psalleret, in aula erat retentus (16,23), ministerio in bello non indigebat.

Difficilius autem explicatu est Saulis Abnerique colloquium de Davide Goliathum aggrediente (17,54 sqq.), quod quam plurimas et diversissimas expertum est interpretationes. Sunt qui auctorem in hac pericope ordinem chronologicum non observasse censentes pugnam Davidis et Goliath accidisse dicant, antequam David, ut coram rege psalleret, in aulam advocatus eius armiger esset factus; alii Davidis aspectum mutatum esse volunt, ut Saul eum non amplius recognosceret, sive quia ab eo tempore, quo David coram rege psallere solebat, usque ad pugnae tempus aliquot annos effluxerint, sive quia David ea tunc aetate fuerit, qua vultus lineamenta facilius mutantur; alii provocant ad Saulis a malo daemone agitati statum, ut explicent, quomodo Davidis recordatus non sit etc. Quibus omnibus effugiis non indigemus, si cum *S. Ephraem* attentius Scripturae verba consideraverimus. Davidem enim ipsum Sauli vel Abnero ignotum fuisse nullibi asserit auctor, sed regem interrogasse, *cuius filius* (vel ut recte vertit S. Hieronymus candem solutionem innuens: *de qua stirpe*) iuvenis esset[19]. Victori enim praeter divitias suam ipsius filiam se daturum patrisque domum a tributis liberaturum esse promiserat Saul; nihil igitur admirationis habet, quod de iuvenis familia nunc certior fieri desideraverit. Neve obiiciatur Saulem familiam Davidis non ignorasse, siquidem cum eius patre de filio in aula retinendo egerat (16,22); nam patris, quocum per nuntium dumtaxat egerat, nomen facile oblivioni dare potuerat Saul, atque ter repetita interrogatio, cuius sit filius (17,55. 56. 58), satis demonstrat, regem sollicitum fuisse de familia intimius cognoscenda; neque enim obscure innuit textus sacer, regem cum Davide longius hac de re esse collocutum (17,58; 18,1).

Reliquae duae obiectiones iterum satis sunt leves; nam 18,2 non exprimit tunc demum (post pugnam) Davidem in aulam esse receptum, sed ab eo tempore *semper* cum rege esse versatum; antea enim, prout occasio et necessitas postulaverant, in aula aut domi degerat (17,16). De promissionibus autem suis rex non amplius loquitur, quia forte eum tam magnifica promisisse poenituit nec filiam suam in pauperem et ignotam familiam collocare voluit; ex Scripturae silentio certissime non demonstratur contradictio. Neque inter 18,2-5 et 18,10 sqq. invenitur pugna qualiscunque; etenim satis longum temporis spatium duo ista facta separat. Devicto Goliath David a rege in castris retentus et factus est praefectus militum (18,5), quo munere fungebatur in toto isto bello; quum vero exercitus bello finito domum re-

verteretur, Saulis invidia excitata est cantico mulierum (18,6 sqq.), atque ab eo tempore non rectis oculis Davidem aspiciens (18,9) eum « tribunum super mille viros » fecit, ut eum a se removeret (18,13), et « coepit eum cavere » (18,15).

5. Etiam I. 19,2 sqq. et 20,2 sqq. inter se pugnare dicuntur, atque c. 20 iterum ex alio fonte esse haustum parumque apte cum praecedentibus connexum. Etenim Ionathan, inquiunt, qui Davidi patris sui insidias revelavit (19,2), quomodo eas paullo post potuit negare (20,2)? Porro si Saul omnia ea, quae 19,8-24 narrantur, contra Davidem molitus est, patet Davidem non amplius ad regis convivium venire potuisse, id quod tamen velut res, quae fieri debuit, supponitur (20,5. 26). — At errant adversarii, et tantum abest, ut cpp. 19. et 20. inter se pugnent, ut c. 20 non nisi supposito c. 19. intelligatur. Neque enim patris sui insidias negat Ionathan, sed spem fiduciamque suam exprimit fore, ut David ab inimicis eius non occidatur (20,2); atque simul ad ea respiciens, quae pater ei iuraverat (19,7), illa vero, quae postea acciderant (19,9 sqq.), aut ignorans aut subito et inconsiderato patris furori attribuens, iure asseruit, Davidi a patre suo, quippe qui omnia consilia sua cum ipso communicare solitus esset, nihil in proximo tempore esse timendum (20,2). David autem, utpote Saulis gener unusque ex primis tribunis militum, neomeniorum convivio interesse tenebatur (20,5. 25), illud autem adire noluit, quia experientia edoctus novas insidias inimici sui sibi timebat.

6. Demum contradictionem nonnemo in eo forsitan invenerit, quod II. 21,8 sermo sit de « quinque filiis Michol, quos genuerat Hadrieli filio Berselai Molathitae », quamvis alibi sterilis fuisse asseratur (II. 6,23), nec unquam Hadrielis uxor fuerit, sed Davidis et « Phalti, filii Lais, qui erat de Gallim » (I. 25,44; II. 3,15). — At evidens est, librarium nomini Merob, Saulis filiae, quae « quum deberet dari Davidi, data est Hadrieli Molathitae uxor » (I. 18,19), calami lapsu substituisse nomen Michol[11].

4. Praeter antiquiores interpretes cfr *Himpel* Tüb. Quartalschr. 1874. p. 76 sqq.; *Clair* in 1 Reg. 7,13 etc. Ex protestanticis modernis textum eadem ratione explicant *Keil*, *Erdmann* etc. — Aliam solutionem indicat *de Hummelauer* l. c. p. 90 sqq.

5. *Naegelsbach* in Herzog P. R. E. Ed. 1. XIII. p. 401. — *Tostat.* in 1 Reg. 10 qu. 11; *Caietan.* in 1 Reg. 13,8 etc. — Genuinam textuum explicationem iam tradit *Sanct.* in 1 Reg. 10,8. — Cfr etiam *Himpel* l. c. p. 82 sqq., *de Hummelauer* Comment. in libr. Samuel p. 115 137. etc.

6. De Codicum lectione cfr *Field* Hexapla Orig. I. p. 516. — *S. Chrysost.* in Gen. hom. 46,3.; Synops. S. S. (M. 54,425; 56,343); *Theodoret.* in 1 Reg. qu. 42. 43. (M. 80,568); *Procop. Gaz.* in 1 Reg. 17 (M. 87,1104). — *Fl. Ioseph.* Antiqu. VI. 9,2.

7. Cfr *Himpel* l. c. (Tüb. Quartalsch. 1874. p. 239.), *de Hummelauer* Comment. p. 13 sq. 183 sq. — Etiam inter Protestantes « orthodoxos » sunt, qui hoc in loco vestigium duorum fontium diversorum vident; cfr *Erdmann* l. c. p. 14 sqq.

8. Cfr ex. gr. quomodo Exod. 25-30 tabernaculum exstruendum eiusque vasa prius accurate describantur atque dein c. 35-40, ubi de mandati exsecutione agitur, eadem descriptio recurrat.

9. *Gen.* 5,32; 6,10; 9,18; 10,1.

10. Exod. 6,14 sqq. Cfr *supra* 23 p. 80 sq.

11. *S. Ephraem* in 1 Reg. 17,54. Opp. syr. I. p. 370. — Varias interpretationes antiquas et modernas afferre longum est nec quidquam iuvat.

89. — Praeter recensitas contradictiones « critici », ut ab imperito compilatore libros Samuel ex variis fontibus coagulatos esse demonstrent, ad eorundem factorum diversas relationes provocant, quas deprehendisse sibi videntur. Auctorem nostrum pro orientalium scriptorum more aliquoties idem factum innuisse aut retulisse iis in casibus, in quibus nostrates a repetitione forte abstinuissent, non diffitemur. Quo spectant duplex mortis Samuelis narratio (I. 25,1 et 28,3), duplex familiae davidicae enumeratio, de qua diximus, paucaque alia. Immerito autem eo trahitur duplex principum regni davidici enumeratio (II. 8,16-18 et 20,23-26), quoniam de diverso regni tempore et statu est sermo; atque multo minus eo trahi licet duplicem, quae in nostris libris habetur, occisionis Goliath commemorationem, siquidem alter textus errore librariorum est corruptus[1]. At huiusmodi repetitionibus, quas adesse concedimus, quibus autem contra internam operis unitatem quidquam effici negamus, non contenti adversarii nostri etiam similia facta, quae narrantur, identica declarant, atque ob eorum duplicem relationem auctorem ignorantiae imperitaeque compilationis accusant. Praecipuae eorum obiectiones sunt hae.

Bis Saulem in cuneo prophetarum a Spiritu abreptum prophetasse narrat opus nostrum (I. 10,10 sqq.; 19,23. 24); semel dumtaxat id factum esse volunt « critici ».·Quomodo autem aliquis duas has relationes, quae tam diversae sunt, ut ne in una quidem re consentiant, de eadem re gesta agere coniecerit, non satis intelligimus. At, inquiunt, in utraque narratione origo proverbii : *Num et Saul inter prophetas?* explicari videtur (« propterea versum est in proverbium »; « unde et exivit proverbium »), quare de eodem facto agi evidens est. Respondemus sacrum scriptorem cum solo priore facto *originem* proverbii coniungere (עַל־כֵּן הָיְתָה לְמָשָׁל « propterea *factum est proverbium* »), in altero autem cum non vidisse nisi proverbii iam cogniti confirmationem (עַל־כֵּן יֹאמְרוּ « *propterea dicunt* »; parum apte enim vertit S. Hier. etiam hoc loco : « unde et exivit proverbium »).

Neque maiore cum iure reprobationem Saulis eadem fere ratione bis narrari obiiciunt (I. 13,13. 14; 15,10 sq.). Post priorem enim inobedientiam, quae aliquo modo excusari potuit, futura *domus* Saulis reiectio praedicitur : « Quod si non fecisses, iam nunc praeparasset Dominus regnum tuum super Israel *in sempiternum*, sed nequaquam regnum tuum *ultra consurget* », sc. quaesivit Dominus iam virum secundum cor suum, qui Saulis futurus esset successor (13,13. 14). Post alteram vero inobedientiam, quae nullam prorsus admisit excusationem, « poenituit Dominum, quod constituisset *Saulem regem* », ideoque Sauli ipsi reiectio annuntiatur : « Pro eo, quod abiecisti sermonem Domini, abiecit *te* Dominus, ne sis rex » (15,10. 22). Quam ob

causam propter priorem reiectionem Saul in suis bellis a Deo non derelinquitur sed adiuvatur (13,16 sqq.), verum post secundam « recessit Spiritus Domini a Saul et exagitabat eum spiritus nequam a Domino » (16,18).

Semel tantum Saulem in Davidem lanceam misisse volunt adversarii, quamvis bis id factum esse asserat sacer textus (I. 18,10. 11; 19,9. 10). Sed cur id bis accidere non potuerit, eo minus apparet, quo certius constat Saulem, quoties a malo spiritu exagitabatur, ad hastam mittendam fuisse proclivem (I. 20,23). Ceterum ut rationalistis solatium aliquod praebeamus, libenter concedimus, in priore textu (18,10. 11) de solo conatu, aut si malunt de tentatione quadam, agi ac proin revera semel tantum Saulem lanceam suam in Davidem misisse. — Semel quoque dumtaxat Davidem ad Achis regem Geth fugisse, atque semel tantum eum Saulis vitae pepercisse volunt, quamvis iterum utrumque bis factum esse narrent libri nostri (I. 21,10 sqq. et 27,1 sqq.; — 23,19-24,23 et 26,1-25). Verum quidem est in utroque casu omnia prorsus esse diversa; at per se patet, modernis nostris « criticis » multo meliores, quam auctori librorum Samuel, fontes prae manibus esse, ex quibus eius narrationem cum certitudine corrigant; praeiudicia enim sua habent, secundum quae historia integra a priore construitur. Quibus immorari superfluum est; si « criticorum » agendi ratio praevalebit, demonstrabimus etiam Hannibalem semel dumtaxat Romanos devicisse, semel dumtaxat hoc nostro saeculo cholera morbum terras Europae devastasse et alia eiusmodi.

1. Cfr 2 *Reg.* 21,19 cum 1 *Paral.* 20,5. Antiquiores interpretes plerique partim per S. Hieronymum ipsum, qui hoc in loco, uti saepe, nomina propria hebraica appellativis reddidit, partim per *Pseudo* Hieronymum (in 2 *Reg.* 21,19. M. 23,1425) in errorem inducti utrumque textum de Goliath intellexerunt, quem David occidit, et *Pseudo* Hieronymum secuti nomina « Adeodatus, filius saltus, polymitarius, Bethlehemites » ad Davidem traxerunt (Ita *Glossa*, *Rupert. Tuit.*, *Card. Hugo*, *Lyran.* etc.). At recte monuit iam *Tostatus*, quem secuti sunt recentiores omnes (cfr *Sanct.* in 2 Reg. 21,15 et *a Lap.* in 2 Reg. 21,19) de Davide non esse sermonem. Secundum textum hebr. habemus (2 Reg. 21,19) : « et percussit Elchanan filius Iaare Orgim Bethlehemites Goliathum Gethaeum » (Alex. καὶ ἐπάταξεν Ἐλλανὰν υἱὸς Ἰαρὲ τῶν ὑφαινόντων ὁ Βεθλεεμίτης τὸν Γολιὰθ τὸν Γετθαῖον). Sed 1 *Par.* 20,5 : « Et Elchanan, filius Iair, percussit *Lachmi, fratrem Goliathi* Gethaei » (Alex. καὶ ἐπάταξεν Ἐλεανὰν υἱὸς Ἰαεὶρ τὸν Λεεμεὶ ἀδελφὸν Γολιὰθ τοῦ Γετθαίου). Quomodo textus sit corrigendus vide apud *de Hummelauer* Comm. in libr. Sam. p. 426.

90. — Imperitum compilatorem fuisse auctorem nostrum moderni quidam etiam ex diverso eius narrandi modo et ex clausulis, quas inepte ex fontibus in opus suum transumserit, concludunt[1].

Conqueruntur scilicet, quod auctor interdum accuratissima cum diligentia singula quaeque narret et veram biographiam tradere videatur, interdum autem ieiuno et arido modo nonnulla attingat potius quam narret. Priorem narrandi modum in II. 10,1-20,22, alterum in II. 5,1-16; 8,1-18; 21,15-22; 23,8-39 inveniunt. — Cui obiectioni praeprimis respondeamus oportet, auctoris esse definire, quae et quomodo singula referre velit, ut finem, quem sibi

proposuit, attingat. Ubinam in toto terrarum orbe invenitur auctor, qui fine suo neglecto omnia et singula eodem modo tractaverit aut tractare voluerit? Praeterea obiectio innititur falso supposito. Procul dubio si auctor totius aetatis a Samuelis nativitate ad usque mortem Davidis accuratam et completam historiam tradere voluisset, iure accusaretur, quod alia extremis tantum, ut dicitur, digitis attigisset, alia plane omisisset. Verum auctori iste scribendi finis erronee attribuitur.

Exempla quoque sua infelici manu elegerunt adversarii; etenim II. 5,1 sqq. satis accurate narratur, quomodo David ab integro populo agnitus sit rex et regni sedem in arcem Sion transtulerit (5,1-12); paucis vero verbis in fine pericopae (5,13-16) filii, qui ei in Ierusalem nati sunt, enumerantur; at quis quaeso singularum uxorum et singulorum filiorum Davidis exspectaverit accuratam descriptionem? In II. 8,1-18 conspectus nobis exhibetur omnium bellorum, quibus David fines regni sui extendit; quis iterum omnium bellorum diffusam et enucleatam descriptionem exspectaverit, et quis non videt, brevi hoc conspectu felicem Davidis a Deo adiuti sortem multo clarius illustrari, quam longa singulorum proeliorum enarratione? Atque idem omnino dicendum est de enumeratione quatuor bellorum philisthaeorum (II. 21,15-22) et de catalogo heroum (II. 23,8-39). Ut enim ostenderet Deum servo suo Davidi nunquam defuisse eique etiam illa instrumenta praeparasse, quibus ad regnum suum extendendum indigebat, auctor illa attulit; ac profecto, si omnia illa singulatim et minutatim prosecutus esset, Davidis imaginem obscurasset potius, quam illuminasset.

Quid vero de clausulis dicemus? Nonnullas pericopas reperiri, quae pro clausulis haberi possint ac debeant, nos quoque fatemur; quaestio autem illa est, num inepto modo auctor illas ex aliis libris in suum opus transtulerit, an aptissime varias operis partes illis distinxerit. Ea, quae I. 7,15-17 de Samuelis munere leguntur, clausulam certe aliquam constituunt; quomodo autem probabunt, eam non deberi auctori nostro, qui verbis illis introductionem libri sui terminare voluerit, sed eam olim fuisse alterius operis epilogum? Quin si id daremus, non inepto sed aptissimo modo auctorem nostrum illa esse usum, integra operis structura doceret. Alteram clausulam inveniunt I. 14,47-52, neque negamus pericopen illam pro clausula haberi posse, quatenus nimirum auctor, antequam ad ultimam Saulis reiectionem transiret (15,1 sqq.), brevi conspectu regni et familiae Saulis exhibito feliciorem vitae eius partem terminare voluit; at iterum non videmus, quo cum iure particula illa inepte ex altero opere transcripta dicatur. Tertiam inveniunt in II. 8,15-18, at immerito; illo enim in loco (8,1-10,19) auctor felicis regni davidici exhibet conspectum, ideoque felicitatem illam describit a bellis feliciter gestis (8,1-14) et a bona regni administratione interna (8,15-18), illamque illustrat sorte infelicissima domus saulicae, cui David eximia cum magnanimitate succurrit (9,1-13). Quartam demum inveniunt II. 20,23-26, idque rectissime; clausulam enim ibi revera habemus, sed operis nostri, non operis alieni; recuperatum regnum enim firmiter a Davide esse constitutum voluit ostendere auctor, antequam in epilogo (21, 1 sqq.) integram suam narrationem novis argumentis illustraret et confir-

maret. Unitas ergo libri intimusque omnium partium nexus clausulis istis non turbatur.

1. Cfr praesertim *Thenius*. Die BB. Samuel's p. XV. sq., qui duas has rationes primo in loco posuit.

91. — Nihil igitur in libro invenitur, quod imperitum vel negligentem compilatorem prodat, sed ea est operis unitas, ut sollerti auctori illud adscribamus necesse sit. Quisnam vero is fuerit, neque ex Scriptura neque ex traditione constat; nonnulla tamen in promtu sunt, quibus cum aliqua verisimilitudine definitur, qua fere aetate floruerit. Si a paucis hypercriticis abstrahimus, qui, ne libri nostri antiquitate concessa etiam Deuteronomium antiquiori tempori adscribere cogantur, originem vel potius ultimam eius redactionem postremae regni Iudae aetati attribuunt[1], omnes interpretes rationalistis non exceptis consentiunt, auctorem non diu post Davidis aetatem vixisse[2]. Eum omnium rerum, quas narrat, coaevum non fuisse evidens est; plus centum annorum enim historiam a Samuelis nativitate usque ad davidici regni finem nobis narrat; explicat quoque nomen Samuelis aetate usitatum, quod suo tempore non amplius adhibebatur, atque eius aetate filiae regum non amplius eadem ratione vestiebantur, qua ultimis annis regni davidici[3]. Accedit quod oppidum Siceleg « *regum Iuda* » usque ad suam aetatem fuisse asserat; appellatio autem « *rex* Iuda » exorta esse non videtur, antequam a rege Roboam decem tribus defecerunt. Etsi enim antea Iuda et Israel iam distinguebantur et David quoque in Hebron, antequam ab integro populo esset agnitus, titulum regis Iuda gerebat, tamen reges regni integri et uniti semper vocabantur reges Israel. Unde videtur esse consequens, auctorem nec sub Davide nec sub Salomone vixisse, at quominus eum sub Roboam floruisse dicamus, nihil omnino obstat; immo non desunt, quae eius aetate paullo post regni scissionem opus nostrum conscriptum esse suadeant.

Praeprimis enim iunioris aetatis nullum deprehenditur vestigium. Namque ea, quae de mutato filiarum regiarum habitu dicuntur et de nova prophetarum appellatione, non creant difficultatem. Salomonis scilicet uxorumque eius alienigenarum luxuriam novos vestium mores induxisse verisimillimum est, et quod centum annis post Samuelem prophetae alio nomine sint designati, quis mirabitur? Illa ipsa, quae Alexandrini nostro textui addunt, iuniorem, quam Roboami, non produnt aetatem[4]. Si vero argumentum et finem operis nostri consideramus, nescio an ullam in tota historia israelitica aetatem inveniamus, cui aptius, quam Roboami regno, illud attribuamus. Longe maior populi pars a domo davidica defecerat sibique

novum regem constituerat; domus davidica ipsa periclitari videbatur, atque magno huic periculo filius et nepos Davidis ipsi infidelitate et levitate sua regnum et domum suam obiecerant. Iam quid aptius, quam ut eo tempore propheta aliquis, ut populum et regem doceret, eis initia regiae dignitatis in memoriam revocaret? Fidelitatem suam demonstrasse Deum in aeterni throni, quem tribui Iuda promiserat, fundatione et confirmatione, ostendit auctor noster; a vera via igitur aberraverant decem tribus, et sese ipsae quodam modo absciderant ab illo populo, ad quem solum promissiones divinae pertinebant; quare ad obedientiam successoribus Davidis, cui aeternus thronus promissus erat, debitam revertendum illis erat, si promissionum patriarchis factarum participes esse volebant. At simul quoque Roboam edocebatur, qua ratione sceptrum patris sui gerere deberet. In Saule enim, qui ob inobedientiam et levitatem suam erat a Deo reiectus et regno privatus, et in Davide, avo eius, qui nihil inconsulto Deo agens obedientia et fidelitate sua a Domino exaltari meruerat, immo etiam post gravissima peccata, quum Dei voci obsecutus poenitentiam egisset, regnum integrum recuperaverat, ei exempla proponebantur, quibus quid facto opus esset efficacissime edocebatur. Quae quum ita sint, prophetam aliquem, qui Roboami tempore floruit, auctorem operis nostri asserere non dubitamus.

1. Ita *Wellhausen in* Bleek Einleitung. Ed. 4. p. 229; *De Wette Schrader* Einl. p. 346.

2. Ipse *Reuss* (Gesch. des A. T. p. 298), qui opus exortum putat immediate post regni septemtrionalis destructionem, monet se nihil habere, quo illum refutaret, qui libros nostros iam antea conscriptos esse contenderet. Etiam *Thenius* (Die BB. Samuel p. XXIII) auctorem non diu post Davidem floruisse censet, *Ewald* (cfr Bleek Einl. Ed. 3. p. 364) opus circiter viginti vel triginta annis post Salomonem scriptum dicit etc. — Inter « orthodoxos » *I. I. Lias* (Lex mos. p. 235 sqq.) aetati Davidis, *Haevernick* regno Salomonis, *Keil* (Einl. p. 208) aliique regno Roboami vel filii eius nostrum opus attribuunt. — Inter catholicos modernos *Clair* (Comm. p. 36) et *Zschokke* (Hist. sacr. A. T. p. 284) post mortem Davidis sed ante exsilium, *Welte* (Herbst-Welte Einl. II. p. 151) et *Danko* (Historia revel. V. T. p. 452) non diu post scissionem regni opus scriptum dicunt : *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 71) Roboami, *Kaulen* (Einl. p. 190) Ahiae, filii Roboami, regno opus attribuunt; *de Hummelauer* (Comment. in 1. 2 Reg. p. 21) satis probabile esse putat, Nathani, Salomonis magistro, opus deberi.

3. 1 *Reg.* 9,9 « Qui propheta dicitur hodie, vocabatur olim (Samuelis aetate) Videns »; 2 *Reg.* 13,18 : Thamar « induta erat talari tunica; huiuscemodi enim filiae regis virgines vestibus utebantur ».

4. 2 *Reg.* 8, 7 Postquam narratum est Davidem magnam copiam aeris ex Soba in Ierusalem attulisse, addunt Alexandrini : « ἐν αὐτῷ ἐποίησεν Σαλομὼν τὴν θάλασσαν τὴν χαλκῆν καὶ τοὺς στύλους καὶ τοὺς λουτῆρας καὶ πάντα τὰ σκεύη ». Simili modo 2 *Reg.* 14, 27 recensitis tribus filiis et una filia Absalomis addunt : « καὶ γίνεται (sc. Thamar, Absalomis filia) γυνὴ Ῥοβοὰμ υἱῷ Σαλομὼν καὶ τίκτει αὐτῷ τὸν Ἀβιὰ ». Ex usu formulae « usque ad hodiernam diem » (I. 5,5; 6,18; 30,25; II. 4,3; 6,18; 18,18) nulla ratione origo libri definiri potest (cfr. *supra* 24. p. 84).

§ 21. — *De librorum Samuel auctoritate.*

92. — Librorum nostrorum auctor, etsi eius nomen ignoretur neque de eius aetate quidquam cum omnimoda certitudine statuatur, summa tamen FIDE HISTORICA dignus ab omnibus fere semper est habitus, idque iure merito; siquidem optimos fontes eum prae manibus habuisse ex illisque accurata cum diligentia hausisse, quaecunque ad finem suum facere iudicavit, operis nostri indoles manifestat.

Atque 1. quidem fontes quum scripti tum orales ei non defuerunt, ex quibus *certam* rerum narrandarum scientiam hauriret. Namque ex Paralipomenon libris constat tres prophetas, Samuelem, Nathan, Gad, res davidicas literis consignasse [1], atque facile concedent omnes, Samuelem commentarios suos non a Davidis, sed a suis ipsius rebus gestis inchoasse, quippe quibus regnum davidicum esset praeparatum. Praeter quae opera in Paralipomenis « fasti regis David » nominantur, qui num a trium prophetarum libris distincti et diversi fuerint, non satis constat [2]. Sunt enim, qui regum res gestas a publicis ministris cum publica quadam auctoritate literis esse mandatas putent, atque nomine « fastorum regis Davidis » publicos regni eius annales intelligant. Quidquid autem de hac sententia est, de qua infra (100) erit disserendi locus, illud, opinor, nemo qui priorem Paralipomenon librum (1 *Paral.* 10,1-29,30) cum altero libro Samuel (II. 1,1-24,25) unquam comparaverit, in dubitationem vocabit, quin auctor noster, quamvis eos non alleget, iisdem fontibus, quibus auctor Paralipomenon, sit usus. Satis multos enim et longos deprehendet textus, in quibus usque ad verbum fere ita consonant [3], ut accuratiore eorum instituta comparatione nec auctorem nostrum eos ex Paralipomenis, nec Paralipomenon auctorem eos ex opere nostro, sed utrumque, id quod iam innuit Theodoretus, eos ex communi fonte hausisse appareat [4]. Porro commentarios a prophetis Samuel Nathan Gad conscriptos summa fide fuisse dignos, demonstratione non indiget, quum sola impietas id unquam sit negatura. Neque ulla quoque est ratio, cur « fastis Davidis », si a persona publica conscripti sint, fides negetur.

At hi non fuerunt unici auctoris nostri fontes scripti; pulcherrimam enim Davidis de Saulis Ionathaeque morte elegiam (II. 1,19-27) ipse se ex « libro Iustorum » hausisse asserit, ex eodem igitur libro carminum nationalium, qui Iosuae tempore iam exstitit et procedente tempore novis additis canticis auctus est [5]. Carmen quoque, quod cecinit David « in die, qua liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum et de manu Saul » (II. 22,1 sqq.), ex primo

Psalmorum libro, quem a Davide collectum esse censemus[6], probabiliter transumsit. Num Annae canticum (I. 2,1-10) et « novissima verba » Davidis (II. 23,1-7) ex canticorum collectione quadam, an ex prophetarum libris supra nominatis descripserit, non liquet.

Demum oralis quoque traditio ei pro fonte inservivit. Samuelis enim duorumque primorum regum suorum res gestas Israelitas oblivioni non dedisse evidens est, neque minus est certum, traditionem illam, etsi literis mandata non esset, facile puram illaesamque ad aetatem usque Roboami conservari potuisse. Illi enim conservandae inserviebant monumenta, quae integer populus prae oculis habebat, proverbia, quae in omnium erant ore, nomina nonnulla, quae ipsa sua significatione res gestas in memoriam revocabant[7]. Prae ceteris autem Davidis vitae memoriam vivam puramque conservabant Psalmi davidici, quorum continuus erat in liturgia ac probabiliter etiam in vita privata usus; siquidem non pauci facta illa, quae in nostro libro narrantur, aut in inscriptionibus suis commemorant aut in toto suo argumento ita supponunt, ut ab illis, qui davidicam historiam ignorant, non intelligantur[8].

2. Quos copiosos et fide dignos fontes auctor noster etiam velut *scriptor peritus et fidelis* adhibuit. Eum non mechanico quodam modo alios libros conglutinasse supra iam ostendimus; contradictiones quoque vel duplices eiusdem facti relationes, quas « critici » in nostro opere reperire voluerunt, non adesse demonstravimus; praecipuam ergo, quam contra eius auctoritatem historicam urgere conantur, obiectionem iam praeoccupavimus. Si quis vero numeris nonnullis, qui parum videntur esse probabiles[9], in medium prolatis auctorem nostrum ignorantiae accusaret, iure accusari librariorum, qui libros nostros transcripserunt, oscitantiam et negligentiam concederemus; auctorem autem accusari non posse contendimus, donec numeros illos in autographo textu adfuisse sit demonstratum. Iam vero, ni fallimur, numerorum illorum, qui in nostro libro et in Paralipomenis leguntur, discrepantiae atque variae lectiones illae, quas in suis iam codicibus olim Alexandrini aliique antiqui interpretes repererunt, satis ostendunt autographum textum purum et illibatum nobis non esse transmissum[10].

Summam demum auctoris in fontium usu fuisse *sinceritatem et fidelitatem* totum opus clamat. Ne minimum quidem detegitur vestigium, quod partium studio aut indebito gentis suae vel domus davidicae amore eum ductum esse prodat. Non minus enim candide et aperte ea, quae sive Samueli et Davidi, sive Sauli et integro populo, sive uni ex ducibus aut filiis Davidis vituperationi sunt, in medium affert, quam ea, quae iisdem sunt laudi et honori; atque tanta cum

claritate ubique elucet hoc ingenuae veritatis studium, ut vel ipsi rationalistae multi illud agnoscant [11], omnes autem narrationis simplicitatem et perspicuitatem, accuratam et diligentem rerum omnium indicationem, personarum vividam ac veram descriptionem admirentur [12].

1. 1 *Paral.* 29, 29. Inter modernos aliqui (*Eichhorn* Einl. III. p. 474; *Movers* Krit. Untersuchungen über die bibl. Chronik p. 178 etc.) titulum « librorum Samuelis, Nathani, Gadi » (דברי שׁ'נ'ג' « verba Samuelis » etc.) ita intelligere volunt, ut libros designent, qui *de* Samuele, Nathano, Gad agunt (non vero libros, qui ab illis sint conscripti) et quod magis mireris, nostros libros 1. 2 Samuel isto titulo ab auctore Paralip. allegari volunt. Nostros 1-4 Regum libros auctori Paralip. cognitos fuisse non negamus, sed certum est, cum nostros 1. 2 Sam. non miro illo titulo « *verba Samuelis, Nathani et Gad* » allegasse. Quo enim cum iure de Nathano et Gad agere ideoque secundum eos appellati esse dicuntur, quum prioris prophetae nomen in tribus (II. 5. 7. 12.), alterius in duabus (I. 22. II. 24) dumtaxat pericopis ponatur? Praeterea in Paralipomenis eadem ratione aliorum prophetarum « verba » (Semeiae, Ado, Iehu 2 *Paral.* 9,29; 12,15; 20,34 etc.) ita allegantur, ut libri ab illis conscripti sint intelligendi. Rectissime igitur longe plerique moderni interpretes antiquam explicationem 2 *Paral.* 29,29 retinent.

2. 1 *Paralip.* 27,24. Numerus recensitorum « non est relatus in *fastos regis David* ». Hoc solo in loco S. Hieronymus vocabulo « fastorum » usus est; in aliis omnibus hebraicam locutionem סֵפֶר דִּבְרֵי הַיָּמִים ad literam reddit : « liber verborum dierum » (regum Iuda); eodem modo Alexandrini « τὸ βιβλίον λόγων τῶν ἡμερῶν τῶν βασιλέων (Ἰούδα) ».

3. Loci praecipui paralleli sunt hi :

1 *Reg.* 31, 1-13	=	1 *Paralip.* 10, 1-12	2 *Reg.* 7,1- 8,18	=	1 *Paral.* 17,1-18,17
2 *Reg.* 3, 2-5	=	3, 1-3	10,1-11,1	=	19,1-20,1
5, 1-10	=	11, 1-9	12,26-31	=	20, 1-3
5,11-25	=	14, 1-17	21,18-22	=	20, 4-8
6, 1-11	=	13, 1-14	23, 8-39	=	11,10-47
6,12-23	=	15,25-29	24, 1-25	=	21, 1-27

4. Auctores Paral. et nostri operis iisdem fontibus usos esse docet comparatio textuum 2 *Reg.* 5,6-10 et 1 *Paral.* 11,4-9. *Movers*, qui (l. c. p. 198-262) omnes differentias inter 1-4 *Reg.* et 1. 2 *Paral.* fuse explicare conatur, ipse quoque fateri cogitur, nonnullis saltem in locis utrumque auctorem ex iisdem fontibus hausisse (l. c. p. 186 sqq.). — Cfr *infra.* 112. n. 5. et *de Hummelauer* Comm. in II. Samuel p. 5 sq., qui exemplis allatis accurate ostendit, utrumque auctorem iisdem quidem fontibus esse usum, sed Paralipomena non dependere a nostro libro.

5. *Ios.* 10.13. Cfr *supra* 61. 2. p. 194.

6. Ps. 17 (18.). De Psalmorum collectione cfr *infra* 191.

7. Monumenta : 1 *Reg.* 6,18; 7,12; proverbia I. 10,12; II. 5,8; nomina : I. 1,20; 4,21; 23,28 II. 2,16; 5,20; 6,8 etc.

8. Inscriptiones *Psalm.* 3. 17. 33. 50 etc.; argumenta *Psalm.* 4. 7. 12. 13 etc.

9. 1 *Reg.* 6,19; 13,1; 2 *Reg.* 10,18.

10. De numerorum differentiis in 1. 2 Sam. inter textum massoreth. et versiones cfr

Reinke Beiträge zur Erkl. des A. T. p. 125-150, inter 1. 2 Sam. et 1 *Paral.* ibidem p. 186-212 et *Movers* l. c. p. 198 sqq.

11. Ex. gr. *De Wette Schrader* Einl. p. 335 : « Sonst, besonders im 2. Buch trägt die Erzählung ein ächt geschichtliches Gepräge und ist, wo nicht aus gleichzeitigen Denkschriften, doch aus einer sehr lebendigen und treuen, nur hie und da getrübten und verwirrten (?!) mündlichen Ueberlieferung geschöpft »; *Davidson* Introd. I. p. 529 : « On the whole, an air of genuine fidelity marks the history. It has the stamp of truth upon it, although characterised by much variety, from short, chronicle-like pieces to the biographical details of private life »; *Thenius* l. c. p. XXIII etc. Quod si rationalistae propter miracula et vaticinia narrata non integro operi characterem vere historicum attribuunt, id nihil admirationis habet.

12. Non pauca in libris Sam. referuntur colloquia (Annae cum Heli, Heli cum Samuele, Saulis cum servo etc. etc.): quae omnia tam characteristica sunt, ut fingi omnino non potuerint.

93. — Quoniam libros Samuelis semper in canone Iudaeorum et Christianorum fuisse constat, superfluum est DIVINAM AUCTORITATEM eorum demonstrare. Adnotamus dumtaxat eos etiam in Novo Testamento testimonium divinitatis suae habere atque in Vetere Testamento iam pro auctoritate adhiberi. Dominus N. ipse illis testimonium fert; Pharisaeorum enim discipulos ob spicas avulsas carpentium ora obturat interrogans annon *legerint*, quid fecerit David, quando esuriit et qui cum eo erant etc.; primo autem huic textui alterum ex « Lege » adiungens satis docet, quam auctoritatem nostro operi tribuerit[1]. S. Paulus non tantum in epistola ad Hebraeos textum ex 2 Sam. desumtum pro fundamento argumentationis sumit, sed etiam in oratione sua pisidiensi summum utriusque libri argumentum eodem modo tradit, quo argumentum Pentateuchi et librorum Iosue et Iudic. indicaverat[2]. Multo fusius, quam Paulus, Siracida argumentum integri fere operis affert laudes celebrans Samuelis et Davidis; uti B. Virgo in suo Magnificat, ita unus ex iunioribus psalmistis nonnulla ex Annae cantico imitatur; alios autem psalmos multos historiae in opere narratae inniti supra iam diximus[3]. Ieremias quoque in vaticiniis suis ad opus nostrum videtur respicere; etenim si Deus per eum de futuro Messia dicit : « Suscitabo Davidi germen iustum et regnabit rex et sapiens erit et faciet iudicium et iustitiam in terra », subito menti occurrunt verba a Deo per Nathan Davidi dicta : « Suscitabo semen tuum post te et firmabo regnum eius » et illa, in quibus David ipse « iudicium et iustitiam fecisse omni populo suo » refertur. Aut si Deus populo ab alienigenis velut ab amasiis decepto inclamat : « Confunderis ab Aegypto sicut confusa es ab Assur, etiam ab hoc exibis et manus tuae super caput tuum », quis non recordatur Thamaris, Davidis filiae, quae a fratre violata egrediebatur « impositis manibus super caput suum »[4]? Atque etiam in Regum libris, quos Ieremiae iure attribui arbitramur,

diserte fere nonnulla ex Samuelis libris citantur[5]. Sed pauca haec confirmandae certae traditioni de canonicitate operis nostri sufficiant.

1. *Matth.* 12,1-4; cfr 1 *Reg.* 21,6 sqq. et *Num.* 28,9.

2. *Hebr.* 1,5 et 2 *Reg.* 7,14; *Act.* 13,20-22. Cfr etiam *Act.* 7,46 et 2 *Reg.* 7,2; *Hebr.* 11,32 et 1 *Reg.* 7,2 sqq. 16,1 sqq.

3. *Eccli.* 46,16-47,13. — *Luc.* 2,52. 53 et *Ps.* 112,7. 8 cfr 1 *Reg.* 2,6-8.

4. *Ierem.* 23,5 cfr 2 *Reg.* 7,12 et 8,15; — *Ierem.* 2,37 cfr 2 *Reg.* 13,19. — Cfr etiam *Ierem.* 15,1 et 1 *Sam.* 12,19. 23; — *Ierem.* 3,15 et 1 *Sam.* 13,14 etc.

5. 3 *Reg.* 2,27 cfr 1 *Reg.* 2,31 sq.

CAPUT V.

DE 3. ET 4 LIBRIS REGUM.

§ 22. — *De 3. et 4 librorum Regum argumento, divisione, fine.*

94. — Duos libros Samuel sequitur opus illud, quod Iudaei a primis quibus inchoatur vocabulis וְהַמֶּלֶךְ דָּוִד (« Et rex David ») aut a praecipuo quod tractat argumento מְלָכִים (« Reges ») vel מַמְלָכוֹת (« Regna ») nuncupaverunt. Alexandrini vero illud cum praecedente opere coniungentes et in duos libros scindentes nomen illi dederunt Βασιλειῶν τρίτη καὶ τετάρτη (« 3. et 4 Regnorum »), apud Latinos autem S. Hieronymi auctoritate titulus « 3. et 4 Regum » praevalere coepit[1]. Quomodo fieri potuerit, ut duo ista opera, quae narrandi modo, fine, origine prorsus inter se differant, in unum sint coniuncta, facile intelliget, qui viderit posterioris auctorem narrationem suam prioribus libris ita adnexuisse, ut non sit dubitandum, quin illos cognoverit et continuare voluerit. Usque ad davidici enim regni finem prior historiam israeliticam perduxerat, a Davidis autem morte, quam prior non narraverat, alter exorsus Salomonis reliquorumque regum ex domo davidica prognatorum fata enarrat, et quia sub Davidis nepote Roboam decem tribus septemtrionales domo davidica reiecta novum regnum constituerant, eius simul historiam tradit. Argumento igitur suo libri Samuel et 3. 4 Regum intime inter se cohaerent; quare non est mirum, quod non soli Alexandrini sed etiam iuniores interpretes nonnulli eos unum opus constituere opinati sint[2].

Ad summum potestatis et felicitatis fastigium David populum israeliticum adduxerat, atque periculis, quibus thronum peccatis suis obiecerat, feliciter superatis regnum tam solide videbatur fundavisse, ut secundum promissionem divinam thronum suum in aeternum esse duraturum iure sperare potuerit. At splendidum illud regnum, quod ab Aegypti finibus usque ad Euphratem sese extendit atque divitiis opibusque suis vicina regna omnia superavit, post quadringentos circiter annos iam videmus destructum, Ierusalem cum templo suo magnifico dirutam et eversam, populum integrum cum regibus suis ex antiqua sua sede in Assyriam et Chaldaeam abductum. Quomodo haec rerum mutatio facta sit, narrat opus nostrum. A regno igitur salomonico exor-

sus splendorem et potestatem eius satis fuse describit, at futuri interitus initia simul iam insinuat. Regni deinde scissione narrata historiam utriusque partis usque ad earum interitum ita perducit, ut quas ob causas interierint semper clarius manifestet. Ne vero divinam aeterni throni promissionem Davidi factam plane esse irritatam putent lectores, auctor in operis fine paucis verbis innuit, infelicem ultimi regis davidici sortem in meliorem converti coepisse.

Aptissime ab omnibus fere interpretibus opus nostrum in tres partes distribui solet, quarum prima regni indivisi historiam usque ad mortem Salomonis continet (III. 1,1-11,43); altera synchronistico modo regnorum divisorum Iuda et Israel historiam usque ad regni septemtrionalis exitium decemque tribuum captivitatem assyriacam narrat (III. 12,1-IV. 17,41); tertia ultima regni Iuda fata usque ad 37. annum exsilii regis Iechoniae refert (IV. 18,1-25,30). Singulae autem partes satis apte iterum in trinas sectiones dividuntur[3]. Sed accuratiorem ARGUMENTI et DIVISIONIS conspectum exhibet haec operis analysis.

1. Orig. in Ps. 1. (M. 12,1084; Euseb. H. E. VI. 25); *S. Hier.* Prolog. gal. etc. Cfr *supra*. 81. n. 1. 2. p. 241.

2. Cfr *supra* 86. p. 255 sqq.

3. Minus recte, quam praecedens opus (*supra* 82. n. 1.), nostrum quoque ab Alexandrinis in duos libros est discerptum; nam IV. 1,1 sqq. intimo nexu cum praecedentibus cohaeret eiusdemque regis Ochoziae, qui duobus tantum annis regnavit, historiam continuat.

95. — ANALYSIS 3. ET 4 LIBRORUM REGUM.

PARS PRIMA (III. 1,1-11,43) agit *de regni indivisi historia* s. DE SALOMONIS REBUS GESTIS.

I. *Salomonici regni inauguratio et confirmatio* (1,1-2,46).

1. David, quum senescens regni gubernacula tenere iam non valeret (1,1-4) et Adonias, filius eius natu maior, thronum ascendere tentaret (1,5-10), rogatus a Bethsabe uxore sua et monitus a Nathan propheta (1,11-31) Salomonem successorem suum constituit (1,32-40). Quo audito etiam Adonias et qui ex eius parte fuerant, sese Salomoni subiecerunt (1,41-53).

2. Ultimis monitis, quomodo in regno gerere se deberet, filio traditis (2, 1-9) David mortuus est (2,10-12),

3. Salomon autem, ut in regno se confirmaret, Adoniam quum iterum videretur expetere thronum, occidit (2,13-25), ex iis vero, qui cum Adonia steterant, Abiatharem summo sacerdotio privavit, Ioab interfecit (2,26-35) et contra Semei sententiam a patre suo latam exsecutus est (2,36-45).

II. *Salomonis regnum felix et magnificum usque ad eius lapsum* (3,1-10,29).

1. In regno confirmatus Salomon filiam Pharaonis uxorem duxit (3,1),

magnum sacrificium Domino in Gabaon obtulit (3,2-4), a Domino autem in visione accepit donum sapientiae (3,5-15), cuius specimen dedit in primo suo iudicio de duabus matribuś propter infantem litigantibus (3,16-28).

2. Enumeratis deinde eius principibus et praefectis (4,1-20) descriptisque imperii magnitudine et divitiis (4,21-28) ac denuo celebrata Salomonis sapientia (4,29-34),

3. transit auctor ad praecipua opera a Salomone ad felicem finem perducta, inter quae primum locum tenet templum aedificatum (5,1-9,28).

a.) Postquam enim rex Tyri Hiram rogatus a Salomone (5,1-6) ligna cedrina subministravit et operarios suos misit, qui omnia praepararent (5,7-18), anno 4. regni Salomonis templum aedificari coeptum est et post septem annos est terminatum (6,1-38).

b.) Sibi quoque uxorique palatiis exstructis (7,1-12) templum exornavit omniaque templi vasa conficienda curavit (7,13-51).

c.) Quibus omnibus terminatis templum magna cum sollemnitate consecravit (8,1-14), qua in occasione magnificam precationem pronuntiavit populoque benedixit (8,15-61); multa quoque et magna sacrificia obtulit (8,62-66).

d.) Quibus peractis secunda vice Dominus ei apparuit promissionesque domui davidicae factas repetiit (9,1-9).

e.) Non obstantibus autem magnis expensis, quae templum et palatia absumserant (9,10-15), Salomon Gazer et Bethoron reaedificavit civitatesque multas muris cinxit (9,16-19).

f.) Demum reliquias Chanaanitarum servitio addixit, reliqua omnia bene disposuit, atque navibus in Ophir missis magnas divitias acquisivit (9,20-28).

4. Quanta fuerit gloria et magnificentia regni Salomonici,

a.) ostendit auctor ex eo, quod regina Saba ab extrema plaga australi eius fama ad eum invisendum sit permota (10,1-13),

b.) enumeratione tributorum, quae accepit, thesaurorum, quos possedit etc. (10,14-29).

III. *Salomonis lapsus in idololatriam peccatorumque poenae* (11,1-43).

1. Per mulieres alienigenas, quas duxerat, ad idololatriam pellectus est Salomon (11,1-8), quare regni scissionem ei praedixit Dominus (11, 9-13),

2. et suscitavit contra eum praeter alios hostes (11,14-25) etiam Ieroboam, qui quum a propheta Ahia futurus decem tribuum rex praedictus esset, in Aegyptum fugit,ut Salomonis insidiis sese subtraheret (11, 26-40).

3. Mortuus autem est Salomon postquam quadraginta annis regnavit (11, 41-43).

PARS ALTERA (III. 12,1-IV. 17,41) tradit REGNORUM IUDA ET ISRAEL HISTORIAM SYNCHRONISTICAM usque ad regni Israel interitum.

I. *Regnorum Iuda et Israel divisio et continuae inimicitiae usque ad Achab* (III. 12,1-16,28).

1. Defectio decem tribuum a domo davidica (12,1-24).
   a.) Petitionem populi, ut tributa a patre imposita diminueret, exaudire noluit Roboam (12,1-15);
   b.) quare decem tribus ab eo deficientes elegerunt regem Ieroboam (12,16-20);
   c.) Roboam autem prohibitus est a Deo, ne tribus rebelles sibi subiiceret (12,21-24).
2. Regnum Ieroboam primi regis in *Israel* (12,25-14,20).
   a.) Novus rex, ut regnorum divisionem confirmaret, schismate religioso introducto duos vitulos aureos populo adorandos proposuit (12, 25-33).
   b.) Deus autem per prophetam aliquem Ieroboam a proposito revocare frustra conatus (13,1-34) per prophetam Ahiam ei mortem filii aegrotantis et interitum domus eius praedixit (14,1-18).
   c.) Ieroboam ipse mortuus est post regnum viginti duorum annorum (14,19. 20).
3. Regum Iuda et Israel usque ad Achab continua bella (14,21-16,28).
   a.) Roboam, Abiam, Asa, reges *Iuda* (14,21-15,24).
   Roboam, quia populum suum ab idololatria non avertit, a Sesac rege Aegypti devictus et exspoliatus est (14,21-28) et usque ad mortem cum Ieroboam continua bella gessit (14,29-31):
   Neque melior neque felicior fuit eius filius Abiam (15,1-8);
   cuius filius Asa amovit idololatriam e regno Iuda et adiutus a Benadad rege Damasci devicit Baasa regem Israel (15,9-24).
   b.) Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, reges *Israel* (15,25-16,28).
   Nadab, filius Ieroboam, cum omni domo sua, quia patrem peccantem imitatus erat, interfectus est a Baasa (15,25-31);
   at eandem idololatriae viam ingressus Baasa admonitus est per prophetam Iehu, eandem quoque sortem reservatam esse domui suae (15,32-16,7),
   ac revera Ela, filius eius, cum tota domo Baasa occisus est a Zambri (16,8-14);
   Zambri autem ipse, quum ab Amri, quem Israel sibi regem elegerat, in urbe sua regia Thersa obsideretur, se cum domo regia igne succendit (16,15-20);
   Amri vero peccata praedecessorum suorum continuavit et auxit (16,21-27).

II. *Regnum domus Achab in Israel eiusque cum regibus Iuda foedera perniciosa usque ad 1. annum Iehu regis Israel et Athaliae reginae Iuda* (III. 16,29-IV. 10,36).

1. Achab, filius Amri, rex impiissimus *Israel* (16,29-21,29).
   a.) Achab, qui Iezabel Sidoniam uxorem duxerat, idola Sidoniorum introduxit in Israel (16,29-34).
   b.) Quamobrem *Elias* ei famem praedixit, cuius famis tempore propheta prius a corvo dein a vidua sareptensi nutritus est (17,1-24). Anno

demum tertio Elias, postquam prophetas Baal devicit et occidit, precibus suis pluviam a Deo impetravit (18,1-46).

c.) Quum nihilominus Achabi uxor Iezabel prophetam occidere vellet, fugit in montem Horeb (19,1-8), ubi visione Dei dignatus (19,9-14) iussus est ungere Hazael regem Syriae, Iehu regem Israel et Eliseum successorem suum (19,15-21).

d.) Duplicem quidem victoriam de Syria reportavit Achab (20,1-43), sed quia instigatus ab uxore sua vineam Naboth vi abstulit, Elias ei maxima mala praedixit (21,1-29).

2. Foedera perniciosa inter domum Achab et domum David (III. 22,1-IV. 10,17).

a.) Foedere inito Achab et Iosaphat, rex pius *Iuda*, pseudoprophetarum vaticiniis confisi bellum Syris intulerunt, sed devicti sunt et Achab periit (22,1-40); atque infelix quoque fuit Iosaphat in expeditionibus suis maritimis (22,41-51).

b.) Impium Achabum in Israel secutus est impius eius filius Ochozias, qui post breve regnum secundum Eliae vaticinium mortuus est (22. 52-IV. 1,18). Eliae autem in curru igneo abrepti locum occupavit *Eliseus* (2,1-25).

c.) Qui, quum Ioram, Ochoziae frater et in regno *Israel* successor, una cum Iosaphat, rege *Iuda*, Moabitarum regi Mesa bellum inferret, felicem rei exitum praedixit (3,1-27) aliisque multis miraculis et vaticiniis claruit (4,1-8,15).

d.) In regno *Iuda* pium Iosaphat secutus est impius eius filius Ioram, qui Athaliam filiam Achab uxorem duxit, cuiusque tempore Idumaea a Iuda defecit (8,16-24);

e.) eius autem filius Ochozias non regnavit nisi uno anno, quia in viis domus Achab ambulabat. Una cum Ioram rege *Israel* bellum intulerat Syris, at Eliseus iussus a Deo Iehu unxerat regem Israel, qui Ioram regem *Israel* et Ochoziam regem *Iuda* et Iezabel et septuaginta filios Achab et quadraginta duos fratres Ochoziae interfecit (8,25-10,17).

III. *A rege Iehu usque ad regni Israel destructionem novae inimicitiae inter Iuda et Israel* (10,18-17,6).

1. Iehu in *Israel*, Athalia et Ioas in *Iuda* (10,18-12,21).

a.) Iehu Baali quidem cultum destruxit, cultum autem vitulorum non abstulit (10,18-29); hinc a Deo promissum ei est regnum quidem, sed usque ad quartam generationem tantum; et quum vias Domini reliquisset, victus est ab Hazael rege Syriae (10,30-36).

b.) Audita Ochoziae filii sui morte Athalia omne semen regium interfecerat; solus Ioas, Ochoziae filius minimus, a Ioiada sacerdote servatus est, atque aviae regnum eripuit (11,1-21). Qui templum restauravit, Syris autem tributum solvit et occisus est a servis suis (12,1-21).

2. Ioachaz, Ioas et Ieroboam II. in *Israel*, Amasias in *Iuda* (13,1-14,29).

a.) Rex Ioachaz propter peccata sua a Syris devictus, sed quum ad Do-

minum se convertisset liberatus est (13,1-9); filius eius Ioas impius quidem fuit, sed Dominus foederis sui cum patriarchis recordatus ter ei victoriam dedit de Syris secundum vaticinium Elisei, qui eius regni tempore mortuus est (13,10-25).

b.) Amasias rex *Iudae* vicit Idumaeos (14,1-7), elatior autem factus, quum regno Israel bellum intulisset, victus est a Ioa rege Israel, qui diripuit Ierusalem (14,8-16). Amasias autem a coniuratis interfectus est (14,17-21).

c.) Ieroboam II rex *Israel*, quamvis impius, adiutus a Deo restituit terminos Israel (14,22-29).

3. Azarias, Ioatham, Achaz in *Iuda*, Zacharias etc. ultimi reges in *Israel* (15,1-17,61).

a.) Azarias, rex *Iuda* pius, postea (quia sacrificium offerre tentaverat) lepra tactus socium regni habuit Ioatham filium suum (15,1-7).

b.) Eorum tempore in *Israel* regnavit Zacharias, quartus et ultimus e familia Iehu (15,8-13), eum occidit Sellum, qui ipse occisus est a Menahem, qui factus est tributarius Assyriorum regi Phul (15, 14-22). Menahem secutus est filius eius Phaceia, qui occisus est a Phacee; cuius tempore venit Teglathphalasar et magnam partem Israelitarum in captivitatem abduxit; Phacee vero interfectus est ab Osee (15,23-31).

c.) Ioatham, regem *Iuda*, secutus est impius rex Achaz, qui tributum solvit Assyriis (15,32-16,20).

d.) Osee, ultimus rex *Israel*, devictus est a Salmanassar, Samaria capta, Israel abductus in captivitatem (17,1-6).

In huius PARTIS EPILOGO rationes indicat auctor, quibus regnum Israel ad interitum est adductum (17,7-23) et novum statum terrae Israel, abductis pristinis eius incolis, describit (17,24-41).

PARS TERTIA (18,1-25,26) HISTORIAM REGNI IUDA USQUE AD EXSILIUM BABYLONICUM persequitur.

I. *Regnum pii regis Ezechiae* (18,1-20,21).

1. Ezechias, rex vere pius, adiutus a Deo percussit Philisthaeos (18,1-8), et quum rebellasset adversus Assyrios, initio quidem devictus et magnam pecuniae summam solvere coactus est (18,9-16), sed Assyrii Ierosolyma obsidentes Ezechia et Isaia precantibus ab angelo Domini caesi sunt (18,17-19.37).

2. Aegrotanti Ezechiae Isaias vitae prolongationem praedixit, atque simul, quia Chaldaeis thesauros suos gloriabundus ostenderat, exsilium babylonicum annuntiavit (20,1-21).

II. *Regna Manasse, Amon, Iosiae* (21,1-23,30).

1. Ezechiam secutus impius filius Manasses restituit idololatriam (20,1-10), quare Deus denuo interitum regni Iuda praedixit (21,11-18); successorem autem habuit Amon filium etiam impium, quem servi eius occiderunt (21,19-26).

2. Omnino diversus fuit Iosias, qui cultum ac templum Domini restauravit (22,1-9). Qua in occasione repertus est liber Legis manu Moysis de-

scriptus; quem rex populo integro praelegit (22,10-23,2) et renovato foedere cum Domino et destructis abominationibus idololatriae (23, 3-20) celebravit pascha cum magna sollemnitate (23,21-25).

3. At nihilominus non cessavit ira Domini contra Iuda, et Iosias ipse in bello contra Nechao regem Aegypti occisus est (23,26-30).

III. *Ultima fata regni Iuda sub Ioachaz, Ioakim, Ioachin* (Iechonia), *Sedecia* (23,31-25,30).

1. Ioachaz, filius Iosiae, iam post tres menses ab Aegyptiis captivus abductus est, qui fratrem eius Eliakim, quem Ioakim appellarunt, in eius locum suffecerunt (23,31-37); Ioakim autem tributarius factus est Chaldaeorum (24,1-5).
2. Eum secutus est filius eius Ioachin, quem Nabuchodonosor cum thesauris templi et robore incolarum Ierusalem abduxit in Babyloniam (24,6-16).
3. Eius in locum suffectus est patruus eius Matthanias, cui nomen impositum est Sedeciae (24,17-20); Sedecias autem, quum rebellasset contra Babyloniam, a Nabuchodonosor devictus et oculis effossis ductus est in captivitatem; Ierusalem et templum incendio deleta sunt, reliqua pars populi in Babyloniam translata solis pauperibus relictis, qui in Aegyptum aufugerunt (25,1-26).

Pro EPILOGO TOTIUS OPERIS (25,27-30) narrat auctor, quomodo Ioachin anno 37. captivitatis suae ab Evilmerodach, rege Babyloniae, e carcere eductus et honorifice habitus sit.

96. — Operis, de quo loquimur, auctorem non id sibi proposuisse, ut completa reipublicae israeliticae historia contexta vanam nostram curiositatem satiaret, evidens est. Quae enim saepius iam de aliis libris historicis diximus, ea suo modo de 3. 4 libris Regum valent. Sine ullo dubio historicum egit auctor noster, at in scribenda historia altiorem finem prosecutus est. Quamobrem permulta, quae si reipublicae tantum fata voluisset narrare, non parvi momenti fuissent, aut plane omisit aut breviter perstrinxit. Omnes quidem utriusque reges nominat tempusque, quo regnaverunt, diligenter adnotat, at plerorumque vitam paucissimis verbis absolvit atque eorum quoque, de quibus fusius agit, admodum paucas res gestas refert lectore, qui integram eorum historiam cognoscere desiderat, ad fontes remisso, quibus ipse usus est. Bella multa silentio praeterit (expeditionem regis Zarah Aethiopis contra Asa, Iosaphati expeditiones contra Moabitas et Edomitas, assyriacam captivitatem regis Manasse aliaque, quae in Paralipomenon libris referuntur [1]); alia eaque satis gravia strictim innuit, ipsam duplicem Ierosolymorum occupationem et direptionem, quae Roboami et iterum Amasiae tempore locum habuit, vix commemorat, bellum illud, in quo Iosias cecidit, unico versu absolvit [2]; de interna demum regnorum administratione nihil omnino tradit. Contra vero quam sin-

guli reges vivendi atque gubernandi rationem tenuerint, quae eorum ad Legem fuerit habitudo, quid in promovendo veri Dei cultu aut in idololatria propaganda praestiterint, magna cum diligentia affert, atque in eorum rebus gestis referendis diutius immoratur, qui sive in cultu divino augendo vel restituendo, sive in idololatria introducenda et propaganda prae ceteris eminuerunt. Tres reges davidicae stirpis et tres reges Israel hac ratione ab auctore speciali mentione digni habentur : Salomon, qui iuvenis, quamdiu patris exemplum imitatus soli Deo adhaesit, summis beneficiis auctus est, et senex, quando ad idololatriam inclinare coepit, divinam expertus est iustitiam; Ezechias et Iosias, qui pietate et zelo in promovendo divino cultu per certum tempus imminentem regni interitum retardarunt; ex altera autem parte Ieroboam, qui vitulorum cultu introducto prima venenosae segetis, qua periturum erat regnum eius, semina sparsit, Achab et Ioram, primus et ultimus reges istius familiae, quae cultum Baal in regnum septemtrionale invexit nec magnorum prophetarum Eliae et Elisei miraculis a perversis suis viis revocari se siverunt[3]. Fuse quoque et diligenter exponit, quid prophetae illi egerint, ut reges et populum ad Legis observantiam adducerent, sicut etiam multorum aliorum prophetarum vaticinia nobis conservavit[4].

Quae omnia ad oculos demonstrant auctorem nostrum in scribendo suo opere historico altiorem FINEM intendisse; quis autem ille fuerit, ipse nos clare docet in longa illa digressione, quam post regni Israel interitum narratum operi inseruit[5]. Ibi enim causas indicat, quibus Israel et Iuda ultimum excidium sibi attraxerunt. Purum et illibatum non servaverant filii Israel cultum Lege praescriptum, quin idololatriae sese dederant, a qua Deus per prophetas suos frustra eos avertere erat conatus; longissime autem a Domino recesserat regnum septemtrionale. Quapropter « iratus Dominus vehementer Israeli, abstulit eos a conspectu suo, et non remansit nisi tribus Iuda tantummodo. Sed nec ipse Iuda custodivit mandata Domini Dei sui, verum ambulavit in erroribus Israel. *Proiecitque Dominus omne semen Israel* et afflixit eos et tradidit eos in manus diripientium, donec proiiceret eos a facie sua ». Simili igitur ratione, qua Samuel in Iudicum libro ostendit « humilitates laborum pro filiorum Israel peccatis et prosperitates consolationum propter miserationem Dei alternasse », auctor noster docet utriusque regni reges quum peccatis suis tum maxime illegitimo excelsorum et vere idololatrico cultu, quem prophetarum monitis spretis fovere ac promovere non cessarant, Dei iram provocasse atque utrumque regnum perdidisse. Hanc ob causam singulorum regum, quos nominat, vivendi et gubernandi rationem diiudicat, ut clare lector videat, quid singuli ad regnorum interitum accelerandum aut retardandum con-

tulerint, et quaenam sit vera et ultima causa gravissimae illius poenae, quam utriusque regni incolae in captivitatem abducti fuerunt.

Attamen hisce integer finis non continetur. Dominus enim populum israeliticum sibi in peculium elegerat, in quo, utpote in semine Abraham, benedicendae essent omnes gentes, atque Davidi thronum aeternum promiserat; fidelis autem est Deus in promissionibus. Quare auctor quoque noster narratione sua noluit ita demonstrare iustitiam divinam in regnorum interitu, ut non simul etiam misericordiae divinae recordatione animos populi sui ad spem fiduciamque erigeret atque hac ratione eum ad divinae Legis observantiam efficacius revocaret. Quocirca ipse non semel aut bis, sed innumeris fere vicibus promissiones domui davidicae et populo divinitus datas in memoriam revocat[6]; ideo quoque beneficia illa frequentia, quae peccatis populi non obstantibus Deus largiri non cessavit, quamprimum conversionis alicuius signum in regibus vidit, diligenter enarrat et magnam illam misericordiam celebrat, quae regni Iuda interitum propter Ezechiae et Iosiae pietatem retardavit; ideo praeprimis in fine libri, ubi urbe et templo destructis atque populo regibusque in exsilium abductis omnis omnino spes abscissa esse videbatur, narrat ultimi regis Iechoniae eductionem ex carcere et restitutionem in thronum, ut spem melioris sortis non interisse atque Deum promissionis suae semper memorem esse ostendat[7]. Sicut prophetae gravissimas suas obiurgationes et increpationes non terminant nisi spe futurae redemtionis relicta, ita auctor noster gravissimae calamitatis historiam concludere noluit nisi divinae misericordiae recordatione.

Non immerito igitur cum multis interpretibus modernis[8] opus nostrum dicimus esse perpetuum quendam commentarium praeclari illius vaticinii, quo Dominus per Nathan prophetam servum suum fidelem David erat consolatus, quando templi sibi exstruendi permissionem ei negavit : « Quum completi fuerint dies tui et dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te et firmabo regnum eius (III. 1,1-2,45). Ipse aedificabit domum nomini mei (III. 5,1 sqq.) et stabiliam thronum regni eius usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium. Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum et in plagis filiorum hominum (III. 11, 9 sqq. et deinceps). Misericordiam autem meam non auferam ab eo (III. 11,13; 15,4.... IV. 25,27 sqq.), sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea (III. 13,34 etc. in historia dynastiarum Israel). Et fidelis (i. e. stabilis) erit domus tua et regnum tuum in aeternum ante faciem tuam, et thronus tuus erit firmus iugiter » (2 *Reg.* 7,12-16).

1. Cfr 2 *Paral.* 20,1 sqq.; 26,6 sqq.; 33,11 sqq.
2. Cfr 3 *Reg.* 11,26; 4 *Reg.* 14,13 sq.; 23,29. 30.

3. De Salomone 3 *Reg.* 1-11; de Ezechia 4 *Reg.* 18-20; de Iosia 4 *Reg.* 22. 23. — De Ieroboam 3 *Reg.* 12-14; de Achab 3 Reg. 16-22; de Ioram 4 *Reg.* 3,1-9,26. — In Achabi et Iorami historia Eliae et Elisaei res gestae magnum locum occupant; immo de Elia a III. 16,19-IV. 2,25 et de Eliseo a IV. 3,1-8,29 fere solis agitur.

4. Vaticinia prophetarum : 3 *Reg.* 11,29 sqq.; 12,22 sqq.; 13,1 sq.; 14,5 sqq.; 16, 1 sqq.; 20,13 sq.; 20,35 sqq.; 22,14 sqq.; 4 *Reg.* 3,11 sqq.; 9,1 sqq.; 14,25 sqq.; 19, 1 sqq.; 20,1 sqq.; 21,10 sqq.; 22,14 sqq.

5. 4 *Reg.* 17,7-23.

6. Cfr 3 *Reg.* 2,4. 24 sq.; 3,6; 6,12; 8,25 sq.; 9,5; 11,12 sq. 34 sqq.; 15,4; 4 *Reg.* 8,19; 10.34; 20,6.

7. 4 *Reg.* 25,27-30.

8. Cfr *Scholz* Einleitung II. p. 357 sq.; *Danko* Historia revelationis V. T. p. 453 sq.; *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 75 sq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 234 sq. etc. Ex protestanticis cfr *Keil* Einl. Ed. 3. p. 212 et Commentar. p. 9; *Rawlinson* Kings (The Speaker's Commentary II. p. 477); *Bähr* Bücher der Könige (Lange's Bibelwerk VII. p. XVI sq.) *Volck* (in Herzog P. R. E. Ed. 2. VIII. p. 99) etc.; ipsi quoque rationalistae in hoc fine indicando consentiunt, cfr *Davidson* Introduction II. p. 43 sqq.; *Thenius* Bücher der Könige p. X sq.; *Reuss* Geschichte des A. T. p. 420. Inter modernos vix non solus *De Wette-Schrader* (Einleitung p. 348) auctorem putat prae ceteris voluisse res gestas prophetarum narrare (« Die Wirksamkeit der Propheten war ihm Hauptaugenmerk »); at qui opus nostrum attente legerit, facile animadvertet, de prophetarum miraculis et vaticiniis ideo duntaxat satis multa referri, quia hac ratione magis apparebat, inexcusabilem esse regum populique a Deo defectionem ac proin iustissimam poenam eis inflictam (4 *Reg.* 17,13. 14; 21,10 sqq.).

§ 23. — *De 3. et 4 librorum Regum origine.*

97. — Quoniam in duobus Regum libris posterioribus unum idemque consilium obtinet omniaque quae narrantur ad unum finem tendunt, satis iam elucere arbitramur, eos non esse, id quod nonnullis placuit, partem quandam maioris operis, quod libros Iosue Iudicum Samuel simul complexum totam historiam israeliticam ab occupatione Palaestinae usque ad exsilium babylonicum perduxit, neque, id quod alii voluerunt, inconditam quandam compilationem ex variis libris nescio quomodo coagulatam aut opus quoddam a variis scriptoribus variis temporibus scriptum auctum retractatum [1]. Sed completum absolutumque constituunt opus ab omnibus aliis distinctum. Iis autem, quibus supra (86) libros Samuel et (3. 4.) Regum duo opera diversa esse ostendimus, pauca tantum hoc loco addenda sunt.

Quemadmodum enim *fine* suo, de quo iam diximus, ita etiam *argumento* ab aliis libris separatur nostrum opus. Periodus scilicet, de qua agit, accuratis limitibus circumscribitur; initium suum sumit a templi aedificatione, terminatur autem templi regnique destructione. A templo autem exstructo novam esse inchoandam periodum non solum liber noster innuit [2], sed ex rei quoque natura elucet : usque ad Salomonis

aetatem enim respublica israelitica erat, ut ita dicamus, in tempore pueritiae et incrementi. Quamdiu Deus ipse nondum sibi elegerat locum de cunctis tribubus Israel, ut poneret nomen suum ibi et habitaret in eo, sed sub tabernaculo habitabat, integer populus peregrinationem suam nondum plane terminaverat[3]; continuis bellis agitabatur et David ipse templum aedificare prohibitus est, quia « multum sanguinem effudit et multa bella bellavit »; Salomonis autem « viri quietissimi » aetate Deus « requiescere fecit populum suum ab omnibus inimicis per circuitum », et « posuit ei locum et plantavit eum, ut non amplius turbaretur »[4], atque tunc solum impleri coeptum est vaticinium aeterni throni *domui* davidicae promissi. A « domus Dei » et a « domus Davidis » igitur aedificatione inchoatur ista periodus et terminatur « domus Dei » et externi splendoris « domus davidicae » destructione.

Neque minus *narrandi dicendique modus* nostrum opus a reliquis V. T. libris distinguit ac separat. Secundum idem enim schema in secunda operis parte, quae praecipua est (III. 12-IV. 17) atque etiam in tertia (IV. 18-25) singula regna ita tractantur, ut iisdem fere verbis uniuscuiusque initium, duratio, finis describantur atque iudicium de singulis regibus eorumque ad cultum divinum habitudine feratur, eadem cum diligentia chronologiae ratio habeatur fontesque nominentur, ex quibus auctor res narrandas hausit[5]. Politicas ac bellicas res in toto opere aut plane omitti aut, ubi finis intentus eorum commemorationem postulabat, strictim dumtaxat attingi iam diximus; quare totum opus epitomen diceres, nisi sex regum historias accuratius persequeretur. At id ipsum, quod de illis tam fuse agat, ut plus quam dimidiam operis partem eorum historia occupet, novum est unitatis illius argumentum, quum certum semper suum finem prae oculis auctorem habuisse demonstret. Ad *linguam stylumque* demum quod attinet, omnes conveniunt eundem esse in toto opere sermonem; paucas enim illas differentias, quae in uno alterove capite reperiuntur, nemo ex fontibus, quibus usus est auctor, derivare dubitabit, qui in iis ipsis pericopis expressiones illas, quas auctor praedilexisse videtur, non deesse animadverterit[6].

1. De priore sententia cfr *Ewald* Gesch. des Volkes Israel I. p. 193 sqq.; *Bertheau* Das B. der Richter und Rut. p. XXVII (qui magnum illud opus a Genesi inchoasse censet). *Graf* Die geschichtl. Bücher des A. T. p. 97 sqq., et de eadem sententia modificata *Wellhausen* in *Bleek* Einleitung Ed. 4. p. 259-266. -- De altera cfr *Thenius* Die Bücher der Könige p. II sq.; *De Wette Schrader* Einl. p. 349 sqq.; *Reuss* Geschichte des A. T. p. 418 sq.

2. Cfr 3 *Reg.* 6,1 « Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel ex Aegypto in anno quarto mense secundo regni Salomonis super Israel aedificari coepit domus Domini ».

3. *Deut.* 12,5; 2 *Reg.* 7,6 sq.

4. 1 *Paral.* 2,8; 2 *Reg.* 7,10.

5. Schema, quo regum Iuda historia tradi solet, hoc fere est (cfr 3 *Reg.* 15,1. 2. 7. 8): « Anno (decimo octavo) regni (Ieroboam) regis Israel regnavit (Abiam) super Iuda. (Tribus) annis regnavit in Ierusalem; nomen matris eius (Maacha filia Abessalom) ». Sequitur generale de eius regno iudicium: « Ambulavit in omnibus peccatis patris eius, nec erat cor eius rectum cum Domino Deo suo sicut cor patris eius » etc. aut: « Et fecit (Asa) rectum ante conspectum Domini, sicut David pater eius » etc. (15,11), atque iis rebus gestis, quas fini suo inservire credidit, relatis terminat auctor vitam hac formula: « Reliqua autem sermonum (Abiam) et omnia quae fecit, nonne haec scripta sunt in libro verborum regum Iuda. Et dormivit (Abiam) cum patribus suis et sepelierunt eum in civitate David, regnavitque (Asa) filius eius pro eo ». Simile est schema historiae regum Israel, in quo tamen nomen matris omitti et lector ad « librum verborum dierum regum Israel » remitti solet.

6. Linguae proprietatibus distingui dicuntur III. 1 et IV. 4,1 - 37 et 8,16. In primo capite magna invenitur styli similitudo cum libris Samuel; sed sine ullo dubio auctor hanc partem vitae Davidis ex eodem fonte hausit, ex quo auctor II. Sam. hauserat reliquam historiam David; at animadvertas velim in hoc capite nomini Davidis semper praefigi titulum « *regis* » (« rex David » 1,13. 28. 31. 32. 37. 38. 43. 47); sollemnis autem est auctori nostro hic tituli usus (« rex Salomon » III. 1,53; 2,19. 22. 23 etc.; « rex Roboam » III. 12,6. 18; 11,1 etc., « rex Ieroboam » III. 15,1 etc), dum rarus est in aliis libris. In duabus aliis pericopis, quae aramaismis nonnullis (אתי pro את; כי — et יכי — pro ך — et יך — etc.) distinguuntur, propheta frequenter vocatur « *vir Dei* » (IV. 4,9. 16. 21. 22. 25. 27; 8,2. 4), quod nomen est auctori nostro sollemne. « This expression occurs in *Kings* at least *fifty-three* times, and is found in twelve distinct chapters. In *Samuel* it is used about *five* times, occurring in two chapters. In *Chroniles* it is used *six* times in four chapters » (*Rawlinson* l. c. p. 467). — Ceterum de eadem dictione per totum opus retenta cfr *Zschokke* Hist. A. T. p. 304 et *Keil* Einleitung p. 214 sq.

98. — Quae ab adversariis afferuntur, ut opus nostrum olim cum praecedentibus libris Samuel et Iudicum connexum fuisse ostendant, levia esse ducimus. Namque libentissimi quidem concedimus ab auctore nostro narrationem librorum Samuel continuari, quum in illis historia davidica usque ad finem regni Davidis sit perducta et nostrum opus a morte eius incipiat, neque diffitemur in nostro aliquoties ad istos respici [1]; at nihil inde deduci arbitramur, nisi auctorem nostrum libros Samuel cognovisse. Maiore attentione sunt digna, quae ab aliis afferuntur, quibus opus nostrum ex variis scriptis compilatum esse demonstrare conantur. Sunt autem haec fere [2].

Praeprimis generatim monent non eundem in toto opere characterem servari; nonnullas pericopas esse vere historicas (III. 1; IV. 25), alias autem fabulosas (IV. 1,2-17), in nonnullis tam accurate historiam narrari, ut minutissima quaeque referantur (IV. 11), in aliis arido modo regna enumerari rebus maximi momenti praeteritis (IV. 15), stylum quoque sermonemque non plane esse eundem in omnibus pericopis. De primo argumento dicere

operae pretium non est; fabulosa et mythica adversariis nostris omnia ea sunt, quae ordinarium naturae cursum superant. Ad alterum autem quod attinet, auctoris est, ni fallimur, definire, quid in opus suum recipere quidve omittere velit, interpretis autem investigare, cur haec vel illa receperit aut omiserit. Iam fieri procul dubio potest, ut interpres rationes auctoris non inveniat ac proinde suam ignorantiam confiteri cogatur; at interpretem, ut suam ignorantiam excuset, parum decet auctorem imperitiae accusare. Ceterum in exemplis allatis rationes, quibus permotus est auctor, ut accurate narraret conservationem Ioae et historiam Ieroboami II. successorumque eius leviter tantum perstringeret, tam obviae sunt, ut iure mireris, quod adversarii illas non perspexerint; Ioae enim, qui solus ex « omni semine regio » domus davidicae superstes relictus erat, mirabilis conservatio fini auctoris nostri magis, opinor, inserviebat, quam omnium istorum regum res gestae, qui peccatis suis interitum regni Israel accelerarunt? Ex diversitate autem sermonis, quam in paucis pericopis deprehendi fatemur, nihil aliud sequi iam diximus, nisi diversis fontibus usum esse auctorem.

Ad singularia deinde venientes monent adversarii de iisdem rebus varias relationes tradi, quae non satis consentiant, immo inter se pugnent. Pro unico exemplo non consentientium relationum afferuntur expeditiones maritimae Salomonis (III. 9,27. 28; 10,11 et 10,22); mirum iam inveniunt, quod idem auctor ter de eadem expeditione locutus sit, multo magis autem quod semel de navibus Salomonis (9,27), dein de navibus Hiram (10,11), demum de navibus Salomonis et Hiram (10,22) sermo fiat et omnibus in locis aliae et aliae merces a navibus allatae nominentur[3]. Ac si auctori non sufficiens fuisset ratio navigationis illius ter commemorandae! In primo enim loco demonstrare vult magnificentiam et potentiam Salomonis, quae etiam longinquis gentibus innotuit; in altero loco commemorata aromatum copia adducitur, ut explicet, undenam Salomon habuerit omnia illa aromata et ligna thyina, quibus usus est in templi aedificatione; tertia vice de auri copia locutus, quam ex Ophir tertio quoque anno attulerunt naves, simul alias merces enumerat, quae afferebantur. Quod vero naves Salomoni aut Hiramo aut utrique attribuantur, id profecto non constituit dissensum. Quia Israelitae navigationis erant imperiti, « viri nautici et gnari maris » ab Hiramo missi ducebant primam Salomonis classem, quae igitur et Salomonis et Hirami nominari potuit (9,27; 10,11); posteaquam autem Israelitae mari assuefacti iam ipsi naves suas ducere potuerunt, Hiram ab Salomone obtinuit, ut sibi quoque naves in Asiongeber construere et cum Salomonis classe in Ophir mittere liceret (10,22). Profecto omnia quam optime conspirant, dummodo adversarii ne postulent, ut auctores ipsi narrationis suae commentarium conscribant.

Contradictionis sive indirectae sive directae plura exempla afferuntur; singulas perlustremus. 1. Indirectae contradictiones : a.) Formula « usque ad hanc diem » de rebus adhibetur eo tempore, quo liber scriptus est, non amplius exsistentibus (III. 8,8; 9,21; 12,19; IV. 8,21). Respondemus ex textibus obiectis non inepte deduci, eo tempore, quo scriptum est opus, templum et regnum Iuda nondum interisse, licet iam interierint, quando operi

ultima manus est apposita et ultima pericope adiecta (*infra* 99 p. 293 sq.). Non minus apte autem respondent alii, auctorem nostri operis eodem modo, quo auctorem Paralipomenon, eas formulas ex suis fontibus, quos indicat, transumsisse; ex illis igitur iure ad fontes concludi, quibus usus sit auctor, sed immerito ad multos nostri operis auctores.

b.) Thersa sedes regni Ieroboami fuisse innuitur (III. 14,17), quamvis ex III. 12,25 constet, primum regem regni septemtrionalis in Sichem et Phanuel *dumtaxat* (nur) resedisse. — At illud « dumtaxat » ab adversariis textui sacro arbitrario inseritur; nec quidquam miri est in eo, quod Ieroboam, qui regnum Israel fundavit et ordinavit, bis vel ter sedem regni mutaverit, antequam certam constitueret.

c.) In III. 18,22 et 19,10. 14 omnes prophetae praeter Eliam occisi dicuntur, nihilominus III. 20,13. 22. 28. 35 et 22,8 de *copia prophetarum* (eine Masse von Propheten) fit mentio. — Iterum monemus in utrisque textibus adversarios invenire, quae in illis non dicuntur; nec de *omnibus* prophetis occisis est sermo in prioribus, nec de *copia prophetarum* in alteris. Conqueritur quidem Elias, se solum esse derelictum; « sed quid, inquit S. Paulus, dicit illi divinum responsum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal » (*Rom.* 11,4). Eliae igitur verbis non satis recte *omnium* prophetarum occisio demonstratur. Si vero utrumque assertum concederemus, textus inter se pugnare negaremus, siquidem Deus in occisorum locum alios suscitare potuit. Nonne Elias ipse Eliseum prophetam ungere iussus est (III. 19,16)?

d.) Achab gravissime vituperatur, quod regi Benadad pepercerit (III. 20, 42), neque tamen ullibi indicatur Deum prohibuisse, quominus regi devicto venia daretur. — Quomodo hoc exemplo pugna adesse demonstretur, equidem non video; ad summum probat auctorem aliquid omisisse, quod indicare debuit; at ne id quidem sequitur, quoniam Achab, quid facto opus esset, ex sola rerum consideratione satis cognovit atque sola vanitate sua, ut videtur, ad veniam hosti dandam permotus est.

e.) Ex III. 21,13 constat solum Naboth ab Achab esse occisum, sed IV. 9,26 etiam filii Naboth ab Achab occisi dicuntur. — Idque rectissime, nam vineam Nabothi Achab possidere non potuit nisi filiis quoque haeredibus occisis; tota igitur narratio III. 21,5-16 interemtionem integrae familiae Naboth supponit, etsi eam diserte non tradat.

f.) Secundum III. 19,15-17 Elias Hazaelem regem super Syriam, Iehu regem super Israel et Eliseum prophetam pro se ungere iubetur et Eliseus interemturus esse reliquias servorum Baal praedicitur; attamen Elias nec Hazaelem nec Iehu unxit nec quemquam Eliseus interfecit. — Rectius dixissent adversarii nullibi *narrari* ea esse facta; at diu ante rationalistarum aetatem Sanctius de hoc loco disputans iam monuerat « non omnia, quae gesta sunt, in sacra historia narrari », atque multo prius monuerant iam Patres ex silentio Scripturae non posse deduci contradictionem [1].

1. 3 *Reg.* 2,5. 32. cfr 2 *Reg.* 3,27; 20,10; 3 *Reg.* 2,8 cfr 2 *Reg.* 16,5. 19; 3 *Reg.* 2,26 sq. cfr 1 *Reg.* 2,30 sqq.; 3 *Reg* 5,5 cfr 2 *Reg.* 7,13; 3 *Reg.* 6,12 cfr 2 *Reg.* 7,13; 3 *Reg.* 6,12 cfr 2 *Reg.* 7,16; 3 *Reg.* 8,17 sqq. cfr 2 *Reg.* 7,5 sqq. etc.

2. Transcribimus omnia argumenta, quibus *Thenius* (Die BB der Könige. p. II. sq.) demonstrare conatur non *uni* auctori deberi historicam librorum nostrorum narrationem (« Die Geschichtserzählung in diesem Werke kann nicht von *einem* Verfasser herrühren »). Eadem etiam obiiciuntur a *Wellhausen* (Bleek Einl. Ed. 4. p. 231-258 et Prolegomena p. 285-310), qui multa alia addit; ex his graviora *infra* 101. 102. expediemus; quid reliqua valeant ex obiectionibus allatis satis elucet.

3. *Thenius* l. c. et p. 163 sq. Notatu dignum est, Vulgatam nostram non satis recte vertisse 10,22, siquidem supponat Salomonem naves in *Tarsis* misisse, at vix dubium est, quin de expeditione in Ophir sit sermo. Interpres videtur in errorem inductus expressione אֳנִי תַרְשִׁישׁ, qua expressione designantur naves longo itineri per altum mare adaptatae; nomen autem suum ex eo habuerunt, quod iter in Tartessum Phoenicibus erat longissimum, quod suscipere solebant (Cfr *infra* 113). Profecto ex Tarsis, si moderni portum illum in Hispania situm fuisse iure tenent, omnes illae merces, quae commemorantur (« *aurum*, argentum, *dentes elephantorum*, *simiae*, *pavones*) afferri vix potuerunt.

4. Cfr *Sanct.* in 3 *Reg.* 19,15, qui antiquorum solutiones difficultatis recenset. — Unica haec est « contradictio », quam *De Wette Schrader* (Einleitung. p. 349) in libris Regum invenit.

2. Directarum contradictionum duo exempla afferuntur[5]. Etenim a.) Salomon « de filiis Israel non constituisse *servire* quemquam » asseritur (III. 9,22), contrarium autem apparet ex 11,28, quo in loco sermo est de praefecto super « opera servilia » domus Ioseph (לְכָל־סֵבֶל בֵּית יוֹסֵף). — At verbis ludunt adversarii; סֵבֶל enim, etsi sit labor gravis et molestus, non est labor servilis. Salomon triginta millia Israelitarum in Libanum miserat ad ligna caedenda et portanda (III. 5,27), non velut servos, sed velut operarios liberos; eodem forte modo adhibebantur Ephraimitae, quibus praefectus erat Ieroboam (11,28); auctor enim noster inter מַס עֹבֵד (9,21) et inter מַס (5,27) distinguit; priores servi sunt, alteri operarii liberi, qui per certum anni tempus laboribus publicis addicebantur[6].

b.) Elias praedicit Achabo canes lambituros esse sanguinem eius in agro Naboth Iezraelitae, quem occiderat (III. 21,19); at canes linxerunt sanguinem Achab in Samaria (III. 22,38), et corpus filii eius Ioram proiectum est in agrum Naboth in Iezrael (IV. 9,25. 26). — De qua difficultate recensitis aliis solutionibus optime iam Sanctius (in III. 21,23): « Melius dicitur mutatum aliquid de hac Eliae denuntiatione minaci propter regis poenitentiam. Tunc enim Deus mitius quam ante in regem animatus remisit de acerbitate poenarum plurimum, et sicut alia in tempus filii illius distulit (21,29), sic etiam hoc quod de lingendo sanguine in agro Iezrael praedicitur ». Ceterum si canes sanguinem filii Achab in agro Iezrael lamberunt, iure etiam dicuntur sanguinem Achabi linxisse; sanguis enim filii est sanguis patris[7].

3. Praeter contradictiones etiam duplices eiusdem rei narrationes inveniri asseruntur; etenim bis Ioram vulneratus esse legitur et Ochozias venisse, ut eum aegrotantem inviseret (IV. 8,28. 29 et 9,14. 16), bis quoque Ioae mors et sepultura narratur (IV. 13,12. 13 et 14,15. 16). — At quomodo ex hisce repetitionibus ad pluralitatem auctorum concludere licet? Etenim in priore casu auctor factum prius narratum non simpliciter in memoriam

revocavit (ut nos facere solemus), sed more scriptorum orientalium integrum repetiit. Altera quoque repetitio facile explicatur. Auctor, qui mortem Ioae cum morte Elisei coniunxerat, postea in Amasiae regis Iuda historia narranda de eius bello cum Ioas loqui debuit, atque ita adductus est, ut formulam de regis morte usitatam repeteret. Si de profano libro ageretur, levis igitur quaedam scriptoris negligentia esset vituperanda, sed quis unquam ex eiusmodi negligentia concluderet librum a duobus auctoribus esse conscriptum?

4. Demum monent accuratum nexum haud raro desiderari. Etenim a.) ea, quae intime cohaerent, aliis narratis ab invicem sunt separata; ex. gr. III. 3,3 continuatur 9,24 sqq.; item 10,29 continuatur 11,41; atque 20,34 continuatur 22,1. Praeprimis respondemus paucos aut nullos inveniri libros historicos, in quibus pericope quaedam omitti nequeat apto permanente nexu. Procul dubio ea, quae leguntur 11,41 (sc. formula, qua singula regna terminari solent), non tantum post 10,29, sed etiam post 8,66 aut 4,34 aut 3,28 etc. poni potuisset, si auctor nobis nihil de rebus Salomonis referre voluisset. Praeterea animadvertas velim, 9,24 sqq. cum 3,3 inepte coniungi, nisi alia inserantur de aedificiis a Salomone exstructis, quia secus nullus habetur nexus, atque multo minus 20,35-21,29 posse omitti; illis enim omissis 22,38 et IV. 9,25. 26 non intelliguntur.

b.) Alia indebito loco sunt inserta. Miro modo hanc accusationem probant. Salomoni eo tempore, quo in exstruendo templo occupatus erat, Deus promissionem Davidi factam confirmavit, et auctor chronologicum ordinem secutus eam narrationi suae de aedificatione templi inserit (III. 6,11-13). Vituperatur ergo, quod reali ordine neglecto chronologicum sit secutus. Sed ecce! Alio in loco auctor reali ordine retento narrat mortem Elisei post narratam mortem Ioae regis Israel, quamvis Eliseus ante Ioam sit mortuus (IV. 13,14 sqq.). Atque iterum vituperatur, quia chronologicum ordinem non tenuerit. Quem tandem tenere debuit, ut « criticis » nostris satisfaceret?

5. Per transennam adnotemus, a catholicis quoque nonnullis interpretibus (cfr ex. gr. *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 235) contradictionem quandam statui inter IV. 18,5 et 23,25, quam ex eo exortam censent, quod auctor fontes suos ad verbum descripserit, quae igitur eodem modo explicanda et excusanda sit, quo usus formulae « usque ad hanc diem » (III. 8,8 etc.). Attamen pugna nulla est. Namque si post Ezechiam nullus dicitur rex « fuisse similis ei de cunctis regibus Israel sed neque in his, qui ante eum fuerunt », haec verba ex contextu ad perfectam eius in Deum fiduciam restringenda sunt (IV. 18,5). Eadem autem verba, si postea de Iosia adhibentur, iterum contextu restringuntur ad eximium eius zelum in propaganda Legis observatione (IV. 23,25). Quare recte iam monet Sanctius, expressiones illas non de aequalitate sed de similitudine esse intelligendas, ut nulla sit pugna (in IV. 18,5). Clarum enim est, auctorem inspiratum ita non posse fontes suos transcribere, ut vera contradictio exoriatur.

6. Neque quidquam obstat, quominus quis cum *Gesenio* (Thesaur. p. 936) in III. 11,28 סֵבֶל explicet *grave negotium*, aut cum *Fürst* (Handwörterbuch Ed. 2. II. p. 69) *difficile negotium*, aut melius cum *Vulgata* nostra *tributum*; tributa enim sunt onera.

7. Facilior est difficultatis solutio ex textu hebraico. Verba enim בִּמְקוֹם אֲשֶׁר (pro

quibus Alex. et S. Hier. legerunt cum articulo : בַּמָּקוֹם אֲשֶׁר, ἐν τῷ τόπῳ ᾧ κτλ., in loco hoc, in quo) apte reddi possunt : « *propterea quod* linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent canes sanguinem tuum ».

99. — Dilutis obiectionibus, quibus multos esse aut complures operis nostri auctores moderni « critici » demonstrare sunt conati, restat quaestio satis difficilis, quis sit eius auctor. Quod si unus totius operis statuendus est auctor, id quod pro certo tenendum esse arbitramur, patet eum ultimam manum illi non admovisse ante medium exsilium babylonicum, i. e. usque ad 37. annum captivitatis Iechoniae (561 a. Chr.)[1]. Errant igitur, qui cum Sanctio[2] « Ezechiam regem aut eo iubente alios, quibus id negotii rex ipse mandavit », vel Isaiam, cuius vaticiniorum capita duo cum duobus nostri operis identica sunt[3], librorum nostrorum collectorem dicunt. Nulla enim ratione probabile redditur, omnia quae post Ezechiae regis vel Isaiae prophetae mortem acciderunt, ab aliena manu esse addita. Altera vero ex parte, quoniam finiti exsilii nulla fit mentio, iure tantum non omnes moderni interpretes tenent, auctorem nostrum non post exsilium scripsisse; reditum enim populi templique reaedificationem silentio non praeterisset, quia haec multo magis, quam Iechoniae solius liberatio, ad eius scopum fecisset[4]. A vero igitur aberrant ii quoque, qui cum Huetio, Calmeto aliisque opus nostrum Esdrae attribuunt[5].

Quia igitur circa medium exsilium libri nostri terminati sunt, non videmus, cur antiquam Iudaeorum traditionem, quam *S. Isidorus* quoque recepit, veram esse et Ieremiam prophetam eos scripsisse negemus[6]. Immo non desunt, quae hanc sententiam valde probabilem reddant. Praeprimis si Ieremias ipse operis auctor non est, illud iam difficile est explicatu, quod eius nomen prorsus taceatur. Magna enim cum diligentia ea in libris his narrantur, quae prophetae egerunt praesertim in publicis rebus : Ieremiae vero ultimis ante exsilium annis summam fuisse auctoritatem in rebus publicis non solum eius vaticinia, sed etiam libri Paralipomenon docent. Eodem igitur modo, quo Isaiae, etiam Ieremiae narrandae erant res gestae[7]. Praeterea vaticiniis Ieremiae additum est caput, quod historicam quandam eorum confirmationem exhibet ideoque libri Ieremiae pars integrans dicenda est; caput autem hoc paucis mutatis vel additis vel omissis idem est, quo opus nostrum terminatur[8]. Num Ieremias ipse, id quod longe probabilius esse censemus, an Baruch, Ieremiae scriba, illud vaticiniis adiecerit, ignoramus quidem; quidquid autem statuitur, additio ipsa multo facilius explicatur, si Ieremiae, quam si alterius scriptoris opus sunt libri Regum. Ieremiam enim vel Baruch rerum gestarum, quarum testes oculares fuerant, narrationem ex alieno opere transcri-

bere voluisse, quis sibi persuadebit? Auctor autem librorum Regum, si aliunde hanc pericopen desumsisset, procul dubio fontem suum indicasset, sicut in reliquo libro facere solet. Tertia accedit ratio ex vaticiniorum Ieremiae et librorum nostrorum styli similitudine, quam adesse omnes concedunt; iidem in utroque opere deprehenduntur dicendi modi, eadem frequentia phrasium et locutionum ex Pentateucho desumtarum etc.[9]. Quae licet per se sola identitatem auctorum non evincat, reliquis tamen argumentis et praesertim traditioni maiorem vim attribuit.

Frustra contra hanc sententiam obiicitur, auctorem librorum nostrorum in Babylonia scripsisse, Ieremiam autem in Babyloniam non venisse. Neutrum enim assertum satis certis argumentis nititur. Unicum vestigium, ex quo auctorem in Babylonia vixisse deducitur, est expressio עֵבֶר הַנָּהָר (« *trans* flumen » sc. Euphratem), qua terra ab Euphrate versus occidentem sese extendens designetur (III. 5,4 [4,24]). Etsi autem concederemus hunc modum loquendi tempore exsilii inter Iudaeos Babyloniae degentes esse exortum, nihil obstaret, quominus scriptor iudaicus alia in terrae parte degens eam adoptasset; vocabulum vero עֵבֶר utpote vagae significationis, terram cis vel trans fluvium aliquem designare supra iam diximus[10]. Praeterea animadverte de ultimis Ieremiae annis pauca nobis esse tradita; quodsi nonnulli Patres prophetam vitam in Aegypto martyrio terminasse referunt, antiqua Iudaeorum traditio est, eum una cum Baruch a Nabuchodonosor, quum is 27. regni anno Aegyptum occupasset, in Babyloniam esse translatum.

Neque maiore cum iure aetas prophetae contra sententiam nostram affertur. An. 13. Iosiae (626 a. Chr.), quum Ieremias ad propheticum munus vocaretur, eum saltem viginti quinque annos natum fuisse supponunt, senem igitur nonaginta annorum eum fuisse 37. a. captivitatis Iechoniae; parum autem probabile esse senem grandaevum libros nostros scripsisse. At quid, si Ieremiam opus hoc iam immediate post Iechoniae captivitatis initium scripsisse dicamus? Aptam enim libri clausulam praebet captivitas Iechoniae, abductio partis populi, et initium regni Sedeciae (IV. 24,8-17); inde a 24,18 autem incipit illa pericope, quae etiam terminat vaticinia Ieremiae; nonne igitur cum satis magna probabilitate asserere licet, prophetam librum iam post alteram incolarum Iudae transportationem composuisse, at postea, quoniam Iechoniae liberatio e carcere aptior ei visa est operis clausula, ultimum caput adiecisse? Immo vero non desunt, quae hanc sententiam praeferendam esse suadeant. Huc maxime spectat usus formulae « usque in hanc diem » iis in locis, in quibus templum hierosolymitanum et regnum Iuda adhuc exstare supponuntur[11]. Quae etsi, ut supra monui-

mus, ab auctore operis nostri eodem modo, quo ab auctore Paralipomenon, ex fontibus transcribi potuit, melius tamen explicatur, si opus nostrum ante ultimum regni excidium compositum esse dicamus. Quare Ieremiam arbitramur opus composuisse, postquam Nabuchodonosor secunda vice Ierusalem occupavit primoresque Iudaeorum una cum Iechonia rege in captivitatem abduxit, sed ultimum caput (24,18-25,30) operi terminato senem adiecisse, quum Iechoniam e carcere eductum eiusque thronum super thronum aliorum regum captivorum elevatum esse audisset aut vidisset [12].

1. 4 *Reg.* 25,27 sqq. Exsilium terminatum est a. 1. Cyri; eius igitur initium ducendum a prima occupatione urbis Ierusalem, quando rex Ioakim factus est « servus tribus annis ». Iechonias captivus abductus est a. 597.

2. *Sanct.* Proleg. 1. in II. Reg.

3. *Is.* 36. 37 et 4 *Reg.* 18,19.

4. Cfr *supra* 96. p. 284.

5. *Huet.* Demonstrat. evang. Prop. IV. De II. Reg. 2. (Venetiis 1765. p. 220 sq.); *Calmet.* Prolog. in 3. 4 Reg.

6. *Baba bathra* fol. 14.; *S. Isid. Hisp.* De off. eccl. I. 12. (M. 83,747); quos sequuntur *Sixtus Senens.* (ed. Milante. I. p. 12), *Corn. a Lap.* Argum. in II. Reg., multique antiquiores. Ex recentioribus eandem sententiam velut probabiliorem tenent *Haneberg* (Gesch. d. Offenb. p. 389), *Vigouroux* (Man. bibl. II. p. 77), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 236), *Clair* (Les livres des Rois. Préf. p. 108-111), *Ant. Scholz* (Comm. zum Ieremias. Einl. p. XXI.) etc. Ex protestanticis eam tenent *Haevernick* (Einl. II. 2. p. 172 sq.), *Rawlinson* (The Speaker's Comment. II. p. 470 sqq.) etc.

7. De Ieremia cfr 2 *Paral.* 35. 36; de Isaia 2 *Paral.* 26,22; 32,20. 32 et 4 *Reg.* 19,1-20,19.

8. *Ierem.* 52. et 4 Reg. 24,18-25,20.

9. Promissio domui davidicae facta exprimitur verbis לֹא־יִכָּרֵת אִישׁ מֵעַל כִּסֵּא יִשְׂרָאֵל (3 *Reg.* 2,4 cfr 8,25; 9,5 et *Ierem.* 33,17 cfr 13,13; 17,25); vastatio templi praedicitur: « omnis, qui transierit per eam, stupebit et sibilabit » (3 *Reg.* 9,8 et *Ierem.* 18,16; 19,8; *Thren.* 2,15); « tinnient ambae aures eius » (4 *Reg.* 21,12 et *Ierem.* 19,3; cfr in eadem pericope 4 *Reg.* 21,13. 14. 16 cum *Thren.* 2,8; *Ierem.* 30,16; 22, 17) etc.; satis multa alia exempla congesserunt *Kueper* Ieremias librorum sacr. interpres et vindex p. 56 sq.; *Hävernick* l. c. p. 171; *Rawlinson* l. c. p. 470 sq.

10. Cfr *supra* 26. c. β. p. 93.

11. 3 *Reg.* 8,8; 9,13; 10,12; 12,19; 4 *Reg.* 2,22; 10,27; 14,7; 16,6 etc.

12. *Haneberg* (l. c.), *Holzammer* (Handbuch der bibl. Gesch. Ed. 4. Freiburg 1886. I. p. 601), ut Ieremiam auctorem defendant, ultimos quatuor versus a iuniore scriptore operi additos esse statuunt.

§ 24. — *De 3. 4 librorum Regum auctoritate.*

100. — Ut de operis nostri AUCTORITATE HISTORICA certum iudicium feramus, in fontium dumtaxat, ex quibus eius narratio hausta est,

originem et indolem inquirendum nobis est. Namque illud inter interpretes haudquaquam discrepat, auctorem nostrum eosdem libros, ad quos lectores suos plura de rebus narratis discere cupidos remittere solet, pro veris fontibus adhibuisse, etsi id diserte non asserat; unde non minor omnium est consensus, eum magna cum fidelitate ex illis libris narrationem suam desumsisse. Eorum igitur stabilita auctoritate auctoritas operis nostri stabilitur. Tres autem libros allegat : regni salomonici narratione finita monet reliquam eiusdem regni historiam discendam esse ex « *libro verborum dierum* (i. e. ex fastis) *Salomonis* », atque accuratiorem regum Iudae historiam in « *fastis regum Iuda* » et regum Israel res gestas in « *fastis regum Israel* » contineri saepissime adnotat[1]. Sunt qui eum aliis quoque libris usum esse arbitrentur; nonnulla enim, quae de Eliseo narrat, quum privata omnino sint, in regum fastis non potuisse narrari, atque easdem pericopas stylo atque dicendi modis a reliquis narrationibus dissentire. Attamen auctor, qui tres priores libros toties allegavit, ut vix unquam consuetam suam formulam omitteret[2], procul dubio etiam alios libros nominasset, si eos adhibuisset; argumenta autem, quibus iste usus videtur demonstrari, nulla esse docebit inquisitio in fontium adhibitorum indolem[3].

Nonnulli quidem nomine « fastorum Salomonis » et « fastorum regum Iuda » et regum Israel *publicos* regnorum istorum annales designari statuunt, qui sive regibus adhuc in vita agentibus sive post eorum mortem a regiis historiographis sint compositi. Namque inter Davidis aiunt, Salomonis aliorumque regum administros aulicos nominari aliquem מַזְכִּיר, atque hoc titulo (qui ab Alexandrinis redditur ὁ ὑπομνηματόγραφος, a S. Hieronymo autem « a commentariis ») virum designari, qui omnes regum res gestas *publica cum auctoritate* annalibus inseruerit, adduntque antiquitus et hodie in regnis orientalibus eiusmodi historiographos regios inveniri atque imperatores quoque romanos recentiore tempore suos habuisse « magistros memoriae »[4]. Quae argumenta non admodum videntur esse valida. Quonam enim munere functus sit הַמַּזְכִּיר et quomodo eius munus a munere הַסּוֹפֵר (« scribae ») distinguatur, prorsus ignoramus, siquidem nihil nisi nuda nomina nobis sunt tradita. Utique *scribas* (Sopherim) acta publica redegisse, *magistros memoriae* (Mazkirim) vel cancellarios eadem conservasse et annalibus publicis inseruisse asserunt moderni interpretes; at mera haec est coniectura, quae ex sola nominis etymologia desumitur; nomen autem *Mazkir* (« in memoriam revocans ») aeque apte designat virum, qui regem de agendis rebus monet, ut singulae suo quaeque die statuto peragantur. Quidquid autem de hac sententia est, « magistrorum memoriae » nulla fit mentio in regno septemtrionali, atque difficile est creditu « annales *publicos* regni Israel » unquam ex-

stitisse aut usque ad exsilii babylonici aetatem esse conservatos, neque minus difficile est creditu historiam regum Iuda, quae in nostro opere narratur, ex « *publicis* annalibus » esse desumtam.

Quomodo antiquitus a regiis et publicis historiographis historia sit tractata, innumera, quae ultimis his temporibus innotuerunt, monumenta aegyptiaca, assyriaca, chaldaica, persica etc. satis clare nos docent. Legatur narratio illa, quam Pentaur de expeditione Ramses II. Meiamun contra Chetas suscepta composuit, quaeque non in papyris solis hieraticis sed etiam in templorum parietibus insculpta visitur, legantur « annales » regum Sennacherib, Asarhaddon, Asurbanipal etc., legantur aliae inscriptiones hieroglyphicae et cuneiformes : quid in his « publicis annalibus » reperimus praeter continuas victorias, pugnas mirificas, mirabilia facinora, laudes splendidissimas? Num quis sibi persuaserit, ab hoc narrandi modo publicos pessimorum regum Israel et Iuda historiographos, si unquam exstiterunt, abstinere esse ausos? Num quis crediderit filios permisisse, ut patrum suorum mortuorum scelera et flagitia in publicis annalibus memoriae proderentur? At illud quoque animadverte, non pauca hodie innotuisse Aegypti et Assyriae monumenta, in quibus sequentium dynastiarum reges nomina praedecessorum suorum deleverunt mutilaveruntque aut etiam sua nomina antiquioribus substituerunt. Annon iure igitur supponimus, in regno Israel novas dynastias, quae satis multae sunt, praecedentium dynastiarum memoriam potius destruere quam conservare studuisse? Num forte Baasa, qui « percussit omnem domum Ieroboam nec dimisit ne unam quidem animam de semine eius » (III. 15,29) memoriam familiae Ieroboam, aut Zambri, qui « percussit omnem domum Baasa et propinquos et amicos eius » (III. 16,11) memoriam familiae Baasa in annalibus publicis remanere permisit? Quae quum ita sint « verba dierum regum Iuda et Israel » *publicos* regnorum annales fuisse non arbitramur.

1. 3 *Reg.* 11,41 (סֵפֶר דִּבְרֵי שְׁלֹמֹה cfr *supra* 92 n. 2. p. 274.). *Quindecies* allegatur « liber verborum dierum regum Iuda » (3 *Reg.* 14,29; 15,7. 23; 22,26; 4 *Reg.* 8,23; 12,19; 14,18; 15,6. 36; 16,19; 20,20; 21,17. 25; 23,28; 24,5); *octies decies* liber fastorum regum Israel (3 *Reg.* 14,19; 15,31; 16,5. 14. 20. 27; 22,39; 4 *Reg.* 1,18; 10, 34; 13,8. 12; 14,15. 28; 15,11. 15. 21. 26. 31).

2. Allegatio omittitur in quatuor dumtaxat regibus Iuda et in duobus regibus Israel. Inter quos quatuor regno suo privati in captivitate sunt mortui : *Osee* ultimus rex Israel (IV. 17,6) atque reges Iuda *Ioachaz*, qui ab Aegyptiorum rege Nechao depositus est (IV. 23,34), *Iechonias* et *Sedecias* in captivitatem babylonicam abducti. Trium horum regum Ieremias fuit coaevus. — Duo alii reges, in quorum historia fontes non indicantur, sunt *Ochozias* rex Iuda et *Ioram* rex Israel, qui ambo ab Iehu novae dynastiae in regno Israel fundatore occisi sunt (IV. 9,26. 29).

3. Oralem quoque traditionem aliqui statuunt auctori nostro pro fonte fuisse (Cfr

Thenius die Bücher der Könige p. VI sq.; *Davidson* Introduction II. p. 34 sq.; *Wellhausen* in Bleek Einleitung p. 260 etc.) eamque praecipuum fontem fuisse, ex quo Eliae Eliseique res gestae aliaque, quae rationalistae non intelligunt, sint hausta. Evidens autem est hunc fontem non statui, nisi ut facilius negentur vaticinia et miracula; etenim secundum Thenius (l. c.) illis in pericopis invenitur « eine förmliche Häufung des Wunderbaren », secundum Davidson (l. c.) « the *legendary* is too strongly incorporated with te matter of the narration to render it at all probable that it belonged to the annals of the nation ». Quae refutatione hoc loco non indigent.

4. Davidis et Salomonis *Mazkir* fuit Iosaphat filius Ahilud (2 *Reg.* 8,16; 20,24; 3 *Reg.* 4,3); ab Ezechia idem munus obtinuerat Ioahe filius Asaph (4 *Reg.* 18,18. 37; *Is.* 36,3. 22), et alius Ioahe filius Ioachaz fuit Mazkir regis Iosiae (2 *Paral.* 34,8). Alii non commemorantur. — Apud Persas historiographos regios fuisse docet *Herod.* VI. 100; VII. 90 etc., atque *Esth.* 6,1 Persarum rex Assuerus sibi legi iubet סֵפֶר הַזִּכְרֹנוֹת דִּבְרֵי הַיָּמִים « librum memoriarum verborum dierum » (*S. Hier.* « annales priorum temporum », Alex. γράμματα μνημόσυνα τῶν ἡμερῶν Cfr etiam *Esth.* 2,23 et 1 *Esdr.* 4,15); apud recentiores Persas idem munus regii historiographi inveniri constat teste Gesenio (Thesaur. p. 415) ex *Chardin* Voyage en Perse (III. p. 327; V. p. 258 ed. Langlès). At num his similibusque aliorum populorum exemplis, quae forte afferri possunt, exsistentia « publicorum annalium » in regnis Iuda et Israel demonstretur, vehementer dubito.

Aliunde igitur definiamus oportet originem fontium, quibus usus est auctor noster. Quod si 3. 4 libros Regum cum 2 Paralipomenon comparamus, quamplurima in utroque opere ita consentire videmus, ut integrae narrationes haud paucae usque ad verbum consonent [5]. Quapropter omnes interpretes merito censent utrumque auctorem ex iisdem fontibus hausisse. Sed auctor Paralipomenon saepe quidem allegat « librum regum Iuda et Israel », vix minus frequenter autem scripta prophetarum Nathan, Ahiae Silonitae, Addo, Semeiae, Isaiae, Hozai [6], eaque aliquando citat velut partem « libri regum Iuda et Israel » [7]. Atqui hac allegationis ratione illis quoque in pericopis utitur Paralipomenon auctor, in quibus eum ex iisdem, ex quibus auctorem nostrum, fontibus hausisse perfecta utriusque operis consonantia demonstrat. Concludamus ergo oportet, prophetas historiam suae aetatis literis mandasse eorumque scripta versus finem regni Iuda ab auctore quodam ignoto in opus bipartitum ita esse digesta, ut ea, quae a singulis prophetis essent conscripta, inter se discernerentur. Hac enim ratione idem opus aut titulo « libri regum Iuda et Israel » vel « fastorum regum Iuda » (« regum Israel »), aut nomine illius prophetae, qui certam quandam partem conscripsit, allegari potuit, atque apte explicatur, cur lectores, ut salomonicas res accuratius discant, ab auctore librorum Regum ad « fastos Salomonis » (III. 11,41), ab auctore autem Paralipomenon (II. 9,29) ad « verba Nathan prophetae et vaticinia Ahiae Silonitae et visionem Addo Videntis » remittantur, aut cur prior in historia Roboam « annales regum Iuda » (III. 14,29), alter « libros

Semeiae prophetae et Addo Videntis » (II. 12,15) alleget etc. Hac quoque ratione facile explicatur, cur tam multae res privatae, dummodo ad prophetas spectent, in libris illis fuerint relatae, atque prorsus superfluum est alium fontem statuere, ex quo illae sint haustae. Profecto propheta, qui illam regni septemtrionalis aetatem descripsit, qua Eliseus floruit, silentio praetermittere non potuit magna illa miracula, quibus Eliseus summa apud populum et apud reges auctoritate potitus erat, etsi illa publicum rerum statum directe non attingerent. Hac demum ratione etiam tertium illud explicatur, quod in nonnullis pericopis, quamvis ex communi fonte sint haustae, styli quaedam diversitas reperiatur expressionesque nonnullae vel formae usurpentur, quae in reliquo opere non leguntur.

Verum quidquid de fontium, quibus usus est operis nostri auctor, origine statuitur, sive publici erant regnorum annales sive prophetarum scripta privata, illud extra controversiam est positum, omnium regum res gestas a testibus coaevis et oculatis esse conscriptas, qui earum plenam et perfectam scientiam habuerunt. Eosdem autem testes etiam veracissimos fuisse ipsa narratio luculentissime prodit. Summa cum integritate nec ulla partium studio ducti narrant ea, quae viderunt et audierunt : nihil celant, nihil tegunt, nihil excusant; ab omni adulandi libidine alienissimi nec quidquam nisi Legem et praecepta Dei prae oculis tenentes sincere et sine ambagibus malorum regum scelera et vitia narrant, sicut bonorum res praeclare gestas, neque ipsorum illorum, quorum laudes celebrant, defectus silentio praetermittunt. Ubinam inveniuntur scriptores, qui maiore cum animi candore historiam suae gentis narrarunt, quam illi, quibus debebantur « libri verborum dierum regum Iuda et Israel » ?

5. Quoniam omnes textus parallelos afferre longum sit, praecipuos solos adscribimus.

3 *Reg.* 3, 5-15	=	2 *Paral.*	1, 7-13	4 *Reg.* 8,17-23	=	2 *Par.*	21, 5-10
(5, 2-9,12)	=		(2, 1-8,2)	8,25-29	=		22, 1-6
10, 1-29	=		9, 1-28	11, 1-12,14	=		22,10-24,14
11,41-43	=		9,29-31	14, 1-14	=		25, 1-5. 17-24
12, 1-19	=		10, 1-19	14,17-22	=		25,25-26,2
12,21-24	=		11, 1-4	15,32-38	=		27, 1-9
14,25-31	=		12, 9-16	16, 1- 4	=		28, 1-4
15,16-22	=		16, 1-6	21, 1- 9	=		33, 1-9
22, 2-35	=		18, 1-34	21,17-24	=		33,18-25
22,41-50	=		20,31-37	22, 1-23,4	=		34, 1-33

6. 2 *Paral.* 16,11; 25,26; 27,7; 28,26; 35,27; 36,8. — 2 *Paral.* 9,29; 12,15; 13, 22; 26,22; 32,32. (Cfr *infra* 112. n. 2.)

7. 2 *Paral.* 20, 34 : « in verbis Iehu, filii Hanani, quae digesta sunt in libro regum Israel »; 2 *Paral.* 32,32 « in verbis Isaiae in libro regum Iuda et Israel ».

101. — Ex iis, quae de fontibus historicis operis nostri diximus, consequens est, plenam perfectamque esse eius historicam auctoritatem. Arbitrarium autem est, si rationalistae alias quidem eius partes velut historicas admittant, alias vero, quia vaticinia et miracula contineant, velut mythica reiiciant[1]. Solis enim praeiudiciis philosophicis hanc partium historicarum et mythicarum distinctionem inniti manifestum est; quocirca fusius de ea disputare superfluum esse putamus. Neque magis recentissimorum « criticorum » obiectionibus immorabimur, qui auctorem nostrum integram narrationem pro fine suo, quem eodem fere modo quo nos describunt, disposuisse, exornasse, finxisse contendant[2]. Nam « critici » ipsi pro fine suo, ut scilicet Pentateuchum ante exsilium non exstitisse totamque legislationem religiosam iunioris esse originis ostendere possint, sibi historiam quamdam israeliticam a priore ita fingunt, ut specialis providentia divina circa populum israeliticum prorsus dispareat, atque omnia, quae aprioristicis eorum fictionibus contradicunt, ab auctoribus sacris esse inventa et conficta non minus audaces quam impii asserunt.

Quibus praetermissis aliud argumentum afferamus, quo clarius librorum nostrorum historica auctoritas innotescat. Opus profecto historicum, cuius omnes narrationes, quae cum aliarum gentium monumentis fide dignis conferri possunt, iis plane consonant, procul dubio in iis quoque relationibus, quae ob aliorum monumentorum defectum conferri non possunt, summam meretur fidem. Iam vero libros Regum cum genuinis et fide dignis monumentis aliarum gentium omnino consentire a nullo negatur. Ut libros sacros suae gentis contra incredulos defenderet, *Fl. Iosephus* iam ad Berosum, qui de rebus assyriacis et babylonicis scripsit, ad Menandrum, qui Tyriorum monumenta graece reddidit, ad Manethonis Aegyptiaca provocavit[3], eandemque viam *Eusebius* ingressus simili argumento auctoritatem historicam librorum sacrorum vindicavit[4]. Verum divina providentia effecit, ut monumenta ipsa, quibus antiqui reges Aegyptiorum, Assyriorum, Chaldaeorum, Moabitarum victorias suas celebrarunt, ad nostra usque tempora conservarentur; atque eorum inscriptiones hac nostra aetate, qua libri sacri acerrime impugnantur, detectae et explicatae confundunt adversariorum audaciam.

Hodie adhuc *Sesac* (Scheschenk, Sesonchis), rex Aegypti, Thebis in templi Karnakensis pariete inter alios hostes, quos devicit in sua expeditione syriaca, etiam « Iudah malek » (regnum Iuda vel regem Iuda) nominat (3 *Reg.* 14,25); immo ex monumentis ab eo relictis aptius clariusque explicatur, quomodo fieri potuerit, ut Salomonis matrimonio cum filia Pharaonis non obstante Ieroboam in Aegyptum fugeret et rex Aegypti Salomone vix mortuo eius filio bellum inferret; Sesac enim

novae dynastiae fundator non aegyptiacae, sed assyriacae erat originis. Tres alii reges aegyptiaci in libro nostro commemorantur, *Sua* (vel Seve סוא = Sabaka; 4 *Reg.* 17,4), *Tharaca*, qui vocatur Aethiopiae rex, quia revera monumentis testibus non nisi post illud tempus, de quo in opere nostro sermo est, Aegypti rex est agnitus (4 *Reg.* 19,9), *Nechao*, qui devicit Iosiam (4 *Reg.* 23,34); atque eorum res gestae, quae in libris Regum aut commemorantur, aut supponuntur, melius nobis hodie cognitae sunt ex inscriptionibus hieroglyphicis et cuneiformibus, quam ex antiquorum scriptorum ieiunis relationibus[5]. Moabitarum rex *Mesa* victorias suas de Israelitis longa quadam inscriptione celebrat; quae integra non parum inservit ad explicandam narrationem auctoris nostri de expeditione regum Ioram et Iosaphat contra Mesa (4 *Reg.* 3,4)[6]. Damasci reges *Benhadad*, *Hazael*, *Rezin*, de quibus in libris nostris agitur (3 *Reg.* 20; 4 *Reg.* 8. 15), etiam inscriptiones assyriacae nominant eaque, quae de iis referunt, plane consentiunt narrationibus nostris[7]. Ex quinque regibus Assyriae, quos expeditiones contra Israelitas suscepisse auctor noster refert, Phul, Theglatphalasar, Salmanasar, Sennacherib, Asarhaddon[8], quatuor ultimi in inscriptionibus victorias suas de Israelitis reportatas nobis enarrant; primi quidem nomen nondum inventum est, at assyriologi longe plerique censent Phul et Theglatphalasar unam eandemque esse personam, id quod inscriptionibus confirmant[9]. Regum demum Babyloniae *Merodach Baladan*, qui Ezechiae legationem misit, *Nabuchodonosor*, qui Ierosolymis et templo deletis regnum meridionale destruxit, *Evilmerodach*, qui Iechoniam ex carcere eduxit, frequens fit et cum libris nostris consona mentio in monumentis Babyloniae[10].

1. *Thenius* l. c. p. VI-VIII; *De Wette Schrader* Einleitung p. 354. n n. *d. e. f.*
2. Cfr praesertim *Wellhausen* Prolegomena zur Gesch. Israels p. 285-310.
3. *Fl. Iosephi* c. App. I. 17-21; Antiqu. VIII. 5,3; 13,2; X. 1,4; 11,1 etc.
4. *Euseb.* Demonstr. evang. X. 11 sqq. (M. 21,521 sqq.).
5. Cfr *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes. IV. p. 6 sqq.; 121 sqq.; 162 sqq.; 227 sqq.; 288 sqq. et opera ibidem allegata.
6. Cfr *Vigouroux* l. c. IV. p. 47 sqq.; *Himpel* Die Inschrift Mesa's und die politisch-religiöse Geschichte Israels (Tüb. Quartalschr. 1870 p. 584 sqq.) etc.
7. Cfr *Vigouroux* l. c. IV. p. 38 sqq.; *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive. Prato 1885. I, p. 389 sqq. — *Schrader* Keilinschriften und A. T. Ed. 2. p. 201. 206. 260; *Eiusdem* Keilinschriften u. Geschichtsforsch. p. 367 sqq.
8. 4 *Reg.* 15,19. 29; 16,7-10 (2 *Paral.* 28,16. 20); — 17,3-6; 18,9 (*Tob.* 1,2. 18); — 18. 19. (*Is.* 36. 37; 2 *Paral.* 32; *Tob.* 1,18 sqq.; *Eccli.* 48,20 sqq.); — 19,37 (1 *Esdr.* 4,2).
9. Cfr *Vigouroux* l. c. IV. p. 81 sqq.; 120 sqq.; 171 sqq.; 226 sqq.; *de Hummelauer* Die assyrisch-babylon. Alterthümer und die Bibel (Stimmen aus M. Laach. 1873. IV. p. 142-152); *eiusdem* Aus grauer Vorzeit (Stimmen 1874. VII. p. 313 sqq.); *Brunengo* l. c. I. 455 sqq.; II. p. 1 sqq.; — *Schrader* Keilinschriften und A. T. p. 217 sqq.

10. Cfr *Vigouroux* l. c. IV. p. 293 sqq.; 453 sq.; *de Hummelauer* Die assyr. babyl. Alterth. und die Bibel (Stimmen IV. p. 152-158); *Brunengo* l. c. II. p. 241 sqq.; 342 sqq. — *Schrader* Keilinschriften u. A. T. p. 338 sqq.

102. — Unica difficultas, quae cum veritatis specie contra historicam 3. 4 librorum Regum auctoritatem affertur, ex chronologia desumitur. Accurate quidem auctor singulorum regnorum Iuda et Israel annos indicat nec omittit adnotare, quo iudaici alicuius regis anno coaevus israeliticus thronum ascenderit et vice versa; at numeri hi nec inter se nec cum chronologia aliarum gentium cognita plane consonant. Ab initio regnorum Roboam et Ieroboam, qui eodem anno ad thronum accesserunt, usque ad Ochoziae et Ioram mortem, qui eodem die ab Iehu interfecti sunt, numeri annorum regum Iuda efficiunt 95, regum Israel autem 98. Maior est differentia sequentium regnorum; etenim ab initio regnorum Athaliae et Iehu usque ad 6. Ezechiae annum, quo capta est Samaria, anni regum Iuda sunt 165, regum Israel dumtaxat 143 et septem menses[1]. Crescit difficultas, si assyriaca chronologia comparatur. Etenim inscriptiones assyriacae eosdem quidem reges Iuda et Israel, quos libri nostri, iisdem regibus assyriacis coaevos fuisse confirmant; at chronologia assyriaca, quam longa eponymorum series per tria fere saecula exhibet, videtur postulare, ut numerum annorum regum Iuda et Israel diminuamus; inter annum mortis Achab et inter occupationem Samariae assyriacus catalogus circa 130 annos dumtaxat ponit, catalogus autem regum Israel annos 157 et catalogus regum Iuda circiter 180.

Quibus differentiis adversarii nostri abutuntur, ut fidem nostris libris detrectent. Artificiose confictam esse totam chronologiam biblicam clamant; auctorem nostrum, qui ab exitu ex Aegypto usque ad aedificationem templi numeraverat 480 annos (3 *Reg.* 6,1), id est duodecim generationes quadraginta annorum, voluisse eundem numerum efficere ab aedificatione templi usque ad exsilii babylonici finem, ut iterum haberet duodecim generationes quadraginta annorum; regno Israel autem eum 240 dumtaxat annos, sex scilicet generationes, tribuisse. Nonnullis deinde numeris mutatis variisque additionibus factis ubique inveniunt numerum quadragenarium aut alios ludos chronologicos[2]. Quibus utpote prorsus arbitrariis, immorari nolumus. Graviores sunt aliorum obiectiones, qui etsi ab illis ludis abhorreant, tamen artificiosi aliquid in chronologia librorum nostrorum deprehendisse sibi videntur[3]. Quia vero huius loci non est integram regnorum Iuda et Israel chronologiam tradere, paucis verbis ostendemus, quomodo praecipuae obiectiones solvi soleant.

a.) Praeprimis probe est animadvertendum in numeris annorum

non minus quam in aliis numeris genuinum textum satis frequenter librariorum negligentia esse corruptum. Ex. gr. anno 27. Ieroboami II. regis Israel Azarias factus dicitur rex Iuda, cuius 38. anno Ieroboam successorem habuit Zachariam filium suum (IV. 15,1.8); Ieroboam igitur regnum tenuisset per 65 annos, at regnavit dumtaxat 41 annos (IV. 14,23); in uno alterove ex istis numeris mendum latere clarum est. Quodsi Amri, rex Israel, anno 31. Asae regis Iuda thronum ascendisse et 12 annis regnasse, nihilominus autem ei demortuo filius eius Achab iam a. 38. Asae regis successisse dicitur (III. 16,23. 29), iterum pronum est lapsum calami admittere.

b.) Neque illud in utriusque regni synchronismo restituendo omittere licet, quod aliquoties anni, qui regi alicui attribuuntur, non sint integri deficientibus nonnullis mensibus, aliquoties autem illis aliquot dies vel menses sint addendi. Ex. gr. Roboam regnavit 17 annis (III. 14,21); filius autem eius Abiam thronum ascendit a. 18. Ieroboami, regis Israel (III. 15,1), qui ipse non nisi post schisma, ergo post Roboam, regnum capessiverat; Roboam igitur 17 annis et aliquot mensibus sceptrum tenuerat. E contra Abiam, qui a. 18. Ieroboam thronum occupasse et 3 annis regnasse dicitur, iam a. 20. Ieroboam habuit successorem filium suum Asa (III. 15,1. 9), ergo non regnavit tres annos integros.

c.) Facile quoque fieri potuit, ut aliquoties, si pater filium sibi assumserat throni socium, anni illi, quibus simul regnaverunt, utrique adscriberentur. Azarias, qui 52 annis regnavit, lepra percussus gubernacula regni reliquit filio suo Ioatham (IV. 15,2. 5), hinc dubitare licet, an 16 annorum, quibus Ioatham regnasse dicitur (IV. 15,33) pars in numero annorum patris eius contineatur. Item non satis certum est, annon alicubi interregna, praesertim in Israel, ubi tot dynastiae sibi successerunt, sint statuenda.

d.) Ad chronologiam assyriacam demum quod attinet, animadverte eam nondum ita esse stabilitam, ut absolutam certitudinem praebeat. Inter assyriologos enim non desunt, qui eponymorum catalogum interruptum esse censeant; ante regnum enim Theglatphalasari II. Assyriam per 46 annos sub dominio Chaldaeorum fuisse ideoque eponymos totius illius periodi deese statuunt[4]. Alii dubitant annon in catalogo ipso menda inveniantur[5]. Quae quum ita sint, numeros nostros biblicos secundum catalogum assyriacum corrigere nondum opus est; quamprimum vero assyriologi certis argumentis, quae prudens dubium excludunt, chronologiam suam stabiliverint, nobis etiam licebit biblicos numeros eidem conformare; id quod non admodum erit difficile, quia, uti diximus, inscriptiones assyriacae eosdem reges, quos libri nostri, iisdem regibus Iuda et Israel coaevos fuisse demonstrant[6].

1. Difficultas chronologica Patres non latuit; *S. Hieronymus* eiusmodi difficultatem proponenti iam respondit (ad Vital. ep. 72,5. M. 22,676) : « Quid prodest haerere in litera et vel scriptoris errorem vel annorum seriem calumniari, quum manifestissime scriptum sit : Litera occidit, spiritus autem vivificat? Relege omnes et V. et N. Testamenti libros et tantam annorum reperies dissonantiam et numerum inter Iudam et Israel i. e. inter regnum utrumque confusum, ut huiusmodi haerere quaestionibus non tam studiosi, quam otiosi hominis esse videatur. »

2. Ita *Wellhausen* Prolegomena p. 285-287 et in Bleek Einleitung Ed. 4. p. 264 sqq.; *Krey* in Hilgenfeld Zeitschr. für wissenschaftl Theol. 1877. p. 404 sqq. aliique. Quodsi ludis numericis, quos otiosa ingenia excogitaverint, certa testimonia historica destruere licet, facile erit omnem chronologiam evertere, neque tot numerorum arbitrariae mutationes requiruntur, quot adhibere coacti sunt nostri adversarii. Post nonnulla saecula poterit aliquis monere in regno borussico a. 1640. Fridericum Guilelmum, qui *magnus* elector vocatur, a. 1740 Fridericus II., qui *magnus* dicitur, a. 1840. Fridericum Guilelmum IV., qui quia primus et solus inter borussicos principes iustus fuit erga omnes subditos suos, iure maiore *magnus* vocatur, thronum ascendisse, atque optimum habebit argumentum, quo chronologiam regum borussicorum destruat. Anno 1589. Henricus IV. thronum Galliae ascendit, a. 1789., quando coetus nationalis sibi mutandae gubernii formae arrogavit, Ludovicus XVI. thronum amisit; 200 annis igitur regnavit domus borbonica et 5 reges eo tempore sceptrum tenuerunt; unicuique igitur competunt 40 anni et habemus wellhausianas generationes quadraginta annorum. Si quis vero dixerit Ludovicum XVI. non nisi morte sua a. 1793. thronum amisisse, respondebimus Henricum IV. non nisi 1593. abiurata haeresi calvinistica ius ad thronum acquisivisse et remanebit idem argumentum ad destruendam chronologiam Galliae. Alterum exemplum : ab occisione Ludovici XVI. (a. 1793.) usque ad tertiam rempublicam (a. 1870.) effluxerunt 77 anni, quibus septem gubernia sibi successerunt, ita ut unicuique competant 11 anni; revera prima respublica (1793.-1804.) et primum imperium usque ad imperatoris relegationem in insulam S. Helenae (1804.-1815.) duraverunt undenos annos; secunda respublica (1848.-1852.) et secundum imperium (1852.-1870.) iterum duraverunt $22 = 2 \times 11$ annos, et tres reges intermedii $9 + 6 + 18 = 33 = 3 \times 11$ annis sceptrum gesserunt. Secundum wellhausiana principia evidens est, hanc chronologiam esse confictam. Venia mihi concedatur, quod nugas nugis refutem. Cfr *Kamphausen* Chronologie der hebr. Könige. Bonn 1883 p. 9 sqq. — Ceterum animadverte adversarios, ut 480 suos annos ab aedificatione templi usque ad finem exsilii babylonici inveniant, contra omnia testimonia historica exsilio tribuere 50 annos; undenam illos desumserint, Deus scit.

3. *Schrader* Keilinschriften u. Altes Testament Ed. 2. p. 458 sqq.

4. *Clair* Les livres des Rois. Introduct. p. 187 sqq.; cfr *Ménant* Annales des Rois d'Assyrie 1874; *Oppert*. Salomon et ses successeurs 1877.

5. *Gutschmied* Neue Beiträge zur geschichte des Alten Orients. Leipzig 1876. p. 97 sqq. Etiam *Himpel* (Wetzer u. Welte Kirchenlexicon Ed. 2. III. 331), etsi assyriacae chronologiae faveat, monere non dubitat : « Auch die Vermuthung von chronologischen Irrthümern in den assyrischen Listen darf trotz des oben dargelegten Charakters derselben und trotz ihrer mehrfachen Bezeugung und Controlirung einstweilen noch nicht abgewiesen werden. » Simili modo *Kaulen* Assyrien u. Babylonien Ed. 2. p. 206; Einleitung Ed. 3. p. 239.

6. Ipse *Schrader* (l. c. p. 467) numeris biblicis reiectis fatetur : « im Uebrigen empfängt die Bibel *auch in chronologischer Beziehung* durch die (assyr.) Monumente eine erwünschte Rechtfertigung und Bestätigung ». — Ceterum dicimus cum *Vigouroux* (La Bible et les découvertes modernes. IV. p. 25) : « Les chiffres qui se lisaient

dans les originaux étaient certainement corrects, mais Dieu a permis que des erreurs de copiste se soient glissées dans les chiffres de la Bible, comme dans tous les autres livres de l'antiquité. Si l'on parvient à retrouver les véritables, à l'aide des synchronismes égyptiens et assyriens, l'Église sera la première à s'en applaudir. » — Chronologiam librorum Regum adhibitis synchronismis assyriacis restituere multi conati sunt; praeter *Oppert* et *Clair*, quos iam nominavimus, cfr *de Hummelauer* (Stimmen aus M. L. 1873. IV. 1874. VII.), *Neteler* (Tüb. Quartalschr. 1874. et Zusammenhang der alttest. Zeitrechnung mit der Profangesch. I. II. 1884. 1885.), *A. Schaefer* (Bibl. Chronol. vom Auszug bis zum Exil. 1878.), *Raska* (Chronol. der Bibel im Einklang mit derjenigen der Aegypter u. Assyrier. 1878.), *Himpel* (in Wetzer u. Welte Kirchenlex. Ed. 2. 1864. III. p. 327 sqq.), *Emmer. Alker* (Chronol. der BB. d. Könige u. Paralip. Leobschütz 1889.).

103. — De librorum nostrorum DIVINA AUCTORITATE inter omnes Christianos, qui divinam revelationem non plane respuerunt, plane constat; quin enim semper in canone Synagogae et Ecclesiae fuerint, nemo dubitat. Dominus ipse, in prima sua concione in synagoga nazarethana ex illis, velut e libris communi consensu admissis et integro populo cognitis, exempla sua de vidua sareptana et de Naaman Syro desumsit, ut Deum curam quoque ethnicorum specialem habuisse ostenderet, atque iterum ut scribas Pharisaeosque refutaret, narrationem in illis contentam in memoriam revocavit[1]. Simili modo S. Paulus in epistola ad Romanos et in sermone suo pisidiensi illis utitur, neque dissentiunt reliqui Apostoli[2]. Sed N. T. testimoniis omissis monemus Siracidam ea, quae integris fere duobus capitibus in Salomone, Ezechia, Iosia, in Elia et Eliseo celebrat, tantum non omnia ex libris Regum hausisse[3].

Quae omnia fusius persequi superfluum est; alteram potius quaestionem paucis attingamus, quidnam scilicet de operis nostri textu graeco sit sentiendum. Etenim a Vulgata nostra, quae nonnullis variis lectionibus exceptis cum textu massorethico consonat, illa alexandrinae versionis editio satis discrepat, quam Sixtus V. ab omnibus recipi et retineri iussit : alia transponit, alia omittit, alia addit, inter quae longior quaedam pericope de Ieroboam post III. 12,24 inserta. Sunt, qui interpretem graecum praeter librorum nostrorum textum etiam fontes ipsos, ex quibus auctor noster hauserat, adhibuisse atque ex illis nonnulla in versionem transumsisse censeant[4]. Quae sententia parum nobis probatur, atque iunioribus librariis potius et emendatoribus illas transpositiones et additiones deberi arbitramur, idque eo magis, quia in variis codicibus variant. Quae enim a B. et ℵ. post III. 12,24 adduntur, ea ab A. exsulant, qui etiam alias additiones et transpositiones nonnullas ignorat. Quare canonicam auctoritatem additionibus illis competere iure negamus, licet aliis in locis alexandrinam versionem genuinum nobis textum conservasse eiusque

lectiones interdum hebraicis et latinis esse praeferendas libentissime concedamus; interpretis autem est de singulis quid sentiendum sit perpensis omnibus subsidiis criticis statuere.

1. *Luc.* 4,24-27 cfr 3 *Reg.* 17,7 sqq. et 4 *Reg.* 5,8 sqq.; *Matth.* 12,42 cfr 3 *Reg.* 10,1 sqq.
2. *Rom.* 11,3 sq. cfr 3 *Reg.* 19,10. 18; — *Act.* 13,36 et 3 *Reg.* 2,10; *Act.* 7,47 et 3 Reg. 6,1; etc.
3. *Eccli.* 47,14 — 49,9.
4. *Thenius* l. c. p. XVII sq.

§ 25. — *De praecipuis commentariis catholicis in libros Samuel et Regum.*

104. — I. Patrum orientalium non multae explicationes librorum Sam. et Reg. nobis sunt conservatae. *Origenis* possidemus nonnulla fragmenta ex catenis collecta et duas homilias, quarum prior (de Elcana) 1 Reg. 1. 2. et altera (de Engastrimytho) 1 *Reg.* 28 tropologice et anagogice explicat. Plura sunt et maioris pretii ea, quae nobis reliquit *S. Ephraem;* ipsa quoque ex catenis sunt collecta, sed integrum fere omnium quatuor librorum constituunt commentarium, qui nonnullas difficultates optime solvit et multa accurate explanat. *S. Chrysostomo* narrationes de Anna, matre Samuelis, et de Saule Davidem persequente non erant nisi occasio, ut ita dicam, moralium exhortationum; *Theodoretus* autem eodem modo, quo reliquos libros historicos, etiam nostros illustravit « ea quidem, quae sunt in aperto, praetermittens, quae autem explicatione indigent, explicans » idque accurate secundum solum sensum literalem. Quae *Procopius Gazaeus* de libris nostris affert, ea pleraque ex Theodoreti Quaestionibus excerpsit[1].

Latini Patres antiquiores quoque vix quidquam, quod interpreti inserviat, de libris Sam. et Reg. ediderunt; « huius sacrae historiae commenta veterum nulla reperiri » testatur iam S. Gregorius M. Revera *S. Ambrosii* libri de Apologia prophetae David, de interpellatione Iob et David, de Elia et ieiunio, de Nabat Iezraelita exegeticis scriptis adnumerari non possunt, nec *S. Augustini* homiliae de iudicio Salomonis et de Elia et vidua sareptana. Inter *S. Hieronymi* opera exhibentur quidem Quaestiones hebraicae in II. Regum, sed eas spurias esse et Iudaeo cuidam saec. 8. vel 9. deberi constat; commentarius quoque, qui inter *S. Eucherii* opera exstat, tempore S. Gregorii M., qui in eo nominatur, est recentior[2]. Itaque inter Latinos *S. Gregorius M.* est primus, qui continuam quandam explicationem saltem in sedecim prima capita 1 Reg. nobis dedit; dubitatur quidem, num ipse « in

I Regum expositionum libros quinque » scripserit, sed eos saltem ex homiliis a S. Doctore habitis ab eius discipulo Claudio esse excerptas ideoque iure ei attribui constat; non plane neglecto sensu literali diligentius allegoricum et tropologicum persecutus est. Ex aliis S. Gregorii operibus alter eius discipulus *S. Paterius* collegit, quidquid de libris nostris disseruerat magister eius. Minoris pretii sunt Quaestiones in ll. Regum a *S. Isidoro Hisp.* exaratae, quia in allegoricis accommodationibus integrae versantur. Ad idem quoque interpretationis genus pertinent *Ven. Bedae* « expositionis in Samuelem prophetam (I Reg.) libri quatuor » et « liber de Salomonis templo », licet in altero etiam ad sensum literalem accuratius attendat; « triginta quaestionibus in ll. Regum » difficultates nonnullas a Nothelmo presbytero propositas etiam secundum sensum literalem explicat[3].

Secutus est *Rhabanus Maurus*, qui in suis commentariis id praesertim intendit, « ut SS. Patrum dicta, quae de praedictis (Regum) libris exposita in pluribus exemplaribus dispersa sunt, in unum ob commoditatem legentis colligeret »; Patres autem, quorum opera excerpsit, nominat Augustinum, Hieronymum, Gregorium M., Isidorum Hisp., Ven. Bedam; quibus non tantum addidit, « quae divina gratia ipsi concedere dignata est », sed etiam « non paucis in locis » ex capitulis Hebraei cuiusdam, modernis temporibus in legis scientia periti, traditionem Hebraeorum, non quasi ingerens alicui auctoritatem ipsius, sed simpliciter eius probationem iudicio lectoris relinquens »; opus autem illud designat, quod sub nomine « Quaestionum hebr. in ll. Regum » S. Hieronymo attribuitur. — Rhabani commentarios fere excerpsit *Walafridus Strabo* in sua Glossa ordinaria, paucis Ps. Hieronymi Patrumque explicationibus additis. *Claudius Taurinensis* autem in maiore parte suarum « Triginta Quaestionum supra ll. Regum » ita cum illo commentario consentit, qui vulgo S. Eucherio attribuitur, ut unum idemque opus esse videatur, nisi Claudium opus antiquius partim transcripsisse partim excerpsisse dicere malueris. *Angelomus Luxov.* demum simili fere modo, quo Rhabanus, patrum dicta collegit suaque nonnulla addidit; quapropter Rhabani quoque et Angelomi commentarii quasi duae eiusdem operis sunt recensiones[4].

1. *Origenis* fragm. et hom. in ll. Regum (M. 12,991-1028 et 17,39-58); cfr etiam *S. Eustathii Antioch.* « de engastrimytho dissertat. contra Origenem » (M. 18,613-674) et *S. Gregorii Nyss.* « epist. de pythonissa » (M. 45,107-114). — *S. Ephraem Syri* Explanatio ll. Reg. (Opp. syr. I. p. 331-567); — *S. Chrysost.* sermones quinque in Annam et hom. tres de Davide et Saule (M. 54,629-708); — *Theodoreti* Quaestiones (M. 80,527-800); — *Procopii Gaz.* Comm. in ll. *Reg.* (M. 87,1079-1200).

2. *S. Ambros.* De Elia etc. (M. 14,697-920); — *S. August.* Serm. 10. 11 (M. 39,91-100); — *Ps. Hieronymi* Quaestiones hebr. in ll. Regum (M. 23,1391-1432; cfr de auctore huius operis Vallarsii Admonit. M. 23,1389 sqq.). — *Ps. Eucherii* Comment. in ll. Regum

(M. 50,1047-1208; cfr de hoc opere Schottii Praefat. M. 50,699 sq. Auctor in 3 *Reg.* 7. M. 50,1147 de Gregorio papa, qui romanam ecclesiam rexit, velut de coaevo suo loquitur).

3. *S. Gregor. M.* in l. 1 Reg. expositio (M. 79,17-468; de operis scriptore cfr ibid. Praefat.); — *S. Paterii* expositio (M. 79,789-820); — *S. Isidori Hisp.* Quaestiones (M. 83,391-422); — *Ven. Bedae* In Samuelem expositio allegor.; Quaest. in ll. Regum; de templo Salom. (M. 91,499-808).

4. *Rhabani Mauri* Comment. in ll. Regum (M. 109,9-280); — *Wal. Strabon.* Glossa ordin. in ll. Reg. (M. 113,539-630); — *Claudii Taurin.* Quaestiones triginta super ll. Regum (M. 104,623-874); — *Angelomi Luxov.* Enarratio in ll. Regum (M. 115,243-552).

105. — II. Media aetate quoque non multi interpretes nostris libris interpretandis operam dederunt. In magno suo opere « de SS. Trinitate et operibus eius » *Rupertus Tuit.* satis diffusum commentarium partim literalem partim allegoricum exhibet in 1 Reg. 1. — 4 Reg. 13. Paucae nec magni pretii sunt *Hugonis a S. Vict.* annotatiunculae literales in libros nostros; eius discipulus *Richardus a S. Vict.* in suo tractatu « de templo Salomonis ad literam » aliqua capita 3 Reg. illustravit, atque memoria prae ceteris istius aetatis dignus est, quia « concordiam temporum regum Iuda et Israel » multis admissis corregnis stabilire conatus est [1]. De saeculorum insequentium postillatoribus et interpretibus *Card. Hugone, Nic. Lyrano, Dionysio Carth. etc.* aut de diffusis dissertationibus *Alph. Tostati* illis, quae alibi diximus, quidquam addere opus non est.

III. Etiam saeculum 16. satis sterile fuit, nec ullum commentatorem librorum nostrorum protulit, qui nominari mereatur, nisi forte *Caietanum* exceperis illosque, qui, uti *Vatablus, Clarius, Ferus, Sa*, integras Scripturas scholiis auxerunt. Inde vero a saeculo 17. res est mutata mirum in modum; satis multi enim illa aetate prodierunt commentarii iique eruditione et doctrina tam insignes, ut et praecedentium et subsequentium saeculorum labores non parum superent. Primum locum iure attribuimus *Casp. Sanctio*, quem Calmetus iam « omnium, quos novisset, interpretum praestantissimum » dixit cuiusque « commentarium in ll. Regum omnia eius alia opere facile superare » asseruit. Tempore Sanctium praecesserant tres alii interpretes laude digni : *Nic. Serarius*, qui reliquis libris historicis V. T. explicatis magnum sibi nomen acquisiverat, commentario in Reg. libros ultimam manum apponere morte impeditus est; alterius, *Claud. Bangolii* commentarius mole quidem, sed non eruditione Sanctii opus aequat; tertius *Franc. de Mendoza* tria grandia volumina commentariis et discursibus moralibus in quindecim priora capita 1 Reg. libri implevit [2]. Sanctium secuti sunt *H. L. Castaneus*, *Franciscus Ulyssiponensis*, *Lud. de Vera*, omnes eo longo inferiores; solus *Iac. Bonfrerius* ei aequalis probabiliter haberetur, si superstes esset illius commen-

tarius; egregia enim opera, quae de Pentateucho librisque Iosue et Iudic. ediderat, ei non fuerant nisi praeparatio quaedam ad Regum libros explicandos; at ultimus hic commentarius vix typis erat exscriptus, quum integra editio incendio deleta est[3].

Circa medium saec. 17. *Thom. Malvenda* nova sua hebraici textus translatione libris nostris lucem affundere studuit, et *I. R. a Corduba* « catenam versionum, glossematum SS. Patrum, veterum neotericorumque interpretum hebraicorum, graecorum, latinorum » inchoavit, sed ad finem non perduxit; quatuordecim dumtaxat priora capita complectitur volumen editum[4]. Interpretationi allegoricae et tropologicae librorum Regum curam praecipuam impenderunt *Math. a Corona*, qui septem volumina in fol. de 3. et 4 Reg. libris conscripsit, et *Emm. de Naxera*, qui tria magna volumina de solo 1 Reg. edidit[5]. Alii selectas pericopas librorum nostrorum explicarunt; *Leo Matina* quadraginta quinque dissertationes nobis reliquit; « fortunatam davidici regni partem » ex 1. et 2 Reg. libris descripsit *Ioan. Hier. Sopranis*; « de rebus salomonicis » ita egit *Ioan. Pineda*, ut eius opus, teste Calmeto, « maximi et elegantissimi commentarii loco habeatur » in nonnulla 2. et 3 Reg. capita; *Aeg. Camartus* demum in suo « Elia Thesbite » ultima 3 Reg. capita interpretatus est[6].

Quibus operibus si adnumeraverimus commentaria et scholia eodem saeculo de integris Scripturis edita, satis facile, opinor, explicatur, cur insequentis aetatis interpretes iterum libros nostros aliquantum neglexerint. Integro SAECULO 18. praeter *Calmetum*, qui omnes libros sacros explicavit, duos solos invenimus, quorum opera hodie adhuc cum fructu consuluntur, *Iac. Felibien*, cuius commentarius duos priores libros complectitur, et *I. I. Duguet*, qui omnes quatuor libros brevibus scholiis gallicis interpretatus est[7]. *Nostro saeculo* demum *Clair* et *de Hummelauer* copiosioribus commentariis eos instruxerunt et *Emin. Meignan* fusiore stilo eos illustravit[8]. Praeterea aetas nostra laudanda est eo quod multis egregiisque commentationibus ad eorum intelligentiam accuratiorem promovendam haud parum contulerit. Etenim vaticinia messianica in eis contenta explicaverunt *Patrizi*, *Bade*, *Reinke*, *Meignan*, difficultates autem contra eorum authentiam et auctoritatem ab incredulis propositas diligenter solverunt *Welte*, *Reinke*, *Himpel*, *de Hummelauer*, *Kaulen*, *A. Schaefer*, *I. Brunengo*[9].

Antiquiores et recentiores commentatores *protestanticos* enumerant *Carzovius* (Introd. p. 230 sqq. 272 sqq.), *Erdmann-Bähr* (Lange Bibelw. VI. p. 37 sqq., VII. p. XIX.), *Zoeckler* (Hdbch. d. theol. Wissensch. I. p. 194), *Strack* (Einleitg. Ed. 2. 1894. p. 207). Ex modernis conferri merentur *Keil* (Commentar.

Leipzig 1865.), *Hervey* et *Rawlinson* (The Speaker's Commentary II. III. London 1872. 1873.), *Erdmann* et *Baehr* (Lange's Bibelwerk VI. VII. Bielefeld 1873. 1868.). Critico studio textus hebraici inserviunt *Thenius* (Die BB. Samuels Ed. 2. Leipzig 1864. Die BB. der Könige. Ed. 2. 1872.) et *Wellhausen* (Der Text der BB. Samuel's untersucht. Gottingen 1871.).

1. *Rup. Tuit.* Comm. in II. Reg. (M. 167,1059-1172; 1233-1272); — *Hugonis a S. Vict.* annotatiunculae (M. 175,93-114); — *Richardi a S. Vict.* tract. II. III. (M. 196,223-256).

2. *Casp. Sanctii* S. I. Comment. et paraphr. in II. Reg. (Lugd. 1623. 2 voll. fol. Sine paraphr. Antw. 1624; etiam in M. Curs. S. S. tom. 9-11); — *Nic. Serarii* S. I. Comment. posthuma. Lugd. 1613.; — *Cl. Rangolii*, O. Min., Comm. cum permultis utilibus quaestionibus. (Paris 1621.-24. 2 voll. fol.); — *Fr. de Mendoza* Comm. (Madriti 1622.-23.; 3 voll. fol.).

3. *H. L. Castanei* Exercitationes (Pictav. 1626. 4°); — *Franc. Ulyssiponensis* Comm. (Coloniae 1628. 2 voll. fol.); — *Lud. de Vera*, O.S.S. Trin., Comm. (Limae 1635. fol.); — *Iac. Bonfrerii* S. I. Comm. (Tornaci 1643. 2 voll. fol.); cfr eius Praef. in Pentat. : « Mihi iam pridem animus erat in Regum libris oppellam qualemcunque meam ponere, quod vixdum ulli (sc. usque ad a. 1625.) in hac palaestra cucurrissent : at quum animadverterem rem in illis chronologicam esse difficiliorem nec facile expediendam, nisi de temporibus, quae Reges antecesserunt, res prius expedita foret, visum est initium commentariorum nostrorum a Pentateucho facere, et tum demum, si vita et vires ferrent, ad sequentes libros gradum facere ».

4. *Thom. Malvendae*, O. Praed., Comm. (Lugd. 1650. fol.); — *I. B. a Corduba* S. I. Catena (Lugd. 1652. fol.). Malvendae adnotationes praecipuae etiam exstant in Bibliis Venetis V. VI.

5. *Math. a Corona*, O. Carm., Sanctitas Ecclesiae Romanae s. expositio liter., mystica, moralis in 3. et 4 Reg. (Lugd. 1663.-66. 7 voll. fol.); — *Emm. de Naxera* S. I. Excursus moral. in I. 1 Reg. (Lugd. 1672. 3 voll. fol.)

6. *Leon. Matina*, O. S. Ben., Dissertationes (Patav. 1675. 4°); — *I. H. Sopranis* S. I. In Davidem comment. complectens ex 1. et 2 II. Reg. fortunatam regni Davidis partem una cum digressionibus de re vestiaria etc. (Lugd. 1643. fol.); — *Ioan. de Pineda* S. I. De rebus Salomonis (Lugd. 1609. fol.); — *Aeg. Camarti*, O. Minim., De Elia Thesbyte (Paris 1631. 4°).

7. *Iac. Felibien* Pentateuchus historicus (Paris 1704; cfr *supra* 66 n. 8.); — *I. I. Duguet* Explication des livres des Rois (Paris 1738.-1740.; 5 voll. 12°).

8. *Clair* Les Livres des Rois (Paris 1879. 2 voll.); — *Fr. de Hummelauer* S. I. Comm. in II. Samuel (Paris 1886); *Emin. Meignan* Les deux premiers livres des Rois (Paris 1888); David, Roi, Psalmiste, Prophète (1889), Salomon, son règne et ses écrits (1890). Les prophètes d'Israel (1892).

9. *Fr. X. Patrizi* Bibl. quaest. decas., quaest. 9 (Ed. 2. 1877); *Bade* Christologie (1850. I.), *Reinke* Beiträge (1855. IV.), *Meignan* Les prophéties messian. (1858. II.). — *Welte* Einheitl. Char. d. BB. Sam. (Quartalschr. 1846), *Reinke* Beiträge (I. III. VII. VIII), *Himpel* Ueber Widersp. u. versch. Quellen der BB. Sam.; Die Inschrift Mesa's (Quartalschr. 1874. 1870), *Vigouroux* La Bible et les découv. mod. (III. IV.), *de Hummelauer* Die assyr. babyl. Alterth. u. die Bibel; Aus grauer Vorzeit (Stimm. a M. L. 1873. 1874); *Kaulen* Assyrien u. Babyl. (Ed. 4. 1891), *I. Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive (1885 5. voll.) etc. etc.

CAPUT VI.

DE DUOBUS LIBRIS PARALIPOMENON.

§ 26. — *De Paralipomenon argumento, divisione, fine.*

106. Duo Paralipomenon libri, qui in canone nostro libros Regum sequuntur, in unum coniuncti ultimum locum in hodierno canone Iudaeorum occupant atque ab iis דִּבְרֵי הַיָּמִים « verba dierum » nuncupantur, « quod significantius, inquit *S. Hieronymus*, *Chronicon totius divinae historiae* possumus appellare »[1]. Graecum nomen, quod ex antiqua Itala in Vulgatam nostram transiit, operi ab Alexandrinis inditum est, « quia multa in libris Regum praetermissa (παραλειφθέντα) in eo narrentur », ut eorum supplementum quoddam esse videantur[2]. At parum aptum est nomen, si librorum argumentum consideratur; melius *S. Hieronymus*, quamvis ipse quoque « per singula nomina iuncturasque verborum historias in libris Regum praetermissas tangi » cum aliqua exaggeratione asserat, eodem in loco « Paralipomenon librum *instrumenti veteris epitomen* » appellari posse censet[3]. Ac profecto a primo homine incipiens auctor integram quodammodo historiam sacram tradit recensitis usque ad exsilium, immo usque ad Esdrae Nehemiaeque aetatem, tribuum vel familiarum nonnullarum genealogiis, quibus notas historicas inserit, atque deinde regum ex domo davidica exortorum historiam ita narrat, ut alia iisdem fere verbis, quibus auctor II. Regum, repetat, alia ab isto fusius relata in compendium redigat, alia ab isto concinnius dicta amplificet, alia demum non pauca praetermissa addat. In priore igitur sua parte Paralipomena exhibent historiae sacrae usque ad Davidem vel potius usque ad exsilii finem epitomen quandam, in altera compendium historiae regum domus davidicae.

Argumentum autem ex sequenti analysi accuratius innotescet. In tres partes opus apte distribuemus; quarum prima (I. 1,1-9,38) varias exhibet genealogias, altera (I. 9,39-29,30) Davidis, tertia (II. 1,1-36,21) reliquorum regum Iuda historiam enarrat, quibus pro epilogo (II. 36,22. 23) additur decretum, quo Cyrus reditum Iudaeorum ex captivitate babylonica permisit[4].

1. *Orig.* in Ps. 1. (M. 12,1084) : Παραλειπομένων πρώτη, δευτέρα ἐν ἑνί, Διβρὴ ἀϊαμίμ,

ὅπερ ἐστὶ λόγοι ἡμερῶν. — *S. Hieron.* ad Domn. et Rogat. Praef. 2. in Paralip. « Hoc primum sciendum, quod apud Hebraeos liber Paralipomenon unus sit, et apud illos vocatur *dibre haiamim* i. e. verba dierum, qui apud nos propter magnitudinem divisus est ». Quae in duos libros distributio in biblia hebraica a Dan. Bomberg (1517) introducta est. — *Melito* (Euseb. H. E. IV. 26. M. 20,392), *Origenes* (c. l.) canonem *iudaicum* recensentes libros Paralip. immediate ponunt post ll. Regum; atque *S. Epiphan.* (De pond. et mens. 4 et 23. M. 43,244,277) iudaicum canonem recensens ipsis libris Regum *praemittit* Paralipomena; *S. Hieron.* (Prol. gal.) ipse quoque in iudaico canone Paralipomena *praeponit* libris Esdrae, Nehemiae, Esther; atque iterum eodem ordine libros recitat ad Paulin. ep. 53,7 (M. 22,548) solum librum Esther ante Paral. recensens. Ultimus igitur locus Paralipomenis non ante Thalmudistarum aetatem videtur esse assignatus. Paralipomena autem libris Esdrae aptius praemitti recte iam monuit *Card. Hugo*, quia 1 Esdr. 1 est immediata eorum continuatio.

2. *S. Chrysost.* Synops. S. S. (M. 56,357); *Theodoret.* in 1 Paralip.; cfr *eius* in ll. Reg. Praef. (M. 80,801. 529 : « Argumentum Paralipomenon indicatur ipso nomine. Quae enim *praetermisit* [παρέλιπεν] auctor ll. Regnorum, ea auctor huius operis ex multis libris propheticis congessit. Multa autem etiam ex iis, quae ibi scripta sunt, addidit, ut servaret historiae contextum »); *Ps. Athan.* Synops. S. Script. 19 (M. 28, 328); *Procop. Gaz.* in Paral. Prooem. et in ll. Reg. Prooem. (M. 87,1080 sq.; 1201). — Cfr *S. Isid. Hisp.* Etymol. VI. 1 (M. 82,231) : « *Paralipomenon* graece dicitur, quod nos *praetermissorum* vel *reliquorum* dicere possumus, quia ea, quae in Lege vel Regum libris vel omissa vel non plene relata sunt, in isto summatim et breviter explicantur. »

3. *S. Hieron.* ad Paulin. 53,7 (M. 22,548) : « Paralipomenon liber, i. e. Instrumenti Veteris ἐπιτομή, tantus ac talis est, ut absque illo si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, se ipsum irrideat. »

4. Ita plerique libros dividunt : *Card. Hugo*, *Nic. Lyranus* etc.; nonnulli tamen quatuor partes facere malunt regnum Salomonis (II. 1,1-9,31) pro parte separata statuentes.

106. — Analysis Paralipomenon.

Pars prima (I. 1,1-9,38) constat variis genealogiis populi electi, quae ita traduntur, ut tribuum earum, quae cum domo davidica et cum templo arctius cohaerent, praecipua ratio habeatur.

I. *Pro introductione* secundum Genesin auctor patriarchas recenset enumeratque populos, qui a Noe descendunt, tribusque ab Abraham exortas, quae ad populum electum non pertinent, ut eas hac enumeratione quodammodo removeat (1,1-54).

1. Patriarcharum antediluvianorum (1,1-4) enumeratio,
2. populorumque post diluvium a Iaphet (1,5-7), Cham (1,8-16), Sem (1, 17-23) exortorum.
3. Ex Sem autem descendit Abraham,
   a.) cuius accuratior genealogia traditur (1,24-27),
   b.) cuiusque posteri recensentur, qui ad populum electum non pertinent,
      α.) quum illi, qui ab Ismael (1,28-31) et filiis Ceturae (1,32. 33),
      β.) tum illi, qui ab Isaac quidem sed per Esau descendunt (1,34-54).

II. Quibus remotis tradit auctor *genealogias populi israelitici* ea ratione,

ut tribubus Iuda, Levi, Beniamin, quae cum domo davidica et cum templo arctius sunt coniunctae, praecipuum locum tribuat (2,1-8,40).

1. Enumeratis igitur ordine consueto filiis Iacob (2,1-2) primum recenset *posteros Iuda* (2,3-4,23).
   a.) Quinque filiis Iuda, a quo descendit David, nominatis totam eius historiam in memoriam revocat (2,3-5); at non eadem ratione omnium filiorum genealogias tradit, sed
   b.) Zarae posteris brevissime indicatis (2,6-8)
   c.) fuse inhaeret posteris Phares, vel potius Hesron, filii Phares (2,9-4,20).
      α.) Eius enim genealogiam primum directe deducit usque ad Davidem fratresque et sorores eius (2,9-17),
      β.) et enumeratis aliis celebrioribus eiusdem stirpis familiis (2,18-55)
      γ.) ad Davidem reversus eius filios omnes nominat (3,1-9); reges ex eo exortos enumerat (3,10-16), ultimique regis davidici posteros, qui post exsilium vixerunt, recenset (3,17-24),
      δ.) quibus supplementa quaedam de domibus iam enumeratis addit (4,1-20),
   d.) atque demum Iuda genealogias terminat brevissime recensens posteros Sela (4,21-23).
2. Postquam fuse tradidit genealogias Iuda, paucis recenset duorum fratrum natu maiorum posteros :
   a.) *Simeonis*, qui in media tribu Iuda habitabat (4,24-43),
   b.) et *Ruben*, qui ius primogeniturae amiserat (5,1-10),
   c.) quibus adiungit *Gad* et *dimidiae Manasse* familias, quippe quae una cum Ruben terram transiordanicam occupaverant, paucis de eorum historia insertis (5,11-26).
3. Diutius iterum *inhaeret tribui Levi* (6,1-81); etenim
   a.) lineam aaroniticam (summorum sacerdotum) perducit usque ad exsilium babylonicum (6,1-15),
   b.) reliquas familias levitarum recenset (6,16-30),
   c.) levitarum a Davide in ministerio tabernaculi constitutorum descendentiam a filiis Levi exhibet (6,31-48);
   d.) et summis sacerdotibus ab Aaron usque ad Achimaas, qui tempore Salomonis summam dignitatem tenuit, nominatis (6,49-53)
   e.) civitates levitis attributas enumerat (6,54-81).
4. Demum *reliquarum tribuum genealogias tradit* (7,1-8,40) eo ordine,
   a.) ut paucis recenseat *Issachar* (7,1-5), *Beniamin* (7,6-12), *Nephthali* (7,13), *Manasse* (7,14-19), *Ephraim* (7,20-29), *Aser* (7,30-40),
   b.) sed ad *Beniamin* reversus, qui semper regibus davidicis subditus remansit et ad cuius territorium Ierusalem pertinebat,
      α.) accuratius eius genealogias tradat (8,1-28),
      β.) et speciatim Saulis regis prosapiam enumeret (8,29-40).

III. Terminat genealogias

1. enumeratis familiis, quae usque ad exsilium Ierusalem inhabitabant ex tribubus Iuda, Beniamin et Levi (9,1-17)

2. et recensitis ministeriis levitarum quum ostiariorum (9,18-26), tum reliquorum (9,27-34).

PARS ALTERA (I. 9,35-29,30) HISTORIAM DAVIDIS REGIS ENARRAT.

Transit a genealogiis ad historiam Davidis narrandam auctor repetita prosapia Saulis (9,35-44 cfr 8,29-40) et infelici eius morte in memoriam revocata (10,1-14).

I. *Confirmatio Davidis in regno* (11,1-12,40).

1. Ab omni Israel David in Hebron rex salutatus (11,1-3) statim arcem hierosolymitanam Iebusaeis eripuit ibique regni sedem constituit (11,4-9).

2. In regno autem occupando et confirmando fortissimos habuit socios (11,10-46), immo iam ante Saulis mortem multi viri fortes ad eum transierant (12,1-22), aliique plures post Saulis mortem ad eum venerant, ut eum regem constituerent in Hebron (13,23-40).

II. *Translatio arcae foederis in Ierusalem* (13,1-17,27).

1. Brevi post occupata Ierosolyma David de arca foederis in montem Sion transferenda cogitavit (13,1-4); ab exsequendo autem consilio absterritus est subita morte Ozae, qui arcam tetigerat (13,5-11), quapropter illam in domo Obededon Gethaei collocavit (13,12-14).

2. Quum autem interea Dominus ei benediceret tum relate ad familiam eius (14,1-7), tum in eius bellis contra Philisthaeos (14,8-17), praeparavit in monte Sion locum arcae Domini eamque magno cum apparatu, comitante omni populo ministrantibusque sacerdotibus et levitis iuxta munera sua, in tabernaculum exstructum intulit (15,1-16,3).

3. Quo peracto levitas constituit, qui coram arca laudes Dei cantu celebrarent (16,4-7), [canticorum exemplar (ex variis Psalmis 104. 95. 105 compositum) inserit auctor (16,8-36)] aliaque ministeria sacra inter levitas distribuit (16,37-43).

4. Quibus nondum contentus etiam templum exstruere voluit (17,1. 2), sed a Deo retentus est, qui vicissim promisit se ei domum esse aedificaturum, filium eius templum esse exstructurum, thronum autem in domo eius esse permansurum (17,3-15). Quapropter gratias egit Domino bonitate illius erga se celebrata (17,16-27).

III. *Davidis regnum felix* (18,1-20,7).

1. Brevi conspectu gentes enumerantur vicinae, quas David a Deo adiutus devicit (18,1-13),

2. iustumque eius regnum innuitur enumeratis praecipuis viris, quibus aulae ministeria contulerat (18,14-17).

3. Paullo accuratius autem narrantur belli contra Ammonitas et Syros occasio (19,1-7) exitusque felix (19,8-20,3) et victoriae de tribus philisthaeis gigantibus reportatae (20,4-7).

IV. *Davidis praeparationes ad templum aedificandum, ordinatio cultus divini, ultima mandata* (21,1-29,30).

1. Numeratione populi instituta David Deum offenderat (21,1-7), quare peste triduana, quae multa hominum millia absumsit, punitus (21,

8-14) ad poenitentiam se convertit (21,15-17); qua placatus Deus altare sibi exstrui iussit in area Ornan (21,18-27), cognovitque David Dominum illum locum elegisse, ut templum ibi exstrueretur (21,28-22,1).

2. Statim omnia praeparare coepit (22,2-5), Salomoni praecepit, ut illud aedificaret (22,6-16) reliquisque principibus Israel, ut filium suum in hoc opere adiuvarent (22,17-19).

3. Quum iam in eo esset, ut filio regnum traderet (23,1),
   a.) levitas numerari iussit (23,2-5), totaque tribu Levi secundum tres Levi filios in tribus familiis recensita (23,6-24) eorumque ministeriis in genere indicatis (23,25-32).
      α.) enumerantur viginti quatuor classes sacerdotum (24,1-19),
      β.) illae levitarum classes, quae sacerdotibus in cultu assistebant (24,20-31),
      γ.) viginti quatuor classes cantorum leviticorum (25,1-31),
      δ.) demumque classes levitarum, qui muneribus ianitorum (26,1-19), thesaurariorum (26,20-28), iudicum praefectorumque (26,29-32) fungebantur.
   b.) Simili modo regni administrationem ordinavit David
      α.) exercitu distributo in duodecim turmas (27,1-15),
      β.) institutis principibus duodecim tribuum (27,16-24),
      γ.) administratoribus thesaurorum regiorum (27,25-31)
      δ.) consiliariisque regiis (27,32-34).

4. Quibus peractis magnum principum consessum convocavit (28,1), in quo
   a.) Salomonem regni sui successorem divinitus constitutum declaravit eumque ad templum aedificandum exhortatus est (28,2-10) tradita templi descriptione, quam ipse a Deo acceperat (28,11-21);
   b.) thesaurisque enumeratis, quos ipse ad templum aedificandum collegerat, exhortatus est principes, ut ipsi quoque aliquid conferrent (29,1-5), qui libenter offerentes regem gaudio affecerunt (29,6-10);
   c.) qua de re gratias egit Domino simul cum deprecans, ut Salomonem in opere isto adiuvaret (29,11-19).
   d.) Deinde Salomoni regnum tradit, qui ab omnibus rex salutatur (29,20-25).

5. Terminatur historia Davidis annis regni eius indicatis fontibusque, in quibus res gestae eius narrantur (29,26-30).

Pars tertia (II. 1,1-36,21) historiam Salomonis successorumque eius enarrat.

I. Salomonis regnum (1,1-9,31).

1. *Eius initia.* Magno sacrificio oblato coram tabernaculo mosaico in Gabaon Salomon inaugurat regnum suum (1,1-6), qua occasione Dominus ei apparet eique donum sapientiae tribuit (1,7-13) atque simul etiam divitias (1,13-17).

2. *Templi aedificatio et inauguratio* (2,1-7,22).
   a.) Ut templum aedificaret, ab Hiram Tyri rege architectum postulavit

lignaque cedrina, advenas autem, qui inter Israelitas habitabant, coegit velut operarios (2,1-18);

b.) dein aedificare coepit templum, cuius descriptio exhibetur (3,1-17), et praeparare vasa tum atriorum tum sanctuarii ipsius (4,1-22).

c.) In templum terminatum (5,1) magna cum pompa ab integro populo per levitas transferendam curavit arcam foederis, et gloria Domini implevit domum (5,2-22).

d.) Salomon vero gratiis Deo actis, quod promissionem Davidi factam implevisset (6,1-11), supplex coram multitudine precatus est, ut Dominus vota in templo orantium exaudiret (6,12-42); atque igne coelitus super sacrificia misso Deus ratam se habere precationem manifestavit (7,1-3). Integra autem consecratione terminata Salomon populum dimisit (7,4-10).

e.) Quibus omnibus absolutis Dominus iterum Salomoni apparuit eique et domui et populo eius auxilium suum promisit, si fideliter sint observaturi Legem, poenas autem minatus est, si eam sint transgressuri (7,11-22).

3. Paucis *reliqua regni salomonici* absolvuntur (8,1-9,31).

a.) Nonnulla de civitatibus affert, quae Salomon exstruxit, de populis, quos tributarios fecit, de sacrificiis, quae obtulit, de eius navigationibus (8,1-18);

b.) de regina Saba, quae eum visitavit (9,1-12) et eius divitias et magnificentiam admirata est (9,13-28).

c.) Terminatur autem narratio indicatis fontibus, ex quibus hausta est (9,29-31).

II. Regna Roboam, Abiam, Asa (10,1-16,14) qui cum regno Israel continua bella gerebant.

1. *Regnum Roboam* (10,1-12,16).

a.) A Roboam decem tribus quidem defecerunt (10,1-19) impeditusque est a Domino, ne eos subiiceret (11,1-4);

b.) nihilominus regnum suum confirmavit quum civitatibus aedificatis et munitis (11,5-11), tum receptis levitis sacerdotibusque, quos Ieroboam e finibus suis expulit, et omnibus illis Israelitis, qui Domino fideles adhaeserunt (11,12-17), tum distributis numerosis suis filiis in varias civitates Iuda et Beniamin (11,18-23).

c.) Quum vero Dei Legem transgressus esset, tradita est terra in manus Sesac, regis Aegypti, et non liberata, nisi postquam poenitentiam egerant Roboam et populus (12,1-12).

d.) Terminat historiam regni huius auctor eadem ratione, qua historiam praecendentium regnorum (12,13-16).

2. *Regni Abiam* (13,1-22) non refertur nisi victoria, quam a Deo adiutus de Ieroboam reportavit (13,1-20), et terminatur narratio consueta formula (13,21. 22).

3. *Regnum Asa* (14,1-16,14).

a.) Asa idolorum cultui evertendo et civitatibus muniendis intentus non parum confortavit regnum (14,1-8);

b.) quare etiam Zaram Aethiopem exercitumque eius Deo adiuvante devicit (14,9-15).

c.) Admonitus autem ab Azaria propheta, felicitatem regni a fideli Legis observantia dependere (15,1-7), maiore cum ardore idololatriam impugnavit et foedus cum Deo renovavit (15,8-19).

d.) Finis tamen regni minus felix; etenim in bello contra Israel imploravit Syrorum auxilium; a quibus adiutus regem Israel devicit quidem (16,1-6), sed vituperatus est a Deo per prophetam Hanani (16, 7-9). Qua de re iratus rex prophetam in vincula coniecit et crudeliter egit erga populum (16,10); morbo punitus paullo post mortuus est (16,11-14).

III. Reges, qui cum regno Israel amicitiam coluerunt (17,1-22,12).

1. *Regnum Iosaphat* (17,1-20,37).

a.) Iosaphat ab initio regni sui cultum Domini promovebat et levitis per terram dimissis populum Legem docebat (17,1-9), quare etiam auctoritas et potestas eius creverunt (17,10-19).

b.) Sed affinitate coniunctus cum Achab, impio rege Israel, seductus est, ut una cum eo bellum inferret Syris, quamvis propheta Michaeas eum esset dehortatus (18,1-27); infelix autem fuit bellum, Achab occisus est et Iosaphat revertenti Ierosolyma propheta Iehu poenam praedixit propter eius cum rege Israel coniunctionem (18, 28-19,3).

c.) Redux Iosaphat populum iterum ad Legem revocavit et iustitiam coluit (19,4-11), quare etiam, quum Moabitae Ammonitae aliaeque gentes ei bellum inferrent et ipse a Domino auxilium petisset (20, 1-13), Deus per prophetam Iahaziel splendidam victoriam ei praedixit (20,14-19) et largitus est, ita ut omnes vicinae gentes timore percellerentur (20,20-30).

d.) Historiam regni huius consueto modo terminans (20,31-34) breviter addit auctor expeditionem maritimam, quam Iosaphat una cum rege impio Ochozia praeparaverat, navibus secundum prophetae Eliezer vaticinium destructis a Deo esse impeditam (20,35-37).

2. *Regnum Ioram* (21,1-20), impii filii Ieroboami, paucis absolvitur. Occidit omnes fratres suos (21,1-4), idololatriam introduxit, quia filiam regis Achab uxorem habuit, Idumaeos rebellantes subiicere non potuit (21,5-11), Elias (Eliseus) autem literis scriptis pessimam mortem et cladem domus ei praedixit (21,12-15), quae revera acciderunt (21,16-20).

3. Neque minus breviter absolvitur regnum *Ochoziae*, qui, quum impiae matris Athaliae consilia sequeretur, impie regnavit (22,1-4) et in bello contra Syros, quod una cum Ioram rege Israel suscepit, occisus est (22,5-9). Mater autem eius *Athalia* regnum arripuit occisis omnibus Ochoziae filiis excepto Ioa, qui a Ioiadae pontificis uxore in templo absconditus est (22,10-12).

IV. Reges a Ioa usque ad Ezechiam (23,1-28,27).

1. *Regnum Ioae* (23,1-24,27).

a.) Ioiada congregatis levitis rebellionem movit contra Athaliam, unxit Ioam regem, occidit Athaliam, destruxit idololatriam, foedus populi cum Deo renovavit (23,1-21).

b.) Ioas autem, quamdiu Ioiada vixit, bene regnavit templumque restauravit (24,1-14); sed post Ioiadae mortem principum consilia secutus idololatriam restauravit (24,15-18), frustra renitentibus prophetis, ex quorum numero Zacharias, Ioiadae filius, occisus est (24,19-22).

c.) Quapropter Deus eum populumque punivit infelici exitu belli contra Syros, et Ioas ipse a coniuratis occisus est (24,23-27).

2. *Regnum Amasiae* (25,1-28), qui prius quidem bene regnavit et Legem implevit (25,1-4), quare etiam a Deo adiutus est in bello contra Edomitas, quamvis auxiliares Israelitas, quos conduxerat, a propheta monitus remisisset (25,5-13); at postea, quia Edomitarum deos frustra renitente propheta colere inceperat (25,14-16) in bello contra Ioachaz regem Israel devictus et a suis subditis occisus est (25,17-28).

3. *Regna Oziae* (Azariae) *et Ioatham* (26,1-27,9).

a.) Ozias quoque ab initio bene regnans (26,1-5) a Deo adiutus est in bellis contra Philisthaeos aliasque gentes, neque parum confortavit regnum et nomen magnum sibi acquisivit (26,6-15);

b.) sed quum superbia elatus ipse sacrificium adolere voluisset, lepra punitus est, ut regnum filio suo Ioatham tradere sit coactus (26, 16-23).

c.) Ioatham autem in bona via perseverans auxilium divinum expertus est in bellis suis contra Ammonitas (27,1-9).

4. *Regnum Achaz* (28,1-27) omnino fuit diversum. Idololatriae deditus (28,1-4) a Syris et Israelitis devictus est (28,5-8). Captivos quidem Israelitae moniti a propheta Oded remiserunt (28,9-15), at Achaz in mala via obduratus novis cladibus ad poenitentiam non est adductus, sed scelera sua auxit atque ipsum templum clausit (28,16-27).

V. Regnum Ezechiae (29,1-32,33).

1. *Restitutio cultus divini* (29,1-36). Statim a regni initio convocatos levitas et sacerdotes templum mundare iussit (29,1-11); qui quum mandatum implevissent (29,12-19), Ezechias cum principibus sacrificia pro peccato offerenda curavit (29,20-24) cultumque sollemnem restituit (29,25-30) et populum exhortatus est, ut ipsi quoque sacrificia offerrent (29,31-36).

2. *Pascha magna cum sollemnitate celebratum* (30,1-27). Nuntiis missis per regnum utrumque Ezechias omnes filios Israel ad pascha celebrandum invitavit (30,1-8); invitationi autem obsecuti pauci ex Israel et multi ex Iuda (30,9-12) festum celebrarunt secundum Legem (30, 13-22), quin etiam octo dies addiderunt festo (30,23-27).

3. *Reformationis continuatio* (31,1-21). Destructis idolis in Iuda et Ephraim (31,1) Ezechias denuo ordinavit ministeria sacerdotum et levitarum (31,2) praecepitque, ut populus ea afferret, quae sacerdotibus competebant (31,3-5); quod praeceptum tam alacriter exse-

cutioni est mandatum, ut constituendi essent, qui omnia servarent et distribuerent (31,6-21).

4. *Divina beneficia Ezechiae collata* (32,1-33).

a.) Propter fidelitatem suam Ezechias, quum a Sennacherib bellum ei esset illatum, a Deo liberatus est exercitu assyriaco per angelum destructo (32,1-23).

b.) A morbo etiam mirabiliter est sanatus (32,24), sed in superbiam elatus divinam iram provocavit; quia vero poenitentiam egit, avertit Deus poenam tempore regni eius, ut rex magna cum felicitate regnaret usque ad mortem (32,25-33).

VI. Ultimi reges ex domo davidica (33,1-36,21).

1. *Regna Manasse et Amon* (33,1-25).

a.) Tanta erat Manasse impietas, ut non tantum idololatriam restitueret, sed etiam in ipso templo idolum collocaret et totum populum seduceret (33,1-10); quare Deus eum in manus Assyriorum tradidit, qui vinctum abduxerunt in Babyloniam; ubi poenitentia peracta libertatem recuperavit, redux vero idola destruxit (33,11-20).

b.) Filius eius Amon patris peccata, sed non poenitentiam imitatus a servis suis occisus est (33,21-25).

2. *Regnum Iosiae* (34,1-35,27).

a.) Iosias, qui puer rex est factus, 8. anno regni coepit idololatriam omnibus viribus impugnare (34,1-7).

b.) Anno 18. regni eius, quum templum restauraretur, liber Legis a Moyse conscriptus inventus et regi allatus est (34,8-18); qui verbis Legis auditis admonitus per prophetissam Holda integro populo Legem legit foedusque cum Deo renovavit (34,19-33).

c.) Magna quoque cum sollemnitate pascha celebravit secundum Legem (35,1-18).

d.) In infelici autem proelio contra Nechao, regem Aegypti, occisus est et ab Ieremia universoque populo planctus (35,19-27).

3. Iosiae filius *Ioachaz* post tres menses iam a rege Aegypti captivus abductus est (36,1-4) eiusque in locum suffectus frater eius *Ioakim*, qui a Nabuchodonosor Babylonem abductus est (36,5-8). Quem secutus est *Ioachin*, qui insequenti anno ipse quoque Babylonem abductus est (36,9. 10) et successorem habuit fratrem suum *Sedeciam*, qui male egit, sicut praedecessores eius, et prophetis irrisit. Quapropter Deus tradidit populum et civitatem et templum in manus Chaldaeorum (36,11-21).

Epilogus (36,22. 23) initium exhibet decreti, quo Cyrus Iudaeis permisit, ut in Palaestinam reversi templum reaedificarent.

108. — Qui nudam hanc analysin perlegerit, facile animadvertet, non eum fuisse auctoris finem, ut ea, quae ab auctoribus librorum Samuel et Regum *praetermissa* erant (τὰ παραλειπόμενα) suppleret. Quamvis enim longe maior librorum nostrorum pars de eodem tempore

agat, de quo tres ultimi Regum libri, eorumque narratio ex iisdem fontibus sit hausta, opus tamen omnino separatum et independens constituunt, quandoquidem integrum suum argumentum alio omnino modo explanaverint resque narrandas secundum certum et determinatum finem selegerint. Quisnam autem ille finis fuerit, illucescet, quamprimum libros nostros cum prioribus operibus comparaverimus[1].

Atque 1. quidem notatu est dignum, quantum locum auctor *historiae Davidis regumque ex davidica domo exortorum* tribuendum existimaverit. Etenim non tantum in secunda parte de solo Davide et in tertia de solis regibus regni meridionalis agit, sed etiam in prima domum davidicam continuo prae oculis habet. Animadvertas enim velim, in genealogiis longe fusius, quam de aliis omnibus, agi de tribu Iuda, ad quam pertinet David; in hac tribu autem maiores et posteros Davidis praecipuum locum sibi vindicare, atque huius solius domus lineam ab Adam usque ad Esdrae aetatem deduci. Porro a Davide usque ad Iosiam illos solos filios, qui thronum occupaverant, nominat, Iosiae vero filios posterosque cunctos usque ad suam aetatem superstites enumerat, quippe quos omnes, licet ceterum ignobiles, velut ultimae domus davidicae reliquias speciali lectoris attentione dignos iudicaret[2]. At in reliquis quoque genealogiis haud infrequenter notis historicis interiectis prodit se davidicae stirpis semper esse memorem[3]. Decem tribuum septemtrionalium genealogias non perducit nisi ad aetatem Davidis, atque solae tribus Levi et Beniamin, quae domui davidicae fideles semper adhaeserunt, maiore attentione dignae ei videntur fuisse[4]. Omissa deinde Saulis historia eiusque sola morte commemorata ad regnum davidicum properat, de quo fuse et accurate agit. Post regni demum scissionem regum Israel totiusque regni septemtrionalis non maiorem rationem habet, quam regum regnorumque quorumcunque ethnicorum; eatenus enim dumtaxat reges Israel nominat, quatenus eorum historia cum historia domus davidicae ita est connexa, ut haec sine illa non intelligatur.

Attamen 2. ne regni Iuda quidem aut regum davidicorum historiam integram tradit, sed id solum ei cordi est, quid *de Ierusalem, de templo, de cultu divino* egerint. Ierusalem et templum in tota narratione primum occupant locum atque cultus divinus universae tractationis fere est caput. Quod in genealogiis tribus Beniamin una cum Levi et Iuda diligentius tractetur, id mirum non videbitur consideranti, Ierusalem et templum sita esse in territorio Beniamin; Ierusalem enim « elegerat Dominus, ut confirmaret nomen suum de cunctis tribubus Israel »[5]. Davidis ipsius iuventus, res tempore Saulis praeclare gestae, primi septem anni, quibus in Hebron regnavit, silentio praetermittuntur; neque narrationem incipit nisi ab eo tempore, quo

David regno totius populi vix occupato (I. 11,1-3) arcem Ierusalem Iebusaeis eripuit, sedem regni sui fecit (11,4-9), in eam transtulit arcam foederis (13,1-17,27). Maiore cum ubertate narrat, quae fuerint Davidis de templo aedificando merita : quomodo ei locus futuri templi sit ostensus (21,1-30), qua cum sollicitudine omnia ad templum aedificandum necessaria praeparaverit, cultus divini splendorem auxerit, filium et principes ad templi exstructionem sit exhortatus (22,1-29,23). Bella autem eius obiter et strictim refert (18,1-20,7), adulterium eius peccatique sequelas prorsus tacet. Simili modo Salomonis regnum absolvit; ex tota enim eius historia vix quidquam refert praeter templi aedificationem et inaugurationem (II. 2,1-7,22), peccatorum vero eius nullam facit mentionem. Inter reliquos reges illi maiorem locum occupant, qui de templo cultuque divino erant sollicitiores : Asa, qui idololatriae destruendae intentus fuit (14,1-16,14), Iosaphat, qui levitas, ut populum Legem docerent, per totum suum regnum distribuit (17,1-20,37), Ioas, qui templum restauravit cultumque renovavit (23,1-24,27), praesertim vero Ezechias et Iosias (29,1-32,33 et 34,1-35,27), qui templum a patribus clausum et profanatum iterum aperuerunt et mundarunt cultuique divino pristinum splendorem restituerunt. Epilogus demum initium decreti Cyri exhibet, quo reaedificatio templi hierosolymitani statuitur. Reliquas res gestas plerasque omittit auctor; si vero nonnulla d. bellis feliciter aut infeliciter gestis vel de bono aut malo statu regni alicuius refert, sollicite admonet, felicem aut infelicem exitum a regum pietate aut impietate, atque regni perniciem ab eorum cum idololatris, praesertim cum regibus Israel, initis foederibus dependisse[6].

Quibuscum cohaeret, quod 3. omnia ea accurate collegerit, *quae ad sacerdotes levitasque spectant*. Etenim in prima parte post tribum Iuda maior locus attribuitur genealogiis levitarum, inter quas iterum linea summorum sacerdotum usque ad exsilium perducitur. Neque omittendum est, auctorem in enumerandis summis sacerdotibus omisisse Heli eiusque proximos successores ex familia ithamarica solosque eleazaricos nominasse, quippe qui soli in templo hierosolymitano munere summo sint functi[7]. Porro in narratione ipsa sacerdotum levitarumque munera in duplice translatione arcae foederis fuse describuntur, eorum varia ministeria in tabernaculo per Davidem exstructo, officia in futuro templo a Davide assignata et in terminato a Salomone attributa, transmigratio ex regno Israel in regnum Iuda, missio ad docendum populum, restitutio in officia sua, auxilia Ioae praestita, diligentia in mundando templo sub Ioa in eoque restaurando sub Iosia exhibita etc.[8]. Atque eorum privilegia quoque celebrantur narrata punitione Oziae (Amaziae), qui munus sacerdotale exercere ausus erat.

Demum addamus, non minore cum diligentia festa religiosa describi a Davide, Salomone, Ezechia, Iosia magno cum apparatu celebrata [9].

1. Circiter quadraginta pericopas maiores minoresve Paralipomena et libri Sam. Regumque communes habent; supra (92. n. 3. p. 274; 100. n. 5 p. 299) quidem praecipuas iam enumeravimus eo ordine, quo sese in ll. Sam. et Reg. excipiunt; attamen non erit abs re catalogum eorum secundum ordinem ll. Paralip. repetere, quum hac ratione facilius deprehendatur librorum mutua independentia. Accurate de iis iam egit anonymus in *Tüb. Quartalschr.* 1831. p. 209, hoc catalogo tradito, cui pauca dumtaxat inseruimus.

1 *Par.* 10, 1-12.	1 *Reg.* 31.	2 *Par.* 12, 2.3. 9-16.	3 *Reg.* 14,21-31.
11, 1-9.	2 *Reg.* 5, 1-3.6-10.	13, 1.2.22.23.	15.1.2.6-8
11,10-47.	23, 8-39.	14, 1.2;15,16-19.	15,11-16.
13, 1-14.	6, 1-11.	16, 1-6.11-14.	15.17-24.
14, 1-17.	5,11-25.	18, 2-34.	22, 2-35.
15.16.	6,12-23.	20,31-31, 1.	22,41-51.
17.18.	7.8.	21, 5-10.20.	4 *Reg.* 8,17-24.
19.	10.	22, 1-9.	8,25-29;9,16-28;10,12-14.
20, 1-3.	11, 1;12,26-31.	22,10-23,21.	11.
20, 4-8.	21,18-22.	24, 1-14.23.27.	12, 1-17.18-22.
21.	24.	25, 1-4.17-28.	14. 1-14,17-20.
Par. 1, 2-13.	3 *Reg.* 3, 4-15.	26, 1-4.21-23.	14.21.22;15,2-7.
1,14-17.	10,26-29.	27, 1-3. 7-9.	15,33-38.
2.	5,15-32.	28, 1-4.26.27.	16, 2-4.19.20.
3, 1-5, 1.	6, 1-7,51.	29, 1.2.	18, 2.3.
5, 2-7,10.	8.	32, 1-21.	18,13-19,37.
7,11-22.	9, 1-9.	32,24.25.32.33.	20, 1.2.20.21.
8.	9,10-28.	33, 1-10.20-25.	21, 1-9.18-24.
9, 1-28.	10, 1-29.	34, 1.2.8-32.	22, 1-23,3.
9,29-31.	11,41-43.	35, 1.18-24.26.27;36,1-4.	23,21-23,28.29-34.
10, 1-11, 4.	12. 1-24.	36, 5.6.8-12.	23,36,37;24,15.8-19.

2. Cfr *Movers* Krit. Untersuchungen über die bibl. Chronik. Bonn 1834. p. 29, qui accuratam hanc posterorum davidicorum enumerationem cum resuscitata spe futuri Messiae apte coniungit: « In der nachexilischen Zeit wurden die messianischen Hoffnungen, geweckt durch des Volkes Unterdrückung, wieder rege; der Messias selbst sollte nach kürzlich geschehener Verheissung (Agg.; Mal.) den neu erbauten Tempel durch seine Gegenwart verherrlichen. Die Namen der noch übrigen wenig berühmten und auch sonst uns aus den BB. Ezra und Nehemia nicht weiter bekannten Nachkommen des alten Regentenhauses als die Ahnen des ersehnten Sprösslings hier zusammengestellt zu finden, musste für seine Zeitgenossen von Wichtigkeit sein ».

3. 1 *Paralip.* 4,31. 44; 5,1. 2.; 6,31. 32; 7,2 etc. Egregie de genealogiarum relatione ad domum davidicam agit *Mühling* Neue Untersuchungen über die Genealogien der Chronik und deren Verhältniss zum Zwecke des Buches (Tüb. Quartalschrift 1884. p. 402-450).

4. Levi : 1 *Paral.* 6,1-81; Beniamin 7,6-12; 8,1-40; 9,35-44. Levitarum genealogia aaronitica usque ad exsilium deducitur; num Beniaminitarum quoque linea saulica eousque deducatur, non satis constat.

5. 2 *Paral.* 12,13. Huc quoque spectat, quod familiae, quae ante exsilium Ierosolymis habitabant, enumerantur 1 *Paral.* 9,1-34.

6. 2 *Paral.* 16,1 sqq.; 18,1-19,3; 20,35 sqq.; 21,10 sqq.; 22,5 sqq. etc.

7. Summorum sacerdotum duplex habetur enumeratio (6,1-15 usque ad exsilium, et 6,50-53 usque ad exstructum templum), in quarum neutra ponuntur Heli et suc-

cessores eius. Duplex quoque habetur genealogia David, una usque ad regem ipsum (2,3-17) et altera usque ad Nehemiae aetatem (3,1-24).

8. 1 *Paral.* 15,1 sqq.; 2 *Paral.* 5,4 sqq. — I. 16,4-43. — I. 23,1-26,32; II. 8, 14 sqq. — II. 11,13 sqq. — II. 17,7 sqq.; 19,4 sqq. — II. 23,1 sqq.; 31,2 sqq. — I. 29,4 sqq.; 34,9 sqq.

9. II. 26,26 sqq. — I. 15,3-16,33; II. 5,1-7,10; 30,1-27; 35,1-18.

109. — Quae si colligimus, de fine auctoris, quem post exsilium secundo templo iam terminato et cultu antiquo restituto vixisse *infra* (110 sq. p. 325 sqq.) ostendemus, haec videntur esse statuenda. Praeprimis dubium esse non potest, quin cultum divinum in templo reaedificato debite celebrandum populo sacerdotibusque inculcare voluerit. Ad quid enim magnam sollicitudinem et diligentiam, quam a regni initiis piissimi et maximi reges, David, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias templo aedificando, exornando, restaurando et cultui divino digne ac splendide celebrando impenderunt, lectoribus suis ob oculos continuo posuit, nisi illos docere voluit, quid ipsi facere debeant? Esdrae tempore, immo ab Esdra ipso, opus nostrum scriptum esse censemus; atqui quantopere illo tempore Iudaei ex babylonico exsilio reduces hac instructione indiguerint, et Malachiae vaticinia et Esdrae, restitutoris cultus divini, liber nobis satis superque demonstrant. Praeterea iisdem libris edocemur satis infelicem fuisse reducum statum; templum quidem erat aedificatum, at tenue et exile, civitas sancta autem muris orbata patebat omnium hostium, qui reduces circumdabant, incursionibus. Iam vero auctor nobis exhibet magnos illos reges, qui primum suum munus cultu religioso diligenter promoto impleverant, a Deo summis praemiis ita exornatos, ut nonnulli (David, Salomon, Iosaphat) reges exteros cunctos magnificentia splendoreque regni superarent hostesque omnes terrore percellerent, alii (Ezechias, Iosias) saltem pericula imminentia averterent et retardarent. Nonne iure nostro igitur concludimus, eum voluisse reducibus ostendere, quid sperare ipsis liceret, si eadem cum diligentia, qua pii illi reges, primum suum officium erga Dominum implevissent? Altera vero ex parte infelix sors, quam impiorum regum populique ab eis seducti idololatria et foedera cum idololatris, praesertim cum regno Israel, inita adduxerant, reduces efficaciter absterrere debuit non tantum ab idololatria ipsa, sed etiam a societate cum illis contribulibus, qui Legem divinumque cultum negligebant aut ethnicis ritibus permiscebant. Primo autem tempore post reditum ex captivitate Iudaeos a populis idololatris circumcinctos et coarctatos atque splendido cultu orbatos in periculo defectionis esse versatos evidens est, praesertim quum libris Esdrae testibus ab Israelitarum successoribus Samaritanis, qui se quoque Legem possidere gloriabantur sed veri Dei cultui idololatriam admiscuerant, non semel

sint sollicitati, ut secum in divinis communicarent. Operis igitur argumento et temporis, quo scriptum est, rationibus consideratis primarium auctoris finem recte, nisi omnia nos fallunt, statuimus illum fuisse, ut antiqui regni historia proposita ad Legis observantiam et cultus divini dignam celebrationem exhortaretur contribules suos. Quae sententia confirmatur, si attenderimus non tantum quoties sed etiam quomodo auctor de relatione, quae inter Legem observatam cultumque digne celebratum et inter felicem regni statum intercedat, sermonem fecerit. Quamvis brevissime dumtaxat de Saule agat, infelicis tamen sortis eius veram causam indicare non omittit, quod scilicet « non observaverit mandatum Dei *atque insuper pythonissam consuluerit* » (I. 10,13. 14). In describendis regnis magnificis Davidis et Salomonis, qui cultum divinum tantopere promoverant, opus non fuit, ut regni felicitatem a Lege observata dependere diserte assereret; attende autem quanta cum cura caveat, ne adversa eorum sorte, quam peccatis suis sibi attraxerant, commemorata exhortationem suam infirmet aut diminuat. Quamprimum deinde ad posteros Salomonis pervenit, vix inveniemus caput, in quo aut auctor ipse aut propheta aliquis hunc nexum inter Legem cultumque et inter regni statum adesse non ostendat; immo interdum sermo in directam paraenesin transit [1].

Nescio autem annon primario huic fini alterum secundarium adiunxerit auctor. Nonnemini enim mirum videbitur, quod tam frequenter levitarum, ipsis quoque sacerdotibus aut omissis aut secundo in loco positis, mentionem iniiciat, eorum ministeria fuse et accurate describat, meritaque eorum celebret [2]. At inter eos, qui cum Zorobabel ex Babylonia in Palaestinam sunt reversi, plurimi quidem fuerunt sacerdotes, paucissimi autem levitae; atque Esdras, quum agmen suum recenseret, ne unum quidem levitam invenit et nuntiis iterum missis nonnullos dumtaxat « ministros domus Dei » permovere potuit, ut secum reverterentur [3]. Concludere igitur licet, auctorem omnibus iis, quae maximi reges David et Salomon de levitarum ministeriis statuerant, accurate descriptis et magnis enumeratis meritis, quae levitae sub Roboam, Iosaphat, Ioa etc. de regno acquisiverant, illos exhortari voluisse, ut Babylonia relicta Ierusalem revertentes honorificis suis ministeriis splendidiorem redderent cultum divinum regnique renascentis felicem spem augerent [4].

1. Cfr 2 *Paralip.* 12,1 sqq.; 13,5 sqq. 18; 14,11 sqq.; 15,11 sqq. etc. etc.; 28, 9 sqq.; 33,3 sqq.; 36,12 sqq.

2. Cfr 1 *Paral.* 6,1-81; 9,14-34; 15,2 sqq.; 16,37 sqq.; 23,3 sqq.; 24,20 sqq.; 25,1 sqq.; 26,1 sqq.; 2 *Paralip.* 5,4 sqq.; 7,6 sqq.; 8,14 sqq. etc.; — 11,13 sqq.; 17, 8 sqq.; 19,3 sqq.; 23,2 sqq.

3. 1 *Esdr.* 2,36-42 et 2 *Esdr.* 7,39-45 inter 42360, qui cum Zorobabel reversi

sunt, fuerunt 4289 sacerdotes sed 340 duntaxat levitae; in secundo agmine 1 *Esdr.* 8,15 nullus inventus est levita.

4. Moderni interpretes protestantici (*Dillmann* in Herzog P. R. E. III. p. 222; *Zoeckler* BB der Chronik in Lange's Bibelwerk VIII. p. 2; *Keil* Commentar über die Chron. p. VIII etc.) in libris nostris characterem *levitico-sacerdotalem* inveniunt, dum libris illis historicis, quos Iudaei Prophetas priores appellant (Ios., Iud., Sam., Reg.) *propheticum* characterem adscribunt. Quae distinctio parum nobis probatur. Quin libri nostri plura, quam II. Sam. et Reg., de sacerdotibus, levitis, cultu divino, festis celebratis tradant, non est dubium; at cultus non propter se commendatur, sed velut signum fidelis observationis Legis. A Legis enim et totius foederis cum Deo initi impletione dependere regni felicitatem innumeris vicibus Paralipomena docent, neque nudos ritus externos, sed internam animorum ad Deum conversionem Domino placere satis frequenter inculcant (II. 12,1 sqq.; 13,12-18; 14,10; 15,11 etc.; ceterum *Keil* l. c. p. 9 sqq. haec concedit). Quod autem de cultu frequentius, quam in II. Sam. et Reg., fiat sermo, id mirum non videbitur perpendenti, quo tempore opus nostrum sit scriptum. Quod si vero in nostro opere « paraenetico-didacticum finem » praevalere, in libris Samuel et Regum vero « divinam salutis oeconomiam » describi asserunt, caveant, ne differentiam hanc exaggerent. Namque in Paralipomenis quoque « salutis oeconomia » describitur, et auctores librorum Sam. et Reg. non minus, quam auctor Paral., « paraenetico-didacticum finem » sibi proposuerunt. Ex fine igitur historiographia « prophetica » a « levitica » parum recte distinguitur; neque aliud videtur esse totius istius distinctionis fundamentum, nisi canonis iudaici divisio, secundum quam priores libri prophetis, Paralipomena una cum Esdra Nehemia Esther hagiographis adnumerantur. Iudaei vero libros Samuel et Regum non ideo propheticis addiderunt, quia charactere indoleque a Paralipomenis etc. differant, sed quia priores a « prophetis munere », alios autem ab Esdra scriptos esse censuerunt, qui « propheta munere » non fuit (cfr *Introd. gener.* Ed. 2. p. 31 sqq.).

§ 27. — *De Paralipomenon origine.*

110. — Nec de tempore, quo scripta sunt Paralipomena, nec de eorum auctore consentiunt interpretes. Illud unum extra controversiam est positum, ea finito exsilio esse exarata. Licet enim historia ipsa usque ad initium dumtaxat exsilii perducatur, opus tamen terminatur Cyri decreto, quo Iudaeis reditus in patriam est permissus, nec ulla est ratio, cur clausulam istam a iuniore manu operi additam esse dicamus. Item davidicae domus genealogia ultra Zorobabelem continuatur, qui primorum exsulum in Palestinam revertentium dux fuit[1]. Accedit quod thesauri, quos Davidis aetate principes ad exstruendum templum contulerunt, *Daricis* aestimentur, id quod fieri non potuit nisi ab auctore, qui persicam hanc monetam ipse in usu quotidiano habebat et lectoribus melius, quam antiquas monetas iudaicas, cognitam esse censebat[2]. Demum ipsa quoque lingua satis impura atque orthographia, quae matres lectionis frequentes adhibet, iuniorem auctorem, qui post exsilium vixit, satis clare prodit[3].

Quibus argumentis tamen abutuntur, quicunque opus nostrum aut fini persici, aut initio macedonici, aut aetati seleucidici imperii attribuunt. Namque nihil in eo legitur, quo aetate Esdrae et Nehemiae recentius esse demonstretur; neque desunt, quae prohibent, quominus eius originem post Nehemiam ponamus. In Vulgata quidem nostra et in alexandrina versione posteri Zorobabelis usque ad undecimam generationem ita enumerantur, ut davidica genealogia usque ad Seleucidas perducta esse videatur. Attamen erroneam esse illam lectionem, tantum non omnes interpretes moderni fatentur, licet de hebraici quoque textus interpretatione quam maxime dissentiant. Alii enim duas dumtaxat, alii vero sex generationes post Zorobabelem enumeratas vident; etsi vero sex esse numerandas daremus, aetatem Nehemiae non transgrederemur; longe autem probabilius est, solos nepotes Zorobabelis nominari, neque quidquam nos cogit, ut genealogiam istam a iuniore manu novis additis membris esse continuatam cum antiquioribus interpretibus dicamus[4]. — Alterum argumentum, quo Paralipomena finito regno persico recentiora demonstrari censent, quodque alii quidem subtile nos vero futile appellamus, ex titulo « *regis Persarum* » desumitur, quo Cyrum designari monent; etenim ante macedonici regni initium titulum hunc a Iudaeis adhiberi non potuisse statuunt[5]. Simili argumentatione, si quid valeret, libros Regum post chaldaici regni finem scriptos esse et multa alia absurda demonstraremus. Cur scriptori Iudaeo eo tempore, quo Palaestina Persis parebat, Cyrum regis Persarum titulo insignire non licuit? Annon id pervulgatum est, ut populi subiecti imperatoribus suis eum solum titulum tribuant, qui ei *iure* competit? — Neque magis valet tertium argumentum ex loco desumtum, quem Paralipomena in canone iudaico obtinent, ultimum enim eis locum attributum esse arbitrantur, quia ultima inter omnes libros, ergo post Esdrae et Nehemiae aetatem, sint scripta[6]. At antiqui Iudaei Paralipomenis ultimum locum non dederunt; Thalmudistae autem id ideo videntur fecisse, quia libri isti ab Adam incipientes « integri Veteris Instrumenti epitome » quaedam essent ideoque apte reliquis libris velut clausula adderentur[7]. — Demum volunt libros nostros primitus cum ll. Esdrae et Nehemiae unum solum opus ab eodem auctore conscriptum constituisse, libros Esdrae et Nehemiae autem diu post Nehemiam esse exortos[8]. Quid de priore asserto sit sentiendum, statim dicemus, atque nullam prorsus esse rationem, cur Esdras auctor esse negetur librorum, qui eius inscripti sunt nomine, *infra* (122 p. 363 sqq.) demonstrabimus.

1. 2 *Paral.* 36,22 sq.; 1 *Paral.* 3,19.
2. 1 *Paral.* 29,7 (cfr 1 *Esdr.* 2,69; 8,27; 2 *Esdr.* 7,70). אֲדַרְכֹּון vel דַּרְכְּמֹון a *S. Hier.*

interdum *solidus* (1 Par. 29,7 etc.), interdum *drachma* (2 *Esdr.* 7,70), ab Alexandrinis mox δραχμή (1 *Esdr.* 2,70), mox χρυσοῦς (2 Esdr. 7,70; 1 Paral. 29,7) redditur; est autem nomen persicae monetae, quae a Graecis δαρεικός appellatur. Attamen num vocabulum hoc a nomine *Darii* sit derivandum, an a persicis vocabulis *Dara* (rex) et *Kaman* (arcus), quia exhibet imaginem regis sagittas mittentis, an ab aliis vocabulis persicis (*Dara* et *Kun* [imago] vel *Dergah* [aula] et *man* [princeps]), non constat; illud dumtaxat certum est, Daricorum nomen ante Darium Hystaspen in Persarum usu fuisse (*Xenoph.* Cyrop. V. 3,3). Quapropter Iudaeos, postquam a Cyri aetate per septuaginta annos sub Persarum dominio fuerunt, Esdrae aetate hisce monetis thesauros aestimasse facile explicatur. Cfr *Herbst-Welte* Einl. II. p. 171.

3. Linguam eandem esse, quae in Esdrae et Nehemiae libris reperitur, omnes concedunt (cfr *infra* III n. 4. p. 330); fusius id demonstrant *Movers* Krit. Untersuchungen. p. 17 sqq. et *Bertheau* BB. der Chron. p. XIX sq.

4. 1 *Paral.* 3,19 sqq. Textus hebr. inde a v. 21. ita est vertendus: « Et filius (vel filii) Hananiae: Phaltias et Iesaias. Filii Raphaiae; filii Arnan; filii Obdiae; filii Secheniae. Et filii (vel filius) Secheniae: Semeias; et filii Semeiae: Hattus et Iegaal et Baria et Naaria et Saphat, sex. Et filius (vel filii) Naariae: Elionael et Ezechias et Ezricam, tres. Et filii Elionael: Odnia et Eliasub et Pheleia et Accub et Iohanan et Dalaia et Anani, septem ». Secundum hanc lectionem prius duo nepotes Zorobabelis ex filio eius Hanania exorti enumerantur, quibus quatuor aliae familiae ex stirpe davidica adduntur, quarum ultima (Secheniae) per quatuor generationes usque ad auctoris, ut videtur, aetatem perducitur. Difficultas quaedam in eo est, ut relatio definiatur, quae inter quatuor istas familias interque posteros intercedat Zorobabelis. Iam vero secundum nonnullos interpretes Raphaias, Arnan, Obdias et Sechenias etiam fuerunt filii Hananiae ac proin Zorobabelis nepotes, ita ut a Zorobabel usque ad Odniam fratresque eius sex generationes haberemus; alii vero Raphaiae etc. filios familias a Zorobabelica prorsus distinctas constituisse censent, quae, si ponantur Zorobabeli aequales, per quatuor dumtaxat generationes usque ad auctoris aetatem perveniunt. Alexandrini et Vulg. difficultatem augent, quia in v. 21 pro plur. בְּנֵי semper legerunt בְּנוֹ et post ultimum nomen שְׁכַנְיָה quintum בְּנוֹ ita inseruerunt, ut a Zorobabel usque ad Secheniam iam habeant septem generationes, quibus quatuor post Secheniam usque ad auctoris aetatem accedunt. Contra quam lectionem militat ratio et structura genealogiae; a Salomone quidem usque ad Iosiam auctor eum solum filium nominavit, qui regnaverat (v. 10-14), a Iosia autem usque ad Zorobabel nominavit cunctos filios (v. 15-20), id quod iterum facit in Secheniae posteris (v. 22-24); parum apte igitur solo v. 21. ad priorem rationem reversus per quinque generationes unum solum nominasset. At neque illa explicatio nobis probatur, quae una cum Phaltia et Iesaia quatuor alios filios Hananiae per familias eorum designatos videt; is enim non est modus contexendarum genealogiarum atque nimis abrupte familiae istae eodem in ordine, quo personae, ponerentur. Quare duas dumtaxat Zorobabelis generationes, filios et nepotes, nominari censemus, filios autem Raphaiae et Arnan etc. esse alias familias stirpis davidicae, quarum una per quatuor generationes ad auctoris aetatem pervenit. Genealogiam igitur ultra Esdram et Nehemiam continuare non cogimur. Etiamsi enim sex generationes admittendas esse demonstraretur, difficultatem effugeremus statuentes Zorobabel iam grandaevum cum filiis et nepotibus ex Babylonia esse reversum, Elionael autem filios parvulos aetate fuisse, quando eorum nomina genealogiae insererebantur. Inter Zorobabelis enim (a. 536.) et secundum Nehemiae (a. 441.) reditum ex Babylonia centum fere interiacent anni, Esdram autem in vivis fuisse, quando Nehemias secunda vice Ierosolyma venit, certum est; facile

igitur Secheniae, Zorobabelis nepotis, si is puer quindecim annorum cum avo reversus esse statuatur, abnepotes videre potuit, etsi non ante 25. actatis annum Secheniam ipsum et filium et nepotem et pronepotem eius primogenitos suos genuisse admittatur. Ceterum non contradicemus, si quis etiam hebraicum textum corruptum esse censeat; syriacus exhibet lectionem, quae nec hebraicae nec alexandrinae et vulgatae consentit. Propter incertitudinem igitur lectionis et propter obscuritatem textus hunc locum aetati libri definiendae ineptum esse arbitramur.

5. Ita *Ewald* Gesch. des Volkes Israel I. p. 250; *De Wette Schrader* Einleitung p. 367; *Dillmann* in Herzog P. R. E. Ed. 2. III. p. 221 etc.

6. Ita *Zoeckler* Die BB der Chronik p. 6; *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 287.

7. Cfr *supra* 106 n. 1 p. 311 sq., quibus testimoniis adde *Fl. Iosephi* c. App. I. 8, qui Paralipomena secundae librorum classi, quam a prophetis scriptam dicit, accenset et ante libros poeticos posuit (cfr *Introd. gen.* Ed. 2. 49 sqq.). Recte autem monet *G. Arm. Marx* (Traditio rabbinorum veterrima de librorum V. T. ordine et origine. Lipsiae 1883. p. 33) : « In tali tantoque inter Iudaeos ipsos dissensu de ordine librorum *exspectare non possumus, nos in Thalmude reperturos esse ordinem omnino legitimum et antiquitus ratum*, sed reperiemus ibi tantummodo illum ordinem, quem Tannaei quidam censuerunt rectum esse ac verum ».

8. Ita *Dillman* l. c., *Bertheau* Die BB. der Chronik p. XLVI; *Zoeckler* l. c. etc.

111. — Paralipomenon igitur originem post aetatem Esdrae et Nehemiae quaerere opus non est, nec quidquam in libris legitur, quo antiquorum interpretum sententia, Esdram eorum esse auctorem, ullo modo infirmatur. *Thalmudistae* iam tradiderunt « Esdram scripsisse librum suum et genealogias Paralipomenon usque ad se »; genealogiae autem a reliquo opere separari non possunt; secundum antiquam igitur Iudaeorum traditionem Esdras totius operis auctor est dicendus[1]. Similem traditionem prae oculis habuit *S. Isidorus Hisp.*, quum « viros Synagogae sapientes » Paralipomena scripsisse assereret; « magnae Synagogae » enim Esdram fuisse institutorem et praesidem rabbini docent[2]. Eandem secuti sunt plerique mediae aetatis interpretes; etsi enim *Card. Hugo* « auctorem Paralipomenon ignorari » censeat, *Lyranus* tamen ad iudaicam traditionem provocans sine ulla haesitatione « Esdrae sacerdoti et Legis doctori » ea attribuit, atque *Tostatus* internis quoque argumentis idem probabile reddere studuit. Neque alia fuit iuniorum interpretum sententia inde a *Sixti Sen.* aetate, quibuscum moderni catholici plerique et ex protestanticis non pauci consentiunt[3]. Atque id quidem recte, nisi omnia nos fallunt.

Nam 1. optime iam monuit Tostatus tantam esse inter Paralipomena et inter libros Esdrae similitudinem linguae et styli, ut uni auctori opera ista sint attribuenda. Quod enim proprii habet dictio Paralipomenon, id in Esdrae libris reperitur, sive ad certorum vocabulorum usum, sive ad praepositionum frequentiam, sive ad alias constructiones grammaticas animum advertas[4]. Eadem in utroque opere formula Lex mosaica citatur[5], eodem fuse dicendi genere iisdemque fere vocabulis

levitarum munera describuntur[6]; eadem invenitur genealogiarum et catalogorum publicorum frequentia[7]. Quae sermonis, dictionis, narrandi rationis similitudo tanta est, ut satis multi moderni interpretes Paralipomena olim cum ll. Esdrae et Nehemiae unum opus constituisse censeant, quod decursu temporis in duo vel tria opera sit discerptum. At hanc conclusionem latius patere evidens est; ex styli dictionisque similitudine ad auctoris quidem identitatem aliqua cum probabilitate concluditur, praesertim si historica documenta eidem identitati faveant; sed quomodo styli similitudo sufficiat, ut duo opera, quae argumento et fine omnino distinguuntur, in unum coniungamus, non apparet. Paralipomena autem cum libris Esdrae eo minus licet coniungere, quoniam istius coniunctionis nullum adest vestigium historicum[8].

2. Alterum quoque argumentum innuit Tostatus, Paralipomenon scilicet clausulam et prologum libri Esdrae consonare. Revera eodem Cyri decreto Paralipomena terminantur et Esdrae opus inchoatur; at non integrum decretum affert Paralipomenon auctor, sed vix non media in phrasi finem facit, ut nonnullis interpretibus aliquid libro deesse videatur. Nihil vero deest, quoniam ultimis verbis omnia ea, quibus ipse pro fine suo indiguit, quam optime exprimit. Nihilominus fatendum est, multo melius, cur integrum decretum non attulerit, explicari, si eum altero in libro, in quo reditum ex captivitate et templi reaedificationem erat narraturus, illud repetere voluisse supponamus.

3. Ea demum, quae supra (109 p. 323 sq.) de auctoris nostri fine disseruimus, non parum videntur nostram sententiam confirmare. Nullo enim tempore post exsilium magis, quam Esdrae aetate, Iudaei propositis piorum regum exemplis exhortandi erant, ut *dignum* Deo cultum celebrarent; nullo magis, quam illo tempore, admonendi erant, hac sola ratione se posse Dei auxilium contra hostium perpetuas incursiones impetrare; nullo tempore magis necessarium erat, ut levitae de munerum suorum dignitate edocerentur. Si vero Esdrae aetate opus nostrum conscriptum est, dubitari vix potest, quin Esdras eius sit auctor; nemo enim tanta, quanta ille, auctoritate apud populum, sacerdotes, levitas vigebat. Iure igitur asserimus maxima probabilitate gaudere antiquam traditionem, quae Esdram Paralipomena scripsisse refert; fine autem operis spectato addere non dubitamus, eum aut immediate antequam e Babylone in Palaestinam est reversus aut brevi post suum reditum libros hos edidisse.

1. *Baba bathra* f. 14. Duplex est huius textus lectio; secundum vulgatam Esdras scripsit genealogias עַד לוֹ (usque ad se ipsum); alia rarior exhibet עַד וְלוֹ « usque ad וְלוֹ » i. e. usque ad 2 *Paral.* 21,2, ubi וְלוֹ legitur. Priorem autem praeferendam esse ostendit *Marx* Traditio Rabbin. veterrima p. 55; coniicit quidem ipse quoque, se-

cundum antiquos rabbinos opus nostrum nihil fuisse nisi « librum Chronicorum regum Iudaeorum » (3 *Reg.* 14,29 et saepius), « cui Esdras modo adiunxerit chronologias suas ». Quam coniecturam omittimus, quoniam ipse fatetur, se nihil habere, quo illam probabilem reddat.

2. ***S. Isidor.*** de offic. eccles. I. 12 (M. 83,747).

3. ***Card. Hugo*** in Paral. Prol.; ***Nic. Lyran.*** in Paral. Arg.; ***Alph. Tostat.*** Opp. VII. 81; ***Sixt. Senens.*** Bibl. sacr. I. p. 12; ***Serar.*** in II. Reg. Proleg.; ***Corn. a Lap.*** in II. Reg. Proleg. etc. — Ex modernis cfr ***Herbst Welte*** Einl. II. p. 164-176; ***Scholz*** Einl. II. p. 400; ***Clair***, Les Paralipomènes p. 18; ***Vigouroux*** Manuel bibl. II. p. 109; ***Kaulen*** Einl. p. 207; ***Zschokke*** Hist. A. T. p. 317 etc. — Ex protestanticis idem sentiunt ***Eichhorn*** Einl. III. p. 597 sqq.; ***Keil*** Einl. Ed. 3. p. 459 sq.; ***G. Rawlinson*** in The Speaker's Comm. III. p. 158 sq.; ***Fürst*** Gesch. der bibl. Liter. II. p. 537 sqq. etc.

4. Pauca exempla rem demonstrabunt : Plur. אֲרָצוֹת de terris maxime ethnicis (extra Palaestinam sitis) 1 ***Paral.*** 29,30; 2 ***Paral.*** 12,8; 13,9; 17,10 etc.; 1 ***Esdr.*** 5, 6; 9,1. 11; 11,17; 12,15 etc.; — Hithp. הִתְנַדֵּב « sponte Deo obtulit » 1 ***Paral.*** 29,9. 14,17; 2 ***Paral.*** 17,16; 1 ***Esdr.*** 1,6; 2,68; 3,5 sqq. etc.; — עֹמֶד « locus, ordo » 2 ***Paral.*** 30,16; 35,10; 2 ***Esdr.*** 8,7; 9,3,13,11 (עַל־עָמְדָם in ordine suo); — חֶדְוָה « gaudium » 1 ***Paral.*** 16,27; 2 ***Esdr.*** 8,10 (in text. chald. 1 ***Esdr.*** 6,16) etc. — Praepositio ל frequentissime adhibetur velut nota accusativi : 1 ***Paral.*** 13,1; 28,1; 2 ***Paral.*** 5, 12; 26,14; 28,15 etc.; 1 ***Esdr.*** 1,5; 7,28; 2 ***Esdr.*** 9,32; 11,2 etc.; — coniungitur quoque cum עַד (עַד לְ) 1 ***Paral.*** 28,7. 20; 2 ***Paral.*** 14,12; 16,12. 14; 17,12 etc.; 1 ***Esdr.*** 3,13; 9,4. 6; 10,14 etc.; — item infinitivo praefixa denotat obligationem 1 ***Paral.*** 9,25; 13,4; 15,2 etc.; 1 ***Esdr.*** 4,3; 10,12 etc. Alia plura exempla vide in ***Bertheau*** Die BB. der Chronik p. XIX. sq.; ***Movers*** Krit. Untersuchungen über die bibl. Chron. p. 17 sq.

5. כַּמִּשְׁפָּט 1 ***Paral.*** 23,31; 2 ***Paral.*** 30,16; 35,13; 1 ***Esdr.*** 3,4; 2 ***Esdr.*** 8,18.

6. 2 ***Paral.*** 30; 35; 1 Esdr. 3; 6,19-22; — 1 ***Paral.*** 16,40; 2 ***Paral.*** 8,18; 13,11 etc.; 1 ***Esdr.*** 3,1-5; — 1 ***Paral.*** 15,6-16,4; 34; 1 ***Esdr.*** 3,11. 12 etc.

7. 1 ***Paral.*** 1-9; 11,10 sqq.; 12,1 sqq. etc. 1 ***Esdr.*** 3; 8; 10,20 sqq.; 2 ***Esdr.*** 7, 6 sqq.; 10; 11; 12.

8. Paralipomena et 1 Esdr. in unum opus coniuncta fuisse coniecit ***Movers*** Krit. Untersuch. p. 14 sqq. — Etiam 2. Esdr. eidem operi addiderunt ***Zunz*** Gottesdienstl. Vorträge der Juden p. 18 sqq.; ***Bertheau*** l. c. p. XV; ***Graf*** Die geschichl. BB des A. T. p. 114 sqq.; ***Davidson*** Introd. to the O. T. II. p. 115 sq.; ***Dillmann*** in Herzog P. R. E. III. p. 220 sq.; ***De Wette Schrader*** Einl. p. 391; ***Reuss*** Gesch. des A. T. p. 516 etc.; communis igitur haec dici potest rationalistarum sententia; at aliud argumentum non proferunt praeter styli dictionisque in illis libris similitudinem. Quod si enim addunt nostrum opus *parte* decreti Cyri non apte terminari, non attendunt verba illa, quibus omnes Iudaei in reaedificando templo auxilium praestare invitantur, aptissimam praebere clausulam libro, qui totus in eo est, ut a templo et digno Dei cultu felicitatem et salutem populi dependere ostendat.

§ 28. — *De Paralipomenon auctoritate historica et divina.*

112. — Longissimum temporis spatium, ab Adam sc. usque ad 1. Cyri annum, complectuntur Paralipomena; eorum igitur HISTORICAM

AUCTORITATEM demonstraturi et vindicaturi duo praestemus oportebit; ostendendum erit fontes fide dignos auctori non defuisse neque debitam in eis adhibendis diligentiam, sollicitudinem, fidelitatem.

Quosnam fontes in Davidis successorumque eius historia narranda adhibuerit, *supra* (100 p. 298 sqq.) paucis iam indicavimus. Etenim eodem fere modo, quo ll. Regum auctor ad « fastos regum Iuda » vel « regum Israel », noster interdum ad « librum regum Iuda et Israel » [1], interdum ad prophetica scripta provocat [2] lectoresque monet uberiora in fontibus allegatis inveniri. Scripta autem prophetica in ipso « libro regum Iuda et Israel » contenta fuisse, bis disertis verbis tradit; quapropter non immerito concludunt multi interpretes, « chronica regum Iuda et Israel » collectionem quandam fuisse commentariorum, in quibus prophetae suae quisque aetatis historiam narraverant, quique vel brevi ante exsilium vel exsilii tempore ita erant in unum volumen coadunati, ut singulae narrationes inter se remanerent distinctae. Sicut duodecim prophetae minores antiquissimis iam temporibus pro uno libro a Iudaeis sunt habiti, ita etiam historica prophetarum scripta sub communi titulo « Chronicorum regum Israel » videntur esse coniuncta. Cui sententiae non obstat, quod bis tantum auctor propheticum librum in Chronicis contineri dicat; in suis enim allegandi formulis quam maxime variat, et sicut Chronica ipsa modo « *regum Iuda et Israel* », modo « librum *regum Israel et Iuda* », modo « librum *regum Israel* », modo « *historias* regum Israel », modo « *librum regum* » appellat nec tamen diversos fontes indicat, ita etiam scripta prophetica nunc in Chronicis contineri tradit, nunc indicationem illam omittere potuit.

Porro veri simillimum esse censemus, auctorem etiam canonicos nostros libros Samuel et Regum cognovisse et adhibuisse. Esdram enim, quem in colligendis libris canonicis primas partes habuisse alibi demonstravimus quemque Paralipomenon auctorem esse cum plerisque interpretibus credimus [3], libri Samuel et Regum latere non potuerunt; cur autem eosdem pro fontibus non adhibuerit, si eos cognovit, apta ratio non datur. Vehementer vero errant illi, qui ipsos nostros libros canonicos ab auctore Paralipomenon titulo « libri regum Iuda et Israel » designari atque eius unicum aut praecipuum fontem fuisse arbitrantur [4]. Similitudo enim, quae in nonnullis locis inter Paralipomena et inter ll. Samuel et Regum deprehenditur, facillime explicatur, si in utrisque operibus iidem fontes adhibiti et partim descripti dicuntur; haud pauca autem eorum, quae auctor Paralipomenon in Chronicis regum Iuda et Israel contineri diserte asserit, in libris nostris canonicis non leguntur [5]; quicunque autem ad ordinem narrationis in nostro opere et in canonicis libris Sam. et Reg. animum advertere voluerit, tantam reperiet diversitatem, ut nobiscum asserere cogatur, libros istos cano-

nicos, etsi adhibiti probabiliter sint, praecipuum fontem Paralipomenon non fuisse.

Quod ad primae partes genealogias attinet, non est dubium, quin series patriarcharum et populorum a Noe et ab Abraham progenitorum ex Genesi sint desumtae, quamquam fons, utpote omnibus notissimus, non nominatur[6]. Reliquae autem series ex libris nostris canonicis non sunt haustae. Etenim etsi nonnullas ex iis forte componi potuerint, tot tamen inter illas et libros priores reperiuntur differentiae, ut auctorem alios simul fontes adhibuisse omnino sit concedendum[7], plerarumque autem ne elementa quidem in nostris libris possidemus. Revera auctor interdum fontes suos nominat; ultimum catalogum incolarum ierosolymitanorum scriptum invenit in « libro regum Iuda et Israel », in quo census integri populi videtur adfuisse (I. 9,1); genealogiis tribus Gad addit « filios Gad numeratos esse in diebus Ioatham regis Iuda et in diebus Ieroboam regis Israel » (I. 5,17); item posteri Issachar « numerati erant in diebus David » (I. 7,2). Certum igitur est antiquas tabulas genealogicas auctori nostro praesto fuisse, sive omnes in Chronicis istis regum Israel fuerint contentae, sive separatis operibus conservatae. Neque ulla est ratio, cur de tabularum istarum auctoritate dubitetur; quanta enim cum diligentia Iudaei genealogiis suis invigilaverint, ex eo solo iam sufficienter demonstratur, quod sacerdotes e captivitate reduces, ne dignitate sua privarentur, publicas suas genealogias proferre debuerint (1 *Esdr*. 2,62). Authenticos ergo fontes auctorem in prima parte adhibuisse evidens est, neque minus certum, prophetarum commentarios, quibus historia Davidis successorumque eius innititur, summa fide fuisse dignos.

1. 2 *Paral.* 16,11; 25,26; 27,7; 28,26; 32,32; 35,27; 36,18. Extra controversiam est eundem esse librum, qui interdum « *regum Iuda et Israel* », interdum « *regum Israel et Iuda* » nominatur, atque etiam ab eo non diversum fuisse opus, quod titulo « *libri* (aut historiarum דִּבְרֵי) *regum Israel* » (II. 20,34; 33,18) allegatur; altera enim allegatio ad Manassen refertur, qui post regni septemtrionalis interitum regnavit. Controvertitur vero, num ab eo sit distinguendus מִדְרַשׁ סֵפֶר הַמְּלָכִים « *commentarius libri regum* » (II. 24,27). Quoniam *Midrasch* in rabbinismo explicationem libri significat, multi eandem significationem vocabulo hebraico attribuunt et intelligunt librum aliquem, qui antiquiora Chronica additis traditionibus oralibus auxerit et explicaverit; at, nisi omnia nos fallunt, immerito. Ex iuniore rabbinismo enim non magis ad antiquorum Hebraeorum loquendi usum concludere licet, quam a iunioribus latinis scriptoribus ad auream vel argenteam linguae aetatem; si autem hodie Scripturae interpretibus *commentarius* idem est, quod interpretatio, profecto non sequitur Ciceronem Caesarem etc. vocabulo eandem significationem attribuisse. Iam vero *Midrasch* in hebraismo bis dumtaxat adhibetur (II. 13,22; 24,27); in priore autem loco « *Midrasch prophetae Addo* » certissime nihil est nisi scriptum aliquod historicum prophetae; revera Alexandrini (γραφῇ vel γραφῇ βιβλίου) et S. Hieronymus (« in libro

regum ») testantur antiquitus vocabulum alio sensu non esse intellectum; Syrus vocabulum *Madroscho* retinuit, at Syris quoque *Madroscho* non est libri explicatio, sed hymnus ex pluribus strophis compositus (Cfr *Assem.* Bibl. orient. I. p. 61) aut dissertatio; item Arabibus *Midrason* est liber qualiscunque.

2. Prophetarum scripta allegata sunt haec : de historia Davidis « verba *Samuelis* Videntis et verba *Nathan* prophetae et verba *Gad* Videntis » (I. 29,29); de historia Salomonis « verba *Nathan* prophetae et prophetia *Ahiae Silonitis* et visio *Addo* Videntis contra Ieroboam » (II. 9,29); de historia Roboam « verba *Semeiae* prophetae et *Addo* Videntis » (12,15); de historia Abia « commentarius (Midrasch) *Addo* prophetae » (13,22); de historia Iosaphat « verba *Iehu*, *filii Hanani*, quae digesta sunt in libro regum Israel » (20,34); de historia Oziae liber *Isaiae* prophetae (26,22); de historia Ezechiae « visio *Isaiae* prophetae in libro regum Iuda et Israel » (32,32). In fine historiae Iosiae (35,25) commemorantur lamentationes *Ieremiae*, quae tamen, quum Iosiae mortem plangerent, a nostris canonicis sunt distinguendae.

3. Cfr. *supra* n. 111. p. 327 sq. et *Introd. gen.* Ed. 2. n. 21. p. 42 sqq.

4. Ita *Movers* Kritische Forschungen p. 95 sqq.; *Bleek Wellhausen* Einl. p. 289 (sed cfr *Wellhausen* Prolegomena p. 236 et *Reuss* Gesch. des A. T. p. 520 sq.), *De Wette Schrader* Einl. p. 379; *Graf* Die geschichl. Bücher der A. T. p. 114 sqq. etc.

5. In nostris libris canonicis Reg. non legitur catalogus incolarum Ierosolymorum (I. 9,1), nec oratio Manasse, nec verba Videntium, qui loquebantur ad eum (II. 33, 18), nec alia, quae fusius « in Chronicis regum Iuda et Israel » relata dicuntur. At iis ipsis in textibus, in quibus Paralipomenon narratio ad II. Sam. et Reg. narrationem propius accedit, eae inveniuntur differentiae, quae facilius explicantur, si a communi fonte utramque narrationem derivamus, quam si auctorem nostrum a libris canonicis dependere dicimus. Ex. gr. narrationes de morte Saul 1 *Sam.* 31 et 1 *Paral.* 10, licet interdum ad verbum usque consentiant, in nonnullis tamen differunt :

1 *Sam.* 31,8-10. Et insequente die venerunt Philisthiim, ut spoliarent interfectos, et invenerunt Saul et *tres* filios eius mortuos in monte Gelboe. Et *absciderunt* caput eius et *spoliaverunt arma eius* et miserunt (ea) per terram Philisthiim, ut bonum nuntium afferrent in *domum idolorum* et ad populum. Et posuerunt arma eius in domo Astartarum et *corpus eius* affixerunt *in muro Bethsan* etc.

1 *Paral.* 10,8-10. Et insequente die venerunt Philisthiim ut spoliarent interfectos et invenerunt Saul et filios eius mortuos in monte Gelboe. Et *spoliaverunt eum* et *sumserunt* caput eius et arma eius et miserunt (ea) per terram Philisthiim, ut bonum nuntium afferrent *idolis* et populo. Et posuerunt arma eius in domo *deorum suorum* et *caput* affixerunt *ad templum Dagon* etc.

Alia exempla affert *Keil* Einl. p. 454 sq.; egregie de relatione, quae inter libros Reg. et inter Paralipomena intercedit, disserit *Welte* (Herbst-Welte Einl. II. p. 188 sq.).

6. Ex ordine excerpsit *Gen.* 5; 10; 11,10 sqq.; 36,10 sqq.

7. Cfr ex. gr. enumerationem civitatum leviticarum 1 *Paral.* 6,54 sqq. et *Ios.* 21, 9 sqq.; Iosue illas civitates enumerat, quae *de iure* levitis competebant, auctor Paral. vero eas videtur nominare, quas *de facto* possederant.

113. — Sed qua cum diligentia auctor noster ex fontibus allegatis narrationem suam hausit? Si modernis rationalistis non paucis crederemus, arbitrario prorsus modo eos tractasset. Ineunte nostro saeculo omnium primus *De Wette* eius diligentiam et fidelitatem non tantum in dubium vocavit, sed aperte negavit. Demonstrare conatus, alios

libros praeter canonicos nostros auctori ad manus non fuisse, audacter asseruit eum illos interdum non intellexisse, interdum pro lubitu et arbitrario modo mutasse, interdum additionibus confictis auxisse etc., ut finem suum facilius assequeretur et levitas celebraret. Ulterius progressus *Gramberg* omnem prorsus fidem libris Paralipomenon abiudicavit atque non tantum longas illas genealogias narrationesque, quae in libris canonicis non leguntur, sed ipsos titulos librorum, ad quos auctor provocat, ab eo confictos esse asserere est ausus[1]. At non defuerunt, qui auctorem nostrum defenderent; inter catholicos *anonymus* in ephemeridibus Tubing., *Movers* ac praesertim *Welte*, inter protestanticos *Dahler*, *Haevernick* et praecipue *Keil*[2]. Qui diligenti sua obiectionum refutatione id quidem effecerunt, ut adversarii eis saltem ex parte retraherent aut temperarent[3]. At Paralipomena, si fidem merentur, omnes modernorum fictiones de « codice sacerdotali » post exsilium conficto, ex quo ortus sit Pentateuchus mosaicus, funditus evertunt; quapropter non est mirandum, quod recentissimi « critici » praedecessorum suorum obiectiones renovarint. Moderatiore quadam forma eas repetierunt *Graf* et *Reuss*; omnes autem limites transgressus *Wellhausen* cunctas de Weltiänas obiectiones diu iam refutatas phrasibus rusticis et scurrilibus facetiis, quae viros eruditos non decent, ad novam vitam resuscitare conatus est[4]. Morosa cum anxietate omnes textus parallelos ll. Sam., Reg., Paral. inter se comparaverunt; levissimas, quas invenisse sibi visi sunt, discrepantias ita exaggerarunt, ut gravissimas eas esse contradictiones proclamarent; omnia ea, quae quia ad finem suum non faciebant Paralipomenon auctor praetermiserat, ob malam eius fidem omissa, illa vero, quae plura attulit, ab eo gratis conficta dictitarunt[5]. Integrum Paralipomenon commentarium scribere cogeremur, si omnes omnium adversariorum obiectiones solvere vellemus; at interpreti hoc munus relinquentes praecipuas quasdam afferemus, quae quid ceterae valeant satis demonstrabunt. Speciminis gratia igitur eligimus eas, quae in recentissimis Introductionum suarum editionibus *De Wette Schrader* et *Bleek Wellhausen* exhibent[6]. Minime quidem sunt novae, sed dudum iam a Movers, Welte, Keil aliisque refutatae. Quoniam vero responsionum ratione non habita adversarii eas recoquere non dubitarnut, nos quoque non nisi antecessorum nostrorum responsa repetemus, quae homini prudenti plane sufficiunt.

1. *De Wette* Historisch kritische Untersuchung über die BB. der Chronik (Beitrage zur Einleitung ins A. T. Halle 1806. I. p. 3-132. Eadem repetiit in Introductionis suae editionibus, quas ipse curavit (Ed. 1-7. Berlin 1817.-1852.). — ***K. P. W. Gramberg*** Die Chronik nach ihrem geschich Charakter und ihrer Glaubwürdigkeit geprüft. Halle 1823.

2. *Tüb. Quartalschrift* 1831. p. 201-282; *F. C. Movers* Kritische Untersuchungen über die bibl. Chronik Bonn 1834. (in nonnullis sententiam de inspiratione parum accuratam prodit, ceterum optimis rationalistarum adversariis adnumerandus; quem quantopere hodie adhuc timeant, satis elucet ex *Wellhausen* Proleg. p. 231 sq.); *Welte* in Herbst Welte Einleitung II. p. 161-231. — *I. G. Dahler* De librorum Paral. auctoritate atque fide historica. Strassb. 1819; *K. F. Keil* Apologet. Versuch über die Chron. 1833; *eiusdem* Einl. Ed. 3. p. 461 sqq. et Comm. zur Chron. 1870 (passim) cfr etiam *Lex mosaica* 1894. (passim; praesertim p. 398 sqq.).

3. Quomodo rationalistae praedecessorum suorum sententias temperaverint, apparet si Introductionis De Wettianae editionem 7. (Berlin 1852.) cum 8. comparaveris, quam curavit E. Schrader (Berlin 1869.). Dum enim editio prior auctorem Paralipomenon « studiosae mutationis et adulterationis » historiae accusat (p. 246), altera asserit quidem eum historiam mutasse, negat autem eum *deliberato cum consilio* aliquid adulterasse (« ohne dass man darum von bewusster Verfälschung der Geschichte zu reden berechtigt wäre » p. 372). Prior ad summum concedit nonnullas narrationes esse fide dignas (« Dabei muss zugestanden werden, dass auch manche glaubwürdige Nachrichten vorkommen » Ed. 7. p. 249); sed altera docet, nonnulla quidem suspicionem provocare, reliqua autem fidem plenam mereri (Ed. 8. p. 367 sq.), neque Paralipomena velut fontem historicum a priore repudiari posse monet, sed singulis in locis esse inquirendum, quid relationes valeant. Hanc sententiam plerique rationalistae recentiores tenent : *Dillmann* Herzog P. R. E. Ed. 2. III. p. 224; *Bertheau* Die BB. der Chronik p. XLIII sq.; *Bleek Kamphausen* Einleitung p. 402 etc.

4. *Graf* Die geschichtlichen Bücher des Alten Testaments. Leipzig 1867. p. 114 sqq.; *Reuss* Geschichte des Alten Testamentes p. 517 sqq.; *Wellhausen* Prolegomena zur Geschichte Israels. Berlin 1883. p. 177-237, qui amare conqueritur, quod « ipse Dillmann auctorem Paralipomenon fontibus ubique usum esse concedat et historiam falsificasse neget » (« Gegenwärtig erkennt leider auch Dillmann an, dass der Chronist überall nach Quellen gearbeitet hat und von absichtlicher Erdichtung oder Entstellung der Geschichte bei ihm keine Rede sein kann » p. 232); aperte quoque fatetur, se solius De Wette sententiis niti, quibus Graf nihil, quod melius sit addiderit (« Ich fusse durchgehends auf De Wette's kritischem Versuch; diese Abhandlung ist von Graf nicht verbessert » p. 178).

5. Ob eam praesertim rationem, ut Pentateuchi antiquitas facilius negetur, impugnari Paralipomenon auctoritatem, aperte concedit *De Wette* (Beiträge I. p. 135) : « Sowie die ganze jüdische Geschichte... nach Wegräumung der Nachrichten der Chronik... eine ganz andere Gestalt erhält, so erhalten auch die Untersuchungen über den Pentateuch auf einmal eine ganz andere Wendung; *eine Menge lästiger, schwer wegzuräumender Beweise für das frühere Vorhandensein der Mosaischen Bücher sind verschwunden, die andern Spuren ihrer Existenz stellen sich nunmehr in ein anderes Licht* ». Tam aperte quidem non loquitur Wellhausen, sed si libri sui, in quo Pentateuchi antiquitatem impugnat, sextam circiter partem destruendae auctoritati Paralipomenon impendit, satis clare insinuat, se solis praeiudiciis rationalisticis duci.

6. *De Wette Schrader* Einl. 368 sqq.; *Bleek Wellhausen* Einl. p. 290 sqq. Nihil quod memoria sit dignum his addit *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 122 sqq.

114. — Priusquam singulas obiectiones aggrediamur, duo moneamus oportet. Atque primum quidem in toto V. T. alius non invenitur liber, cuius textus librariorum oscitantia, negligentia, ignorantia magis sit vexatus et adulteratus, quam Paralipomena. « Libere vobis loquor,

inquit *S. Hieronymus*, ita in graecis et latinis codicibus hic nominum liber vitiosus est, ut non tam hebraea, quam barbara et sarmatica nomina coniecta arbitrandum sit. Nec hoc septuaginta interpretibus..., sed scriptorum culpae adscribendum, dum de emendatis inemendata scriptitant et saepe tria nomina subtractis e medio syllabis in unum vocabulum cogunt, vel e regione unum nomen propter latitudinem suam in duo vel tria vocabula dividunt »[1]. Quae S. Hieronymus de graecis et latinis suae aetatis codicibus conqueritur, eadem de hebraicis codicibus fere valent. Neque in solis nominibus propriis, sed quam plurima etiam in numeris atque nonnulla in ipsis narrationibus menda reperiuntur[2]. Profecto mirum est, quod rationalistae, qui in aliis libris sacris corruptiones genuini textus multas detegunt et quam plurima librariorum additamenta inveniri audacter proclamant, in nostro opere eiusmodi corruptiones adesse negent et in numeris nonnullis, qui exaggerati videntur esse, auctoris malam fidem quam librarii alicuius negligentiam vituperare malint[3]. Aequus autem iudex ad hanc hodierni textus rationem attendet, nec propter librariorum incuriam fidelitatem auctoris in dubium vocabit aut negabit. Quam diligenter enim auctor ipse fontes suos transcribere solitus sit, ex eo solo iam elucet, quod formulam « usque ad hodiernam diem », quam in illis inveniebat, ibi quoque retinuerit, ubi de rebus suo tempore non amplius exsistentibus loquitur[4].

Secundo loco in Paralipomenon auctoritate diiudicanda auctoris finem negligere non licet. Eum autem integram historiam regni Iuda vel regum davidicorum tradere noluisse supra diximus, sed certa facta eum elegisse, quibus contribules doceret, quantopere ad regni felicitatem conferret accurata Legis observantia et legitimus cultus Deo exhibitus (108. 109). Adversariorum vero πρῶτον ψεῦδος est, quod auctoris finem a priore definiunt eumque *integram* historiam narrare voluisse supponunt. Procul dubio nos quoque adulteratae et falsificatae historiae eum accusaremus, si eum integram ex. gr. vitam Davidis narrare voluisse constaret. Eo enim in casu nec Saulis persecutiones, nec Davidis regnum in Hebron dissidiaque cum Isboseth filio Saulis, nec reliqua eius bella, nec adulterium eius nec peccati sequelas, seditionem Absalomis rebellionemque tribuum septemtrionalium etc. praetermittere ei licuit. Si vero nihil aliud nisi intimum nexum inter Legis observantiam et regni davidici felicitatem ostendere voluit, omnia illa, quae attigimus, sine ullo praeiudicio praetermittere potuit, immo debuit. Num forte ab eo, qui regni alicuius historiam ecclesiasticam narrare vult, postulamus, ut etiam omnia bella politica omnesque regum magistratuumque res gestas, quae ad rem religiosam non pertinent, nobis describat? Quod si quis eorum, quae Carolus M. in defendenda et pro-

paganda Ecclesia praeclare gessit, historiam scribit, num illa quoque, quae in vita privata magni imperatoris forte minus sunt laudanda, recipere cogitur, quamvis themati, quod sibi proposuit, elucidando non inserviant? Iam vero Paralipomenon auctor ecclesiasticam historiam regum davidicorum scripsisse non incongrue dicitur; facile igitur explicatur, cur multa eorum, quae in ll. Sam. et Reg. legimus, praetermiserit, alia multa, quae in illis omissa sunt, receperit. Secundum adversariorum nostrorum principia nemini amplius licebit unam dumtaxat historiae partem tractare; aut omnia aut nihil narrare omnes historici tenentur, nisi falsariorum nomine apud illos digni haberi velint; non amplius habebimus historias de politicis alicuius regni rebus, nec de externis eius relationibus, nec de internis rerum publicarum rationibus, nec de rebus religiosis etc. etc., sed unam solam historiam universalem, in qua a minimis usque ad maxima eadem cum sollicitudine cuncta describentur! Absurdae sane consequentiae ex absurdo principio! Ceterum adversarii, si Paralipomenon auctorem id sibi proposuisse opinantur, ut praetermissis illis, quae de Davidis, Salomonis etc. peccatis ex ll. Sam. et Reg. cognovimus, historiam falsificaret erroneamque exhiberet Davidis vel Salomonis vel totius historiae regum imaginem[5], non satis attendunt illo tempore, quo scripta sunt Paralipomena, priores libros in omnium manibus iam fuisse; quapropter, ut suum systema defendant, non tantum summam malitiam, sed etiam maximam stultitiam affingere debent auctori nostro, qui ne minimo quidem tegumento fraudem suam occultare studuerit[6].

1. *S. Hieron.* ad Domn. et Rogat. Praef. 2. in Paralip. — Consentiunt praeter catholicos et protestanticos interpretes etiam nonnulli rationalistae, inter quos *Bertheau* Die BB. der Chronik p. XLVII : « In den Namen, an denen die Chronik so reich ist, sind ausserordentlich viele Fehler..; auch sonst ist der Text an vielen Stellen fehlerhaft; ja es scheint fast, als sei ihm auch von Seiten der Iuden in ältern Zeiten nicht die sorgsame Berücksichtigung zu Theil geworden, der wir die treue Ueberlieferung... der meisten übrigen Bücher verdanken ». Simili modo *Davidson* Introd. II. p. 108 « We believe that the text is more corrupt than that of any other sacred book ».

2. Cfr inter alios *Movers* Kritische Untersuchungen p. 50-94 (in eo tamen a vero aberrans, quod nonnulla, etsi pauca, menda ipsi auctori attribuat, qui in fontibus suis transcribendis aliquas literas etc. confuderit), *Reinke* Beiträge I. p. 125-213.

3. Ita praesertim *Wellhausen* Prolegomena p. 186 (de 1 Paral. 21,25 cfr 2 *Reg.* 24,16) : « Dem Verfasser der Chronik kostete es nichts den König königlich bezahlen zu lassen »; p. 188 « Der ganze Abschnitt 1 *Chron.* 22-29 ist ein abschreckendes Beispiel der statistischen Phantasie der Iuden, die sich ergötzt an ungeheuern Geldsummen auf dem Papier » etc.

4. 2 *Paral.* 5,9; 8,3.

5. Haec est summa eorum, quae fuse exponit *Wellhausen* l. c. p. 178 sqq.

6. Asserit quidem *Reuss* Gesch. des A. T. p. 521 : « Zur Zeit als die Chronik geschrieben wurde, hatte der Pentateuch allein ein kanonisches Ansehen, die BB.

Richter, Samuel, Könige gewiss noch nicht. Die abweichende Darstellung in diesen war sonach durchaus nicht massgebend ». At *demonstrandum* erat libros Iud., Sam., Reg. non fuisse canonicos eo tempore, quo Paralipomena sunt scripta; si vero id daremus, certum tamen maneret eos in magna auctoritate fuisse, quia *saltem* paullo post in canonem sunt recepti; integrum igitur remanet nostrum argumentum.

115. — Quibus praemissis praecipuas « criticorum » obiectiones excutiemus examinique subiiciemus[1].

Atque 1. quidem accusant adversarii auctorem nostrum, quod non tantum narrationes fontium suorum ad orthographiam et grammaticam suae aetatis redegerit, sed etiam nonnullas *ex negligentia et ignorantia* mutaverit. Prius, uti patet, concedere non dubitamus; omnes enim scriptores, qui ab integro suo populo intelligi volunt, eum scribendi morem tenent, ut formis vel vocabulis vel nominibus obsoletis usitatiora substituant. Auctorem vero ignorantiae et negligentiae iniustissime accusari asserimus, quoniam exemplis allatis id non demonstratur. Haec autem sunt adversariorum exempla.

a.) Ignorantiam suam prodidisse auctorem dicunt, quia putaverit omnes אֳנִיּוֹת תַּרְשִׁישׁ (naves Tharsis, naves tartessias) Tartessum in Hispania petisse, ideoque inepte dixerit אֳנִיּוֹת הֹלְכוֹת תַּרְשִׁישׁ (« naves *euntes* Tartessum » II. 9,21) et אֳנִיּוֹת לָלֶכֶת תַּרְשִׁישׁ (« naves *iturae* Tartessum » II. 20,36). Scilicet secundum 3 *Reg*. 10,22 et 22,49 Salomon et Iosaphat in Asiongeber, qui portus in sinu aelanitico maris rubri est, « classem tartessiam » paraverant, quae in *Ophir* navigaret; auctor autem Paralipomenon expressionem « navis tartessiae » non intelligens omnes istas naves Tartessum ivisse dixit; at eo tempore nec ex Asiongeber naves in Hispaniam pervenire nec ex Hispania « aurum et argentum et *ebur* et *simias* et *pavones* » afferre potuerunt.

Cui obiectioni respondemus α.) nihil obstare, quominus expressiones in Paralipomenis adhibitas (« naves *euntes* Tartessum », « naves *iturae* Tartessum ») eodem modo explicemus, quo phrasin in II. Reg. adhibitam (« naves Tharsis » vel naves tartessiae); aliquid simile etiam aliis in linguis obtinet; germanice quoque Ostindien*fahrer*, Groenland*fahrer* (naves *navigantes* in Indiam, in Groenlandiam) vocantur magna navigia, etsi istis itineribus proxime non sunt destinatae. β.) Neque quidquam obstat, quominus saltem 2 Paral. 20,36 de duplici expeditione maritima sermonem esse dicamus, altera ex Asiongeber in Ophir, altera ex portu quodam maris mediterranei in Tartessum[2]. γ.) Addamus, hodie quidem ab omnibus fere admitti, *Tharsis* esse Tartessum in Hispania; at hanc sententiam certam non esse. Neque enim antiqui interpretes quidquam certi de huius loci situ tradiderunt, neque moderni suam sententiam validis argumentis confirmant[3]. Probe autem animadvertendum est, auctorem Paralipomenon allegare dictum prophetae coaevi, qui diserte de Iosaphati expeditione in Tharsis loquitur[4]; quaestio igitur est, utrum modernis rationalistis expeditionem illam neganti-

bus, an prophetae tempore Iosaphat illam asserenti fidem adhibere velimus.

Quanta vero cum cautione aliquid de antiqua geographia et historia contra librorum sacrorum testimonium sit asserendum, alia obiectione liceat illustrare, quam ante aliquos annos multi protulerunt, hodie unus Wellhausen repetere non dubitat[5]. Paralipomena enim tradunt Manassen catenis et compedibus vinctum a principibus exercitus Assyriorum Babylonem esse abductum, at poenitentia acta in thronum suum esse restitutum (II. 33,11 sqq.). Quae, quia in II. Regum non narrantur, a « criticis » negabantur et reiiciebantur. Improbabile enim eis videbatur, Manassen ab Assyriis *Babylonem* esse abductum, quia *Ninive* sedes esset regum Assyriae; eum catenis et compedibus esse onustum, quoniam Assyrii victos hostes vinculis ligare non solerent; eum post vincula et carcerem, quibus ob rebellionem erat punitus, ab Assyriis esse dimissum et in thronum restitutum. Sed monumenta cuneiformia hodie nos docent, ab Asarhaddon rege Assyriorum « Manassen regem urbis Iuda » tributarium esse factum eundemque inter tributarios regis Asurbanipal fuisse; ex iisdem etiam constat, Asarhaddon filiumque eius Asurbanipal, etsi Assyriae reges essent, interdum reges Babyloniae sese nominasse atque Babylone aliquamdiu sedem suam fixisse; Manassen cum aliis regibus Syriae contra Asurbanipal rebellasse et ab eo esse devictum. Praeterea eadem monumenta nos docent, Necho regem Aegypti devictum catenis vinctum ad Asurbanipal esse adductum, sed postea cum honore in regnum suum remissum[6]. Omnia igitur, quae ante paucos annos improbabilia dicebantur, hodie quam maxime sunt probabilia, nec ulla remanet ratio, cur haec Paralipomenon narratio reiiciatur, nisi silentium librorum Regum; quo silentio nihil effici evidens est, nisi antea demonstretur, auctorem II. Regum voluisse et debuisse integram vitam Manasse narrare[7].

b.) Sensu carere (sinnlos sein) dicuntur, quae Paralipomena (II. 9,12) referunt, scilicet Salomonem dedisse reginae Saba « cuncta quae voluit et quae postulavit *praeter ea, quae attulerat* (*ipsa*) *ad regem* » (מלבד אשר־הביאה אל המלך). Versionem hanc parum esse aptam fatemur; at nonne in omnibus linguis adhibentur ellipses, ex quibus, nisi supplenda supplentur, sensus parum aptus eruitur? Quare pleraeque antiquae versiones in nostro textu breviloquentiam agnoverunt, atque aptissime cum paraphraste chald. vertimus: « praeter ea, quae (rependit pro illis, quae ipsa) attulerat regi ».

c.) Auctor Paralipomenon מלכי ערב (« reges Arabiae ») et מלכי הערב (« reges sociorum ») perperam confudisse asseritur (II. 9,14 cfr 3 *Reg.* 10,15). — At immerito; dubium enim non est, quin auctor II. Regum expressione sua tribus arabicas, quae Salomoni tributariae erant, designare voluerit, sive vocabulum ערב explicandum est *desertum* (*Hab.* 1,8; *Ierem.* 25,24), sive *vulgus promiscuum*, quale cum Israelitis ex Aegypto exiit (*Exod.* 12,38) atque postea inter Israelitas ex exsilio reduces habitabat (2 *Esdr.* 12,3). Auctor igitur Paralipomenon sua expressione clariore (« reges Arabiae ») obscuriorem vocem libri Regum (« reges deserti » vel « reges peregrinorum ») expli-

cavit. Quod si cui haec explicatio non placuerit, Massorethas ignorantiae accuset, qui eidem vocabulo alia signa vocalia in 3 Reg., alia in loco parallelo 2 Paralip. appinxerunt: articulus enim, quum nominibus propriis, quae origine sua sunt appellativa, saepe addatur, non impedit, quin idem in utroque loco esse vocabulum dicamus.

d.) Negligentiae accusatur auctor Paral., quia scripsit חָרָשֵׁי קִיר (« artifices parietum » I. 14,1) pro חָרָשֵׁי אֶבֶן קִיר (« artifices lapidum ad parietes ». Vulg. 2 *Reg.* 5,11). — Probabiliter vero Paral. auctor lectores suos non ita stultos esse supposuit, ut Davidem muros palatii sui ex stramento vel palea exstruxisse crederent; ideoque illud אבן (lapides) sine eorum detrimento omisit.

Haec sunt *omnia* exempla, quibus ignorantiam et negligentiam auctoris nostri demonstrant adversarii recentissimi.

1. Sicut diximus, obiectiones desummus ex *De Wette Schrader* Einl. 227-229 p. 368 sqq. et ex *Bleek Wellhausen* Einl. § 147 sq. p. 290 sqq.

2. Parum tamen probabile esse putamus, quod argumento non allato censet *Neteler* (Die BB. der bibl. Chronik. Münster 1872. p. 221), naves ex Asiongeber aut circumnavigasse Africam, ut in Hispaniam pervenirent, aut per canalem a Seti I. exstructum et Nilum in mare mediterraneum pervenisse. Nihilominus hanc explicationem adoptaremus potius, quam cum *Clair* (Les Paralipomènes. Paris 1880. p. 316) auctorem erroris (« il y a donc ici une méprise ») accusaremus.

3. *Fl. Josephus* (Antiqu. I. 6,9; IX. 10,2) *Tharsis* idem putavit esse, quod *Tarsus* in Cilicia; *S. Hier.* in Ierem. 10,9 (M. 24,748): « Tharsis vel regio Indiae est, ut Iosephus tradit, vel certe omne pelagus Tharsis appellatur » (Ideo etiam in sua versione S. Hier. interdum retinet nomen Tharsis [3 *Reg.* 10,22; 2 *Par.* 9,21; 20,36. 37; *Is.* 2,16; *Ierem.* 10,9; *Ezech.* 38,13; *Ion.* 1,3; 4,2; cfr etiam *Ps.* 47,8; 71,10], interdum vertit *mare* [*Is.* 23,1. 6. 10. 14; 60,9; 66,19; *Ezech.* 27,25], semel Alexandrinos secutus substituit *Carthaginienses* [*Ezech.* 27,12]). Etiam inter modernos nonnulli Tharsis sitam fuisse putant aut in litore orientali Africae, aut in sinu persico, aut in India. *Fürst-Ryssel* Hebr. Lexic. Ed. 3. 1876. II. p. 546 nomine *Tharsis* varias regiones nominatas esse censet: a.) Tartessum in Hispania (*Is.* 23; *Ezech.* 27; 38); b.) colonias quasdam in Africa septemtrionali (2 *Paral.* 9,21 cfr 3 *Reg.* 10,22; — atque Alexandrini quoque nomine Tharsis intellexerunt Carthaginem *Is.* 23,1. 10,14; Ezech. 27, 12; 38,13); c.) emporia nonnulla Arabiae meridionalis (2 *Paral.* 20,36. 37). Cfr interpretes, qui tamen cuncti solas coniecturas afferunt.

4. 2 *Paral.* 20,37. Versum 37. enim ad ipsum vaticinium pertinere censemus; alii auctorem illo versu narrationem continuare parum apte dicunt.

5. Cfr Wellhausen Prolegomena p. 215. 233.

6. Fuse de hac obiectione agunt *Reinke* Beiträge VIII. p. 117-129, *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 151-168; inscriptiones ipsas affert *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes IV. p. 245-253, eorumque textum assyriacum simul exhibet *Schrader* Keilinschriften und A. Test. Ed. 2. p. 366-372.

7. *Wellhausen* l. c. p. 215 non tantum ex silentio libri Reg., sed etiam ex *Ierem.* 15,4 deducere vult Manassen poenitentiam non egisse; num forte alia exempla non exstant, in quibus Deus propter poenitentiam actam poenas distulisse quidem, sed non abstulisse refertur (3 *Reg.* 21,29; 4 *Reg.* 10,28 sqq. etc.)?

2. Alterum obiectionum caput eos complectitur textus, in quibus

nonnulla ita omissa vel abbreviata vel inserta vel mutata dicuntur, ut narratio ipsa, saltem in rebus secundariis (« wenn auch nur in Nebensachen »), erronea reddatur. Satis multi huius generis textus afferuntur, plerosque tamen sine ullo scrupulo praetermittimus, quia error, si quis adest, soli librariorum negligentiae debetur[8]. Alii autem ob breviloquentiam quandam obscuriores quidem sunt, sed a prudente lectore facillime expediuntur; speciminis gratia praecipuos afferimus.

« 1. *Par*. 20,1, inquit adversarius noster, auctor verba : *David manebat in Ierusalem* ex 2 *Sam*. 11,1 desumsit; quia vero deinde non tantum 2 *Sam*. 11,2-12,28, sed etiam 12,29 omisit, lectorem in errorem induxit, quippe qui credere cogatur, Ierosolymis illa esse acta, quae 1 *Paral*. 20,2 sqq. leguntur ». — At 1 *Par*. 20,1 legimus : « David manebat in Ierusalem, *quando Ioab percussit Rabbath et destruxit eam* »; quae ultima verba in 2 *Reg*. 11 non adduntur et satis iam indicant tempore oppugnationis urbis Davidem quidem mansisse in Ierusalem, postea autem ipsum quoque ad bellum esse profectum. Quare si immediate postea (1 *Par*. 20,3) legitur : « Sic fecit David omnibus urbibus filiorum Ammon, et *reversus est cum omni populo suo in Ierusalem* », etiam vir hebes ad intelligendum sua sponte iter Davidis inter 20,1 et 2 inserit.

Differentia, quae inter 2 *Par*. 22,9 et 4 *Reg*. 9,27 invenitur relate ad locum, in quo Ochozias occisus est (« in ascensu Gur [Gaver] iuxta Geblaam », « et ipse occultabat se in Samaria ») vario modo a variis explicatur; simplicissima solutio ea est, quae מִתְחַבֵּא (2 *Par*. 22) de conatu intelligit. Ochozias fugit, ut in Samaria latibulum quaereret; at usque Samariam non pervenit, sed in via (in ascensu Gur) deprehensus et vulneratus est etc. Brevissimam relationem auctoris nostri obscuritate quadam laborare fatemur; at ideo contradictionem statuere non licet[9].

1 *Par*. 10,6 « Interiit ergo Saul et tres filii eius et *omnis domus illius* pariter concidit », sed 1 *Reg*. 31,6 « mortuus est Saul et tres filii eius et armiger illius, et *omnes viri eius* in die illa pariter ». — Quaenam sit in duabus his relationibus diversitas, non apparet, nisi quis putet, auctorem Paralip. vocabulum « domus » de posteris et consanguineis Saulis intellexisse. At quo cum iure hoc supponitur, quandoquidem immediate antea (9,39-44) in genealogia domus Saulis praeter tres filios, qui cum patre in pugna ceciderunt, etiam quartus (Esbaal-Isboseth) et reliquorum posteri per plures generationes enumerati sunt?

Auctorem nostrum « ineptiarum » (Unsinn) accusare non erubescunt adversarii nostri, quia narrat Salomonem a rege Hiram petisse, ut sibi « ligna cedrina et santalica de Libano » mitteret (II. 2,7); ligna santalina enim in Libano non inveniri sed ex India afferri debuisse, atque 3 *Reg*. 5,6 (20) sermonem esse de solis cedris in Libano caedendis. — Sed adnota α.) auctorem nostrum non ignorasse ligna illa, de quibus quaestio agitatur, etiam ex Ophir esse allata (II. 9,10), at β.) certum non esse ligna illa fuisse « santalina », quae in Libano utique non reperiuntur. Antiquis iam interpretibus

significatio vocis *Algummim* vel *Almuggim* fuit incognita, sed nec Alexandrinus, nec Fl. Iosephus, nec S. Hieronymus, nec rabbini mediae aetatis de lignis « santalinis » cogitaverunt[10]; mera haec est modernorum coniectura, quae satis solido fundamento caret. Optime cum antiquis interpretibus lignorum pineorum speciem quandam intelligimus, quae frequentius quidem in Ophir, sed etiam in Libano inveniebatur. Si quis vero id concedere nolit, quid obstat, quominus dicamus Salomonem initio regni sui, antequam cum Hiram naves suas in Ophir mittere coeperat, putasse ligna Algummim vel Almuggim in Libano inveniri, quia eousque semper ex Phoenicia in Palaestinam erant allata, auctorem autem nostrum fideliter ea transcripsisse, quae a Salomone dicta esse in fontibus suis invenit?

« Miram contradictionem » inveniunt inter II. 13,23; 15,19 et 3 *Reg.* 15, 32. Etenim primo in loco « terra in diebus Asa decem annis quievisse » dicitur, in altero « bellum non fuisse usque ad 35. annum regni Asa », in tertio « bellum fuisse inter Asa et Baasa (qui 3. Asae anno regnare coepit et viginti quatuor annos regnavit) cunctis diebus eorum ». — At in secundo textu annus 35. aut cum antiquioribus interpretibus intelligendus est a. 35. a regni scissione, qui fuit 15. annus Asae, aut cum modernis pro librariorum errore habendus, qui signa numeralia confuderunt[11]. Usque ad 11. Asae annum igitur terra quievit; a. 11. Zara Aethiops in terram irrupit (2 *Par.* 14,8); quo devicto terra iterum quievit usque ad 16. Asae annum, quo Baasa, qui dudum contra regnum meridionale infenso fuerat animo, apertum bellum Asae indixit.

Graviores difficultates attulimus; quid ceterae valeant, exempla allata docent.

8. Errores librariorum I. 14,13; 20,3; 21,5. 25; 24,24 etc. — Non est, cur conciliemus 1 *Par.* 19,4 « Hanon rasit pueros David » et 2 *Reg.* 10,4 « rasit *dimidiam partem* barbae servorum David », — aut 2 *Par.* 16,2 « Asa tulit argentum et aurum de thesauro domus Dei » et 3 *Reg.* 15,18 « tulit *omne* argentum et aurum, quod remanserat (vel : quod superfluum erat) in thesauro domus Dei », aut 2 *Paral.* 33,20 « sepelierunt Manassen in domo sua » et 4 *Reg.* 21,18 « Manasse sepultus est *in horto* domus suae » et similia. Neque quidquam attinet disserere de asceticis (« erbaulichen ») explicationibus ab auctore nostro insertis 1 *Par.* 10,13 sq.; 11,3; 21,10 etc., quippe quae fini eius sunt consonae; si vero 2 *Par.* 8,11 (cfr 3 *Reg.* 9,24) ratio, qua Salomon adductus est, ut filiae Pharaonis aliam domum aedificaret, ipsius regis verbis exprimitur, id optime se habet, usque dum adversarii *probaverint*, Salomonem hac ratione non esse permotum.

9. Antiquiores interpretes plerique difficultatem ita solvunt, ut Paralip. et Reg. non de eodem facto loqui statuant. « Hac vice fugit et latuit in Samaria, sed postea deprehensus deductus est ad Iehu in Gaber, ibique percussus fugit in Mageddo ibique mortuus est. Ita Lyranus » (Corn. a Lap. in 4 Reg 9,24). Simili modo *Rawlinson* (The Speaker's Bible in 2 Par. 22,9) : « We may suppose that, after remaining a while at Megiddo, Ahaziah removed thence to Samaria, where his wounds could be better cared for (ἰατρευόμενον ἐν Σαμαρίᾳ LXX), and concealment might be easier; that, when there, Iehu's emissaries discovered him; that they took him to Iehu, who happened at the time to be at Megiddo, and that then and there Iehu put him to death ». Alii alio modo sed, ni fallimur, nimis artificioso.

10. Vocabula אלמגים vel אלגמים *Alex.* vertunt πελεκητά (*dolata* 3 *Reg.* 10,11) vel πευκινά (*pinea* 2 *Par.* 2,7; 9,10); *S. Hier.* : *thyina* (3 *Reg.* 10,11; 2 *Par.* 9,10) vel *pinea* (2 *Par.* 2,7); *Fl. Ioseph.* (Antiqu. VIII. 7,1) intelligit ligna *pinea* ficulneis similia sed candidiora et splendidiora. Medio aevo rabbini, quia in Thalmude *Almug* significat corallia, hanc significationem attribuerunt etiam vocabulo nostro; Kimchi deinde, qui vidit de *ligno* agi, explicavit lignum rubrum, quod vulgo lignum brasilianum appellatur; unde aliqui occasionem sumserunt, ut intelligerent « lignum santalinum rubrum », alii autem Fl. Iosephi explicatione simul adhibita « lignum santalinum album ». En fundamentum, cui innititur modernorum coniectura; quam parum sit solidum, nemo non videt. (Cfr *Riehm* Handwörterb. des bibl. Alterthums p. 1358 sq. « *Lassen* hat dieser Annahme durch die Erklärung der in der Chronik gebrauchten hebr. Wortform *algum* nach dem Sanscritnamen des Sandelholzes *valgu*, dhekan. *valgum* eine *freilich sehr zweifelhafte* sprachliche Stütze zu geben gesucht ».)

11. Antiquiorum explicationem vide penes *Sanct.* in 3 Reg. 15,16; modernorum apud *Reinke* Beiträge I. p. 63.

3. Partium studio ductum fuisse auctorem nostrum contendunt adversarii, et quamvis a voluntaria historiae adulteratione multi eum absolvant, eum tamen inconscium, quia aetatis suae opiniones secutus sit, historiam mutasse et adulterasse censent. Quam gravem accusationem iisdem exemplis probabilem reddere conantur, quibus alii rationalistae demonstrare volunt, auctorem deliberato cum consilio historiam falsificasse.

a.) « Mutationes et additiones dogmatico-mythologicas » in libris nostris inveniunt; mythologiam autem suam auctor in duabus tantum narrationibus videtur prodidisse. Praeprimis enim comparare iubemur 1 *Par.* 21,1. 15. 16. 26 et 2 *Reg.* 24,1. 16. 17. Scilicet ubi in antiquiore relatione « *furor Domini* » Davidem concitasse narratur, ut populum suum numeraret, recentior scriptor loquitur de *satana*, qui regem seduxerit; satanas vero modernis rationalistis est ens mythologicum, cuius primam ideam Israelitae a Persis exsilii tempore acceperint. At dudum ante exsilium Israelitae Satanam cognoverant, a quo Persarum Ahriman omnino est diversus. Sicut in prologo libri Iob, quem exsilio antiquiorem esse tantum non omnes interpretes consentiunt, Deus satanae permittit, ut Iobum tentet, ita « furor Domini » permittit satanae, ut Davidem ad populum numerandum seducat[12]. Nulla igitur est differentia inter 1 Reg. et 1 Paral., nisi quod iunior scriptor instrumentum nominavit, quo usus est Deus vel « furor Domini », et clarius eandem ideam expressit, quam obscurius indicaverat auctor libri Samuel. Neque magis mythologici sunt reliqui textus. In utroque libro « angelus Domini » iuxta aream Areuna (Ornan) Iebusaei stetisse dicitur; Paralipomena autem addunt eum stetisse « inter coelum et terram »; en additamentum mythologicum! At nonne adversariis nostris ipse « angelus Domini », de quo loquitur I. Samuel, iam est ens mythologicum? Immo vero etiam in libro Samuel magnam inveniunt difficultatem; angelus enim iuxta aream stetisse (24,15), et tamen populum cecidisse (24,16) dicitur; quomodo hoc fieri potuerit, utique non intelligent, usque dum nobiscum veros angelos admittant et somnia

sua mythologica reiiciant. Demum in ultimo versu obiecto addunt Paralipomena, « *ignem de coelo* » holocausta regis consumsisse; sed coelestis ille ignis non prorupit ex sententia quadam dogmatico-mythologica auctoris nostri, sed iam multis saeculis antea saepius sese manifestaverat (*Levit.* 9,24; cfr etiam 3 *Reg.* 18,38 etc.). Ceterum pro fine suo auctor noster integram hanc rem accuratius narrat, quam auctor II. Sam., quia rationem indicare voluit, qua permotus aream Ornan Iebusaei David elegerit, ut ibi in posterum sacrificaret, et Salomon, ut ibi templum exstrueret.

Alterum « mutationis dogmatico-mythologicae » exemplum latere asseritur in 2 *Paral.* 32,31, si cum 4 *Reg.* 20,12 conferatur. Fateor autem ingenium meum non satis esse acutum, ut additionem mythologicam detegat. Neque intelligo, cur non potius auctor l. Regum (IV. 20,8-11) et Isaias (38,7. 8) superstitionis mythologicae accusentur, quoniam illud miraculum retulerunt, de quo interrogaverunt legati regis Babylonis.

b.) Quibus paucis exemplis mutationum mythologicarum contenti multo pluribus demonstrare volunt, auctorem nostrum leviticum cultum et tribum Levi praedilexisse. Etenim

α.) multa inveniunt « amplificationis ornamentique causa » de levitis leviticoque cultu addita. Quo pertinent I. 15,2-24; II. 5,11-13; 7,5-10; 8,12 sqq.; 23,17-20; 35,1-19. — Sine ullo dubio multo plura, quam libri Regum, Paralipomena de levitis tradunt; quaestio autem est, utrum auctor haec in fontibus suis invenerit et operi suo utpote ad finem suum quam optime adaptata inseruerit, an illa « amplificationis ornamentique » causa *finxerit*. Qui alterum hoc asserit, gravem suam accusationem demonstret necesse est; quoniam vero argumenta non afferunt adversarii nostri, vetus adagium locum habet: quod gratis asseritur, gratis negatur.

β.) Ex eadem praedilectione explicandum censent, quod auctor noster satis multa, quae in eius fontibus de Israelitarum idololatria invenit, aut silentio praetermiserit aut mitigaverit. Atque pro argumentis allegant 2 *Par.* 12,1 (cfr 3 *Reg.* 14,22-24), 2 *Par.* 13,2 (3 *Reg.* 15,2 sq.); 24,2 sq. (4 *Reg.* 12,3 sq.), 25,2 (4 *Reg.* 14,3 sq.), 26,4 (4 *Reg.* 15,3 sq.), 27,2 (4 *Reg.* 15,34 sq.), 29,3 sqq. (nihil de serpente aeneo 4 *Reg.* 18,4 sq.), 34,33 (4 *Reg.* 23,4-20), 28,23 (4 *Reg.* 16,10 sq.). — Attamen vix pauciores textus afferri possunt, in quibus Paralipomenon auctor de Israelitarum idololatria loquitur, libri Regum autem tacent: frustra enim in illis quaeris, quae de Ioae idololatria (II. 24,17-22), de idolis edomiticis invectis (25,14), de Oziae peccatis (26,4. 16 sqq.) etc. auctor noster tradit. De serpente aeneo quidem tacet, sed confer totam descriptionem eorum, quae ex templo et ex civitate et ex tota terra Ezechias removit secundum auctorem nostrum (II. 29,3 sqq.; 30,14; 31,1), cum eadem descriptione in libris Regum, et videbis eum idololatriam Israelitarum nec silentio pratermisisse nec mitigasse. Ut adversariis nostris satisfaceret, auctor, opinor, nec plura nec pauciora nec aliis verbis, quam auctor II. Regum, narrare sed eadem plane iisdem verbis referre debuit.

γ.) Ab hisce levioribus ad graviorem accusationem veniamus. Praedilectione sua levitica auctor adductus esse dicitur, ut aliis libris sacris et sibi ipsi contradiceret; duobus autem solis exemplis accusatio haec nititur. Asa

(II. 14,2) et Iosaphat (II. 17,6) « excelsa » abstulisse referuntur, at non tantum ex 3 *Reg.* 15,14 et 22,43 sq., sed etiam ex 2 *Par.* 15,17 et 20,30 constat; nec Asae nec Iosaphat tempore « excelsa » esse ablata. — Mirum profecto nonnemini videbitur, quod paucis versibus interiectis auctor priorum, quae dixerat, prorsus oblitus contrarium asseruisse statuatur, nec ulla affertur ratio, cur tam aperte et clare sibi ipse contradicere voluerit. Merito igitur antiquiores interpretes mere apparentem esse contradictionem rati textus ita explicarunt, ut inter se conciliarentur. Plerique enim Asam et Iosaphat illa quidem excelsa abstulisse censuerunt, in quibus idolis sacrificabatur, reliqua autem, quae vero Deo erant consecrata, reliquisse, aut eos abtulisse publica, sed non privata excelsa. Aptius nodum solvere videtur Grotius monens etiam optimos reges quibusdam flagitiis esse impares, ut Tacitus loquitur; Asa et Iosaphat, etsi excelsa omnia auferre studuerint et nonnulla revera sustulerint, rem tamen perficere non potuerunt.

δ.) Aeque gravis est quarta accusatio, quod ob praedilectionem suam nonnulla mutaverit. Cuius accusationis argumenta sunt haec. Filii Davidis, qui 2 *Reg.* 8,18 *sacerdotes* vocantur, ab auctore Paralipomenon (I. 18,17) in « primos ad manum regis » transmutantur. Sed inter omnes, si paucissimos rationalistas occaecatos exceperis, constat etiam in 2 *Reg.* 8,18 כהן nihil aliud significare, nisi quod auctor Paralipomenon expressit[13]. — Salomon post mortem patris sui « abiit in Gabaon, ut immolaret ibi; illud quippe erat *excelsum maximum* » (3 *Reg.* 3,4); quae ultima verba, quum « excelsorum » approbationem continerent, auctor Paralipomenon mutasse dicitur : « quia ibi erat *tabernaculum foederis Dei*, quod fecerat Moyses in deserto » (II. 1,3). Omnino improbabile censent tabernaculum foederis ab arca foederis fuisse separatum; improbabilitatis vero, quam asserunt, argumentum praeter praeiudicia sua non habent. Arca, quotiescunque exercitum sequebatur, a tentorio foederis separabatur (*Ios.* 6,4 sqq.; 7,6; *Iudic.* 20,26 sq.; 1 *Reg.* 4,4 sq., 14,18; 2 *Reg.* 11,11; 15,24 sq. etc.); postquam a Philisthaeis capta et restituta est, in domum Abinadab deponebatur (1 *Reg.* 7,1), usque dum David aliud tabernaculum in monte Sion exstrueret (2 Reg. 6,7); tabernaculum davidicum autem nusquam et nunquam vocatur tabernaculum foederis. Antiquum vero tabernaculum foederis a Moyse exstructum atque temporis decursu saepe resarcinatum (immo renovatum), etsi locum aliquoties mutaverit, verum semper remanebat sanctuarium; et quomodo explicabunt adversarii nomen « excelsi maximi » (הבמה הגדולה), nisi nobiscum admittant in Gabaon mosaicum tabernaculum adfuisse[14]? — Apologeticam quoque rationem in eo inveniunt, quod Davidis sacrificium in area Ornan excusetur timore, quo perculsus fuerit aspectu gladii angeli Dei (1 *Par.* 21,30); at profecto excusationi non erat locus, postquam angelus Domini per prophetam Gad Davidi praeceperat, « ut exstrueret altare Domino Deo in area Ornan Iebusaei » (1 *Par.* 21,18). — 1 *Par.* 13-16 adversariis nostris est « levitica retractatio narrationis quae legitur 2 *Reg.* 6 », cui inepte inserti sint 2 *Reg.* 5,11-25. At, ni fallor, antequam haec asserantur, demonstrandum est, auctorem nostrum ex alio fonte, quam ex 2 Reg., narrationem

non hausisse; sed ne prima quidem initia argumenti deteges, quo id demonstrare conantur. — Alia exempla, quibus ob levitarum praedilectionem textus mutatos esse proclamant, eiusdem cuncta sunt generis; meris contenti assertionibus adversarii in continuo circulo vitioso versantur. Quaecunque auctor Paralipomenon de levitis refert, si in prioribus libris non continentur, ab auctore esse conficta dicunt; et si interrogas, quo argumento ea conficta esse demonstrentur, respondent ea in prioribus libris non contineri. — Huc etiam spectat exemplum quod sequitur : auctor noster ea, quae milites egerunt, ut Ioam in thronum restituerent (4 *Reg.* 11,4-12), levitis attribuisse dicitur (2 *Par.* 23,1-11). Annon aliquis eodem cum iure asserere potest, auctorem ll. Regum ea, quae levitae egerant, militibus adscripsisse? Et milites et levitae duce summo sacerdote Ioiada pro virili parte contulerant, ut depulsa Athalia filius eius Ioas, utpote legitimus haeres, thronum ascenderet; quod si alter auctor merita militum, alter merita levitarum ita describunt, ut eorum narrationes completam nobis rei imaginem exhibeant nec ullo modo inter se pugnent, quis alterutrum adulteratae historiae accusare audet? — Secundum adversarios nostros sacerdotes ab auctore ll. Regum *tacite* accusantur, quod pecunias templi restaurationi destinatas interceperint (4 *Reg.* 12,4-16), accusatio autem haec ab auctore Paral. (II. 24, 4-14) « *temperari* » (gemildert) dicitur. Quomodo *tacita* accusatio *temperari* possit, difficile est dictu; immerito autem ista accusatio in libris Regum invenitur, qui diserte tradunt, sacerdotes *consensisse* [15] cum rege, ut novus modus collectarum faciendarum introduceretur, quo *citius* pecuniae ad templum afferrentur.

c.) Regum quoque piorum biographiae omissione vel mutatione eorum, quae vituperio sunt, additione eorum, quae laudi sunt, adulteratae esse asseruntur. In Paralipomenis enim nec de Davidis concubinis (I. 14,3 cfr 2 *Reg.* 5,13), nec de eius adulterio (2 *Reg.* 11,2-12,26), nec de poenis, quae Saulis posteris infligebantur (2 *Reg.* 21,1 sqq.), nec de Salomonis uxoribus ethnicis eiusque idololatria (3 *Reg.* 11) etc. quidquam attingitur. Haec utique omnia omissa sunt, at non pauca quoque, quae regibus illis laudi et honori erant : Davidis fortitudo et patientia tempore persecutionis saulicae, eius clementia et liberalitas erga Miphiboseth Saulis nepotem, Salomonis sapientia et magnificentia (3 *Reg.* 3,16 sqq.). Scilicet auctor Paralipomenon de vita privata regum admodum pauca tradit et pro fine suo ad illa maxime attendit, quae in publica Legis observantia promovenda cultuque divino augendo reges egerunt. Falso igitur illi supposito, quod supra (114 p. 336 sq.) indicavimus, innititur obiectio; errant enim qui integram regum historiam in Paralipomenis quaerunt. — Unicum exemplum mutationis affertur : 2 *Reg.* 5,21 devicti Philisthiim « reliquerunt idola sua, quae *tulit* David et viri eius », sed 1 *Par.* 14,12 : « reliquerunt deos suos, quos David *iussit comburi igne* »; adversariis nostris scilicet persuasum est, Davidem idola illa tulisse, ut ea adoraret. — Additiones tres videntur inveniri : 2 *Paral.* 32,27-29 enumerantur Ezechiae thesauri, atque 2 *Par.* 32,33 et 35,24 sq. describitur luctus populi de Ezechiae et de Iosiae morte. Num forte rationalistae putant, Ezechiam et Iosiam dignos non fuisse, de quorum interitu integer populus

plangeret? Quod si autem integer populus luctum de iis egit, cur auctori nostro illum referre non licuit? Et undenam sciunt Ezechiam thesauros illos non possedisse? Num probabile est auctorem thesauros fictos regi illi attribuisse, quem velut unum ex piissimis describit, quum tamen Lex regem thesauros congerere vetasset (*Deut.* 17,17)?

d.) Ultima accusatio contra auctorem nostrum est, quod odio suo contra regnum septemtrionale historiam adulteraverit. At unum solum odii exemplum in integro opere detexerunt: contradictionem enim adesse asserunt inter 2 *Paral.* 20,35 sqq. et 3 *Reg.* 12,49 sq., contradictionisque fundamentum in odio auctoris nostri invenerunt. Quomodo per integrum fere saeculum haec obiectio semper repeti potuerit, difficile est dictu; nam nec pugnae ullius inter duas relationes nec odii contra regnum Israel ullum invenitur vestigium. Profecto odium non prodit auctor noster, si regem Iosaphat cum Ochozia, impio rege Israel, amicitiam habuisse narrat; si autem propheta Eliezer amicitias has vituperat, vituperandus non est auctor noster, qui prophetae verba fideliter refert, idque eo minus, quia propheta amicitias illas iure merito vituperaverat. Si adversariorum morem secuti sacris scriptoribus odium affingere vellemus, auctorem potius librorum Regum diceremus ob odium contra regnum Israel amicitiam Iosaphat et Ochoziae silentio praetermisisse nec quidquam de eorum communi expeditione maritima retulisse. Iniustissimam quidem hanc esse accusationem evidens est, at non minoris iniustitiae rei sunt illi, qui auctori Paralipomenon odium contra regnum Israel obiiciunt. Ceterum quomodo conciliandae sint duae narrationes, iam vidit Fl. Iosephus [16].

12. Recte monet *Knabenbauer* (Comm. in I. Iob p. 42 sq.) Israelitas ex *Gen.* 3. iam potuisse cognoscere « inimicum quendam potentem, sagacem, rerum et eventuum peritum, qui et Deo et generi humano esset infensissimus ». *Nomen* שָׂטָן (« *adversarius* ») prima vice occurrit *Num.* 22,22. 32, sed de angelo bono, qui *adversatur* Balaam, ne contra Dei voluntatem iter suscipiat; de homine adversario adhibetur 1 *Reg.* 29,4; de angelis autem malis, qui hominibus adversantur, *Iob* 1,6-12; 2,1-7; *Zach.* 3,1. 2; *Ps.* 108 (109),6; 1. *Par.* 21,1.

13. Cfr supra 21,3 et *n.* 12. p. 74 sq. — Quia 2 *Reg.* 8,17 Sadoc et Achimelech iam nominantur *sacerdotes* eosque revera summo sacerdotio functos esse constat, non intelligitur, quomodo filii David v. 18 etiam *sacerdotes* vocentur, nisi admittatur vocabulum כֹּהֵן in nativa sua significatione *ministri* esse adhibitum (Cfr arab. *Kahana* gessit res alicuius; *kahen* administrator rei alicuius). Merito enim *Movers* (Krit. Unters. p. 303) irridet iis, qui ut rem explicent filios Davidis « a sacris regiis » vel « cultui publico praepositos » (Hofkapläne, Cultusminister, aumôniers de la cour, ministre des cultes) fuisse coniecerunt. Eadem duplex significatio vocabuli *Kohen* invenitur in aliis ministrorum regiorum catalogis 2 *Reg.* 20,23-26; 3 *Reg.* 4,2-4, quo in loco כֹּהֵן explicatur addito רֵעֶה הַמֶּלֶךְ « amicus regis ». Cfr de hac quaestione *Movers* l. c. p. 301-305.

14. Cfr *supra* 44 b. p. 141 sq. et *Movers* l. c. p. 284-295.

15. 4 *Reg.* 12,8 וַיֵּאֹתוּ, quod parum recte transtulit *S. Hier.* « prohibiti sunt », rectius *Alex.* συνεφώνησαν. Cfr *Welte* l. c. p. 215 sq.

16. *Fl. Ioseph.* Antiqu. IX. 1,4; *Calm.* in 3 *Reg.* 22,5 et antiquiores interpretes.

116. — Adversariorum obiectionibus solutis affatim iam est demonstratum, auctorem Paralipomenon omnibus in relationibus, quas cum aliorum librorum sacrorum narrationibus conferre nobis licet, fontibus fide dignis magna cum fidelitate et diligentia esse usum. Quapropter in reliquis, quae solus narrat, eum eadem ratione egisse eandemque diligentiam et fidelitatem adhibuisse, recte concludimus, neque omnia illa, quae modernis « criticis » in dubium vocare aut negare placet, accurato examini subiicere opus est. Re enim vera omnes eorum obiectiones praeiudiciis innituntur, quae sola eis pro argumentis inserviunt, at tantae auctoritatis non sunt, ut eis exponendis et refutandis immoremur. Aequus enim iudex, qui libros nostros diligenter perlegerit, eis eandem, quam reliquis V. T. scriptis, fidem historicam non negabit.

At DIVINAM AUCTORITATEM quoque merentur. « Non satis mirari possum, cur inter sacros recepti fuerint (libri Paralipomenon) ab iis, qui librum Sapientiae, Tobiae et reliquos, qui apocryphi (i. e. deuterocanonici) dicuntur, ex canone sacrorum deleverunt »[1]. Haec Spinozae verba vi sua contra Protestantes non carent; ex Novo enim Testamento satis difficile est divinitatem Paralipomenon demonstrare. Nam unum solum testimonium possidemus, quo ea a Domino N. adhibita esse ostenduntur; quae enim de Zacharia, filio Barachiae, inter templum et altare occiso dixit, ex nostris libris desumta esse iure dicuntur[2]. At divina Paralipomenon aeque ac reliquorum V. T. librorum auctoritas non ex solo N. T. usu, sed ex Ecclesiae testimonio infallibili demonstratur. Extra controversiam enim est, et antiquam synagogam et Christi Ecclesiam ea semper in canone suo habuisse iisque velut libris divinitus inspiratis fidem adhibuisse. Quanti vero Ecclesia hos libros aestimaverit, *S. Hieronymus* nobis testatur : « Paralipomenon liber, inquit, i. e. Instrumenti Veteris ἐπιτομή, tantus ac talis est, ut absque illo, si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, se ipsum irrideat. Per singula quippe nomina iuncturasque verborum et praetermissae in Regum libris tanguntur historiae et innumerabiles explicantur Evanglii quaestiones »[3].

1. *B. Spinoza* Tractatus histor. polit. c. 10.
2. *Math.* 23,35; 2 *Parat.* 24,20 sqq. Cfr *S. Hieron.* in Matth. 23 (M. 26,173 sq.).
3. *S. Hieron.* ad Paulin. ep. 53,7 (M. 22,548).

§ 29. — *De praecipuis commentariis catholicis in Paralipomena.*

117. — Inter historicos V. T. libros pauci admodum sunt, quibus explicandis minorem, quam Paralipomenis, curam ac sollicitudinem

adhibuerint interpretes antiqui et moderni. Quamvis enim eorum utilitatem tam gravibus verbis S. Hieronymus commendaverit, titulus eorum videbatur insinuare, eos non esse nisi librorum Sam. et Reg. complementum; unde satis explicatur, cur etiam interpretes libris Regum explicatis se Paralipomena quoque explicasse crediderint ideoque commentariis suis prioribus paucuIas tantum notulas de aliis libris adiecerint. Ita factum est, ut ex omnibus PATRIBUS orientalibus et occidentalibus solus *Theodoretus* uti in reliquos V. T. libros historicos, etiam in Paralipomena « Quaestiones » ediderit, at ipse quoque paucissimos textus explicavit; *Procopius Gazaeus* eas excerpsit vix quidquam novi addens. « Quaestiones in Paralip. » vero, quae inter Opera S. Hieronymi edi solent, recentiori scriptori hebraico saec. 7. vel. 8. deberi iam Martianaeus demonstravit[1]. Primus igitur, qui maiorem diligentiam libris nostris impendit iustoque commentario eos illustravit, est *Rhabanus Maurus,* qui « Patrum vestigia sequens, ea quae explanata ab eis invenit et ad similitudinem sensus eorum, gratia Dei annuente, investigare potuit, in ordinem disposuit atque in unum opusculum colligere curavit »; praeter dispersas autem Patrum explicationes etiam « Iosephi, Iudaeorum historici, narrationem nec non et Hebraei cuiusdam, modernis temporibus in legis scientia florentis, opiniones plerisque in locis interposuit »; Hebraeum scilicet intelligit eum, cuius quaestiones in S. Hieronymi operibus inveniri diximus. Ex commentario Rhabani Mauri satis diffuso moralibusque et allegoricis accommodationibus referto *Walafridus Strabo* glossam ordinariam in nostros libros excerpsit[2].

Non maiore cum diligentia, quam antiquitas, MEDIA AETAS libros nostros interpretatus est. Quare praeter *Card. Hugonem, Nic. Lyranum, Dionysium Carth.*, qui eandem, quam in reliquis libris, in nostris quoque explicandis secuti sunt rationem, unus solus singulari memoria est dignus, *Alph. Tostatus;* duo enim magna volumina de Paralipomenis commentario suo in ll. Regum addidit, et quamvis pro more suo in iis multas inutiles et superfluas quaestiones exagitet, tamen cum Rhabano Mauro de libris nostris optime meritus est[3].

Vix plures INDE A SAEC. 16. invenimus Paralipomenon interpretes. *Nic. Serarius* commentario suo in ll. Regum et Paralipomenon ultimam manum imponere morte praeventus non potuit, quare opus ex schedis defuncti ab amicis editum vix tanto viro est dignum; *C. Sanctius* optimo suo commentario in ll. Regum paucas tantum paginas de Paralipomenis addidit; *I. Bonfrerii* commentarius in ll. Regum et Paralipomenon incendio typographiae vix terminatus interiit; « Concordia librorum Regum et Paralipomenon », quam elaboraverunt *I. B. le Brun* et *Nic. le Tourneux,* in chronologicis fere quaestionibus

versatur; gallicis commentariis in libros Regum, quos Duguet composuerat, *V. Bidal d'Asfeld* nonnulla de nostro opere adiecit; *Leop. Mauschberger* demum succincta interpretatione eorum sensum literalem ac praecipue mysticum indicavit. Quibus si addideris integrarum Scripturarum commentatores (inter quos praecipui *Caietanus*, *Corn. a Lapide*, *Thomas Malvenda*, *Aug. Calmet*) et scholiastas (*Em. Sa*, *Mariana*, *Menochius*, *Tirinus* etc.) habes omnes, qui saec. 16. 17. 18. ad Paralipomena explicanda aliquid contulerunt [4].

Hoc nostro saeculo praeter illos, qui scholiis versiones vernaculas Scripturarum illustrarunt, duo exstiterunt commentatores Paralipomenon, *B. Neteler* in Germania, *Clair* in Gallia. Quorum commentariis addamus oportet eruditas illas dissertationes, quibus Anonymus quidam (in Tüb. Quartalschrift 1831), *F. C. Movers*, *B. Welte*, *L. Reinke* a rationalistarum obiectionibus Paralipomena vindicarunt; iisque iure merito accensemus *G. I. Muehling*, quia illi operis parti, quae plerumque vix attingi solet, genealogiis scilicet (I. 1-9), singularem curam et diligentiam adhibuit [5].

Multo plura de Paralipomenis hac nostra aetate ediderunt *protestantici interpretes*, inter quos *C. F. Keil* (Apologet. Versuch über die Chronik. Berlin 1833. Nachexilische Geschichtsbücher : Chronik etc. Leipzig 1870), *G. Rawlinson* (Chronicles in The Speaker's Commentary III). London 1873), *O. Zoeckler* (Die BB. der Chronik. Bielefeld 1874), rationalisticas explicationes refutant. Reliquos enumerat *Zoeckler* l. c. p. 28. sq.

1. *Theodoreti* Quaestiones M. 80,801-858; — *Procopii Gaz.* in Paralip. M. 87, 1201-1220. — *Pseudo Hieronymi* Quaest. hebraicae in Paralip. M. 23,1431-1470; de quarum auctore genuino cfr M. 23,1390 sq.

2. *Rhabani Mauri* Comment. in Paralip. M. 109,279-540; — *Wal. Strabonis* Glossa in Paral. M. 113,629-692.

3. *Alph. Tostati* Comm. in Paralip. Opp. Venet. 1728 vol. 16. et 17.

4. *Nic. Serarii* S. I. Comment. posthumi in ll. Regum et Paralip. Lugd. 1613. Moguntiae 1617; — *C. Sanctii* S. I. Comment. in ll. Reg. et Paralip. Antw. 1624; — *Iac. Bonfrerii* S. I. Comm. in ll. Reg. et Paralip. Tornaci 1643; — Concordia librorum Reg. et Paralip. Parisiis 1691 (De eius auctoribus cfr Hurter Nomenclator II. p. 1057) — *I. I. Duguet* et V. Bidal *d'Asfeld* Explication des Rois et des Paralipomènes. Paris 1738. — *L. Mauschberger* S. I. Comm. in ll. Paralip., Esdrae, Tobiae, Iudith, Esther. Olomucii 1758.

5. *B. Neteler* Die BB. des Chronik. Münster 1872; *Clair* Les Paralipomènes. Paris 1880. — Dissertationes Anonymi, Moversii, Weltii supra 113. n. 2 p. 335; *Laur. Reinke* Beitrage zur Erkl. des A. T. I. 1; VII; VIII. 5. 6. — *Mühling* Neue Untersuchung über die Genealogieen der Chronik. Tüb. Quartalschr. 1884. p. 403 sqq.

CAPUT VII.

DE DUOBUS LIBRIS ESDRAE.

§ 30. — *De librorum Esdrae argumento, divisione, fine*

118. — Paralipomenon libris in Vulgata nostra immediate subiunguntur duo libri Esdrae, quippe qui eodem Cyri decreto, quo Paralipomena terminantur, inchoantes historiam populi electi continuent. In hodiernis bibliis hebraicis prior solus *Esdras*, alter vero *Nehemias* inscribitur, atque in Vulgata quoque alter hodie vocatur : « *Liber Nehemiae, qui et Esdrae secundus dicitur* ». Nihilominus olim unum opus constituerunt. Etenim *Fl. Iosephus*, quum tredecim libris historiam Israelitarum a Moyse usque ad Artaxerxem I. narrari assereret, duos nostros libros uno opere coniunctos possedit; *Melito Sard.* de Iudaeorum Palaestinensium canone loquens solum Esdram enumerat; *Origene* quoque teste Iudaeis fuerunt Ἔσδρας πρῶτος καὶ δεύτερος ἐν ἑνὶ Ἐζρᾶ, ὅ ἐστι βοηθός; quocum consentientes *S. Epiphanius* unum Esdrae librum recenset[1], atque *S. Hieronymus :* « Esdras et Nehemias, inquit, *adiutor* videlicet et *consolator a Domino*, in unum volumen coarctantur », vel, uti alibi monet : « nec quemquam moveat, quod unus a nobis liber editus est..., quia et apud Hebraeos Esdrae Nehemiaeque sermones in unum volumen coarctantur » [2]. De uno Esdrae opere etiam loquuntur Thalmudistae, atque usque ad Massoretharum aetatem duos libros semper mansisse coniunctos eorum epicrisis demonstrat, quae utriusque libri versus uno numero indicat et 2 *Esdr.* 3,22 medium operis versum esse docet. Immo « in multis manuscriptis editisque codicibus, inquit *de Rossi*, incipit Nehemias tamquam pars libri praecedentis, et in nonnullis etiam hispanicis et neapolitanis hagiographis in continuatione lineae nullo prorsus interiecto spatio » [3]. Ipsi quoque alexandrini Iudaei duos nostros Esdrae libros canonicos uno volumine coniunxerant; nam licet in antiquis alexandrinae versionis codicibus duo Esdrae libri numerentur, plerique tamen in priore loco apocryphum 3. Esdr. exhibent et eorum secundus duos canonicos complectitur [4]. Inter modernos interpretes non desunt, qui Iudaeos, ut pro literarum suarum numero duos et viginti dumtaxat libros numerarent, Esdram et Nehemiam coniunxisse censeant, licet duo diversa opera sint [5]; atta-

men integro suo argumento totaque sua indole ita inter se connexi sunt, ut duae potius eiusdem operis partes, quam duo opera esse videantur[6].

ARGUMENTUM enim eorum est restauratio societatis israeliticae post finitum exsilium babylonicum. Ab ipso igitur Cyri decreto, quo Israelitis reditus in patriam et templi reaedificatio permittebantur, initium faciens auctor historiam ultra a. 32. Artaxerxis I. Longimani perducit, ut plus centum annorum spatium complectatur[7]. At non cunctas temporis illius res memoria dignas continet, sed ea sola facta, quae templi, utpote centri religiosi, urbis Ierusalem, utpote centri politici, restaurationem populique in Legis observantia renovationem spectant. Post Cyri enim decretum (a. 536.) multi quidem Iudaei Zorobabele atque summo sacerdote Iosue ducibus in Palaestinam reversi erant atque templo reaedificando statim manum admoverant; continuis autem vicinorum populorum insidiis hostilibusque incursionibus impediti non ante a. 6. Darii Hystaspis (a. 516.) templi restaurationem terminaverant. Interea civitas absque muris iacuerat, demortuisque Zorobabele et Iosua atque duobus illis prophetis, Aggaeo et Zacharia, qui eos adiuverant, reducum fervor adeo languescere coeperat, ut magna esset in cultu divino celebrando negligentia atque gravissima praecepta violarentur. Anno 7. autem Artaxerxis I. (a. 468.) Esdras novo obtento decreto et altera exsulum turba adducta fervorem renovavit, cultum divinum restauravit, Legis observantiam inculcavit. Paucis annis post Nehemias restaurationem ad finem adduxit; etenim a. 20. Artaxerxis (a. 455.) reaedificandorum murorum facultate obtenta politicum quoque populi statum restituit atque antiquum populi cum Deo foedus post sollemnem Legis praelectionem publico decreto renovavit[8]. Aptissime ergo totum opus in duas partes est distributum; in priore enim templi cultusque divini restauratio, in altera civitatis foederisque cum Deo initi renovatio praecipuum constituunt argumentum; in priore Esdras, in altera Nehemias primum locum tenent, at ambae partes coniunctae completam nobis exhibent restaurationis imaginem. In sequente analysi accuratius totius operis argumentum indicabimus.

1. *Fl. Ioseph.* c. Appion. I. 8 (cfr *Introd. gener.* 21. n. 4 et 22. b. n. 9. p. 42. 45 sq.); ***Melito Sard.*** in Euseb. H. E. IV. 26 (M. 20,396); ***Orig.*** in Ps. 1 (M. 12,1084. Eus. H. E. VI. 25. M. 20,580; ***S. Epiph.*** De pond. et mens. 4 (M. 43,244). — Simili modo loquuntur *S. Athan.* ep. fest. 39. (M. 26,1176) : « Esdrae 1. et 2. pro uno habentur »; *S. Cyril. Ieros.* Cat. IV. 35 (M. 33,500); ***S. Gregor. Naz.*** Carm. I. 12 (M. 37,472). — Sed *S. Amphil.* ad Seleuc. (M. 37,1593) duos enumerat.

2. ***S. Hieron.*** ad Paulin. ep. 53,7 (M. 22,548), ad Domn. et Rogat. Praef. in Esdr. — Alii Latini idem testantur : ***S. Hilar.*** in Psalm. 15. (M. 9,241); ***Rufin.*** in Symb. Apost. 37 (M. 21,374); ***S. Isid. Hisp.*** Etym. VI. 28 (M. 82,233) : « Esdrae liber auctoris titulo praenotatur, in cuius textu eiusdem Esdrae Nehemiaeque sermones continentur » etc.

3. *Thalm.* Baba bathra f. 14 « Esdras scripsit librum suum »; cfr *Buxtorf* Tiberias. Basil. 1620 c. 11, p. 108; *de Rossi* Variae lectiones V. T. IV. p. 157.

4. *S. Chrysost.* Synops. S. S. (M. 56,358) duos quidem libros Esdrae enumerat, sed priore in loco habet 3 Esdr., et deinde 1 et 2 Esdr. coniunctos in secundo. Indicato enim prioris *sui* libri argumento pergit : « Secundus liber Esdrae. In hoc eadem ipsa, quae in primo, dicit Esdras de reditu, *iis exceptis quae de problematis sunt*. Plura vero de Neemia eunucho narrat, quod ipse templi aedificationem petierit » etc. Iisdem fere verbis duorum, quos numerat, ll. Esdrae argumenta describit *Ps. Athanas.* Synops. S. S. 20 (M. 28,332), ut ipsum quoque duos nostros libros coniunxisse certum sit.

5. Cfr ex recentissimis interpretibus catholicis *Danko* Hist. revelat. V. T. p. 516; *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 121 sq.; *Clair* Esdras et Nehemias. Paris 1882. p. I. IV. sq.; ex protestanticis *Nägelsbach* in Herzog P. R. E. Ed. 2. IV. p. 333; *Rawlinson* in The Speaker's Comment. III. p. 385 etc. At sine causa, ni fallor, asseritur Iudaeos duo opera prorsus distincta coniunxisse, ne literarum suarum numerum excederent; praeter Fl. Iosephum nullus Iudaeus de viginti *duobus* libris sacris loquitur, sed *viginti quatuor* cuncti enumerant (cfr *Introd. gen.* Ed. 2. p. 30). Haud dubie olim Ruth cum. l. Iudicum et Threnos cum vaticiniis Ieremiae coniunxerunt, quia nimirum eiusdem auctoris sint et duo priores saltem revera unum opus constituant (*supra* 77. p. 232 sq.). Quod autem duodecim prophetas minores pro uno volumine habeant, non magis est mirum, quam quod centum quinquaginta Psalmos, quamvis diversis auctoribus illos adscripserint, in Psalterio coniungant.

6. *Card. Hugo* in Esdr. Prol. : « dividitur liber iste in duos libros *partiales* »; *Nic. Lyran.* in 1 Esdr. 1,1 : « Liber autem iste dividitur in tres partes : quia primo agitur de reductione populi sub Iosue filio Iosedech, secundo de instructione reducti per Esdram, tertio de reaedificatione muri per Nehemiam ». Eodem modo plerique medio aevo; cfr etiam *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 247. 252 sq.

7. *Kaulen* (l. c. p. 249) cum *F. de Saulcy tres* distinguit Iudaeorum reditus : primum Cyri tempore duce Sassabare (I. 1), alterum sub Dario Hystaspe duce Zorobabele (I. 2), tertium sub Artaxerxe II. Mnemnone (405-362) duce Esdra, quem vitam usque ad Alexandri M. aetatem protraxisse arbitratur; liber igitur noster plus ducentorum annorum spatium complecteretur. At cur a communi sententia, quae Sassabasar aut alterum nomen aut titulum Zorobabelis fuisse semper tenuit, recedamus, nulla idonea affertur ratio. Similem opinionem ab Imbert propositam valide impugnat *Fl. de Moor* (Le temple reconstruit par Zorobabel. Louvain 1890), qui etiam aliam sententiam, qua Van Hoonacker chronologicum libri ordinem invertit, bene refutat (*Fl. de Moor* L'époque de la restauration juive. Arras 1895).

8. De initio regni Artaxerxis I. Longimani differunt chronologi; plerique Xerxi attribuunt unum et viginti annos (485-465), Artaxerxi I. autem duos et quadraginta (465-424), alii autem Xerxi undecim vel duodecim (485-474), Artaxerxi I. unum et quinquaginta (474-424), alii demum Artaxerxem inde ab a. 474. vel 473. socium imperii patris sui fuisse ideoque annos regni eius inde ab a. 474. numerandos esse censent. Quam tertiam sententiam probabiliorem esse ducimus. Cfr *Palmieri* de veritate hist. libri Iudith etc. Galopiae 1886. p. 96 sqq.; *Reinke* Messian. Weissagungen IV. 1. p. 359 sq. et opera ibidem allegata; *Hengstenberg* Christologie III. 1. p. 167-179, qui diligenter hanc quaestionem tractat. Hinc etiam cum *Reinke* l. c., *Bade* Christologie III. 1. p. 165 sqq., *Palmieri* l. c., *Holzammer* Handbuch des bibl. Gesch. I. p. 763, *Hengstenberg* l. c. aliisque multis initium hebdomadarum danielicarum (*Dan.* 9,24 sq. « exitum sermonis, ut iterum aedificetur *Ierusalem* ») a secundo Artaxerxis I. decreto (a. 455.) sumendum esse arbitramur.

119. — ANALYSIS LIBRORUM ESDRAE.

I. RESTAURATIO TEMPLI IEROSOLYMITANI ET REFORMATIO POPULI (I. 1,1-10,44).

1. *Primus exsulum reditus anno 1. Cyri et templi reaedificatio* (1,1-6,22).

A. Reditus exsulum (1,1-2,70).

a.) Completis septuaginta exsilii annis ab Ieremia praedictis (1,1) Cyrus decreto permisit, ut Iudaei in patriam revertentes templum reaedificarent (1,2-4) eisque, qui reverti voluerunt (1,5. 6.), vasa templi a Nabuchodonosor ablata restituenda curavit (1,7-11).

b.) Ducibus igitur Zorobabele et summo sacerdote Iosua plus quam quadraginta millia exsulum, inter quos multi sacerdotes, reversi sunt (2,1-67) atque voluntariis donis ad templi reaedificationem collatis varias civitates occuparunt (2,68-70).

B. Templi reaedificatio (3,1-6,22).

a.) Septimo mense anni, quo redierant, altari exstructo magna cum sollemnitate festum tabernaculorum celebrarunt et ab eo die holocausta offerre inceperunt (3,1-6).

b.) Anni autem 2. mense 2. novi templi fundamenta iecerunt aliis laetantibus de opere incepto, aliis, qui prius templum viderant, lacrimantibus (3,7-13).

c. Templi exstructionem impedire conati sunt adversarii (4,1-6,12).

α.) Samaritani, quum opus coeptum esse audissent, petierunt a Zorobabele et Iosua, ut sibi una cum illis templum aedificare liceret (4,1. 2). Quibus abnuentibus a regibus Persarum impetrarunt, ut Iudaeis continuatio operis interdiceretur; qui rerum status usque ad Darii regnum duravit (4,3-5).

β.) Qua occasione usus auctor per parenthesin narrat, quibus machinationibus iidem hostes postea sub Assuero (Xerxe) et Artaxerxe (I.) *urbis* restaurationem impedierint (4,6. 7) literis accusatoriis hostium (4,8-16) regisque Artaxerxis decreto allatis (4,17-23)[a].

γ.) Reassumto narrationis filo (4,24) exponit auctor, quomodo 2. Darii anno opus sit repetitum exhortantibus prophetis Aggaeo et Za-

(a) Antiquiores interpretes hac in pericope de impedimentis *templo* aedificando allatis sermonem esse atque chronologicum ordinem ab auctore teneri rati nomine Assueri Cambysem et nomine Artaxerxis Pseudo Smerdin intelligendos esse statuerunt. At in epistola accusatoria et in regio decreto de sola *urbe* aedificanda agitur, et nomina *Achaschverosch* (Assuerus) et *Arthachschaschtha* esse hebraicas transcriptiones nominum persicorum *Kschajarscha* (Xerxis) et *Artakschatra* (Artaxerxis) hodie ab omnibus admittitur. Rationalistae autem (cfr *De Wette Schrader* Einl. p. 387. Anm. c., et Studien u. Kritiken 1867. p. 474) parum apta capitum divisione ipsi quoque in errorem inducti versiculum 24, quem cum praecedentibus arcte coniungunt, inepte additum esse arbitrantur a redactore, quippe qui in praecedentibus de *templi* aedificatione agi putaverit. At redactor, opinor, aeque clare, atque nos, in praecedentibus de templo non agi vidit; error igitur ei immerito attribuitur. Tota difficultas disparet, si particulam chald. בֵּאדַיִן non esse temporalem attenditur (i. q. eo tempore) sed absolute inchoare novam partem (i. q. וַיְהִי et apud S. Matth. frequenter τότε); cfr *Kaulen* l. c. p. 250. Error ergo eis attribuendus est, qui caeci divisionem capitum sequuntur; nam 4,24 coniungendus est cum 4,5, ita ut 4,6-23 sint parenthesis.

charia (5,1-2). Novas autem moras attulerunt Persarum satrapae (5,3-5), qui literis missis ad Darium regem interrogarunt, num Iudaeis secundum permissionem a Cyro acceptam templum aedificare liceret (5,6-17); sed decreto regio Iudaeis adiuvare iussi sunt (6,1-12).

d.) Decretum regium exsecuti satrapae Persarum adiuverunt Iudaeos (6,13), qui rem alacriter urgentes an. 6. Darii templum terminatum (6,14. 15) multis victimis oblatis consecrarunt (6,16-18) magnaque cum laetitia primum pascha celebrarunt (6,19-22).

2. *Secundus exsulum reditus a. 7. Artaxerxis I. et populi reformatio* (7,1-10,44).

A. Esdrae reditus (7,1-8,36).

a.) Esdras genere aaronitico exortus et scriba velox in Lege (7,1-5) facultate ab Artaxerxe obtenta cum magna exsulum turba a. 7. Artaxerxis revertitur in Palaestinam (7,6-10).

b.) Decreto scilicet regio non solum cum aliis, quicunque vellent, redeundi facultatem obtinuit, sed simul regis aliorumque dona et oblationes in templum deferre atque mosaicae Legis observantiam promovere est iussus (7,10-26);

c.) quare Deo hac de re gratiis actis (7,27. 28) magnum numerum sacerdotum et laicorum congregavit (8,1-14), levitas autem paucos et Nathinaeos, qui secum irent, non sine difficultate invenit (8,15-20). Quibuscum ieiunio ad iter sese praeparavit (8,21-23), thesauros regiaque dona sacerdotibus nonnullis custodienda tradidit (8, 24-30). Iter ingressi Ierosolyma feliciter advenerunt, thesauros in templo consecrarunt, sacrificio oblato sese sanctificarunt, regiumque decretum cum satrapis communicarunt (8,31-36).

B. Populi reformatio relate ad connubia illicita (9,1-10,44).

a.) Esdras, quum rescivisset Iudaeos multos Lege despecta cum gentilibus matrimonia contraxisse, gravissimo dolore afflictus (9,1-5) coram Deo populi peccatum deflevit et misericordiam divinam imploravit (9,6-15).

b.) Iudaeis ierosolymitanis promtitudinem suam ad Esdrae mandata exsequenda promittentibus (10,1-5) integrum populum Ierosolymis congregavit eique praecepit, ut uxores alienigenas dimitterent (10,6-17);

c.) cui praecepto obsecuti sacerdotes, levitae et multi ex populo eas repudiarunt (10,18-44).

II. Reaedificatio urbis et renovatio foederis cum Deo (II. 1,1-12,43).

1. *Urbis reaedificatio* (1,1-7,73).

A.) Urbis reaedificandae permissio a Nehemia petita et obtenta (1,1-2,6).

a.) Nehemia, Artaxerxis pincerna, misero reducum statu audito (1,1-3) vehementer dolens, quod muri Ierusalem dissipati iacerent, supplici oratione ad Deum se convertit (1,4-11),

b.) atque an. 20. Artaxerxis permissionem reaedificandae civitatis a rege impetravit (2,1-6).

B. Murorum civitatis restauratio (2,7-6,19).

a.) Regio decreto munitus, quod parum placuit satrapis Persarum (2, 7-10), Nehemias statim post suum adventum prius statum rerum accurate cognovit (2,11-15), deinde vero Iudaeos adduxit, ut operi manum admoverent (2,16-18), irridentes autem satrapas ad silentium redegit (2,19. 20).

b.) Opus restaurationis diligenter describitur nominatis quum operariis tum operis partibus ab unoquoque susceptis (3,1-31).

c.) Ad finem autem opus perductum non est nisi magnis impedimentis devictis (4,1-6,19).

α.) Etenim hostes externi prius quidem irriserunt Iudaeis laborantibus (4,1-3); quum vero Iudaei divino auxilio confisi alacriter operi insisterent (4,4-6), hostes aperta vi eos impedire conati sunt (4,7. 8); Nehemiae autem vigilantia eorum consilia ad irritum redegit (4,9-15) et Iudaei opus continuarunt una manu operantes, altera gladium tenentes (4,16-23).

β.) Alterum impedimentum exortum est ab avaritia divitum, qua indigentes ad tumultum excitati sunt (5,1-5); severa autem usurae prohibitione Nehemias tumultum sedavit, (5,6-13), suoque exemplo divites ad misericordiam erga pauperes adduxit (5, 14-19).

γ.) Dolo quoque hostes Nehemiam ex urbe elicere conati sunt (6,1-9), neque eis defuerunt auxiliarii Iudaei, qui Nehemiae insidias struerent (6,10-14).

δ.) Quibus omnibus non obstantibus opus ad felicem finem est perductum (6,15-19).

C. Census incolarum ierosolymitanorum (7,1-73).

a.) Aedificatis iam muris prima cura Nehemiae erat, ut ianitoribus custodibusque positis urbem custodiret (7,1-3).

b.) Animadvertens autem urbem pro incolarum numero nimis esse spatiosam, incolas arcessere voluit (cfr 11,1); quam ob causam prius statuit recensendas esse familias urbem incolentium; qua occasione inventus est catalogus eorum qui cum Zorobabele erant reversi (7,4-73).

2. *Foederis renovatio* (8,1-10,39).

a.) In festo tabernaculorum populus ab Esdra petiit, ut publice coram omnibus Legem praelegeret; qui eorum votis obsecutus de mane usque ad meridiem legit (8,1-8); quum vero integer populus lectione illa ad luctum esset permotus, moniti sunt ab Esdra et Nehemia, ut festum cum gaudio celebrarent (8,9-12).

b. Secundo die, quum audissent praecepisse Dominum, ut in tabernaculis die festo habitarent, subito praeceptum exsequi coeperunt (8,13-18).

c.) Festo autem terminato ab alienigenis separati convenerunt, ut de peccatis poenitentiam agerent (9,1,2.), atque postquam per levitas in longa oratione Dei misericordias celebrarunt suamque obstina-

tionem accusarunt (9,3-35) foedus cum Deo renovarunt (9,36. 37).

d.) Qua de re confectum est documentum publicum (9,38), cui subscripserunt Nehemias et optimates et reliqui de populo (10,1-29) spondentes se omnia Dei praecepta observaturos, maxime vero illa, quae de vitandis coniugiis illicitis, de sabbathis, annis sabbathicis, oblationibus, primitiis sancte servandis erant statuta (10,30-39).

3. *Ordinis politici restauratio et dedicatio murorum civitatis* (11,1-12,46).

a.) Quum Ierusalem pro magnitudine sua incolis careret (cfr 7,4), providit Nehemias, ut decima populi pars civitatem sanctam incoleret, reliqui per terram habitarent (11,1-3); enumerantur autem familiae Ierusalem inhabitantes (11,4-25), civitatesque a tribubus Iuda (11,25-30) et Beniamin (11,31-36) occupatae, atque sacerdotes et levitae, qui cum Zorobabele reversi sunt (12,1-9), summi pontifices (12,10. 11), et sacerdotes (12,12-21) levitaeque (12,22-26), qui tempore Esdrae et Nehemiae fuerunt).

b.) Quibus peractis congregati sunt omnes levitae (12,27-29) et postquam populum ipsum et muros civitatis (victimis) mundarunt (12, 30), duo chori gratias agentium circuierunt integrum murum (12, 31-42) et sacrificiis oblatis dedicationem terminaverunt (12,43).

III. Appendix de ultima Nehemiae reformatione post a. 32. Artaxerxis (12, 44-13,31).

a.) Esdras et Nehemias administrationem rerum ad cultum pertinentium (12,44-47) atque separationem populi ab alienigenis (13,1-3) secundum Legis praecepta ordinaverant.

b.) Quum vero Nehemias an. 32. Artaxerxis in Babylonem esset profectus, multi abusus irrepserant. Quos reversus abstulit, sc. relate ad administrationem rerum, quae ad templum pertinebant (13, 4-9), ad decimas, quae levitis competebant (13,10-14), ad observationem sabbathi (13,15-22), et ad matrimonia cum alienigenis (13,23-31).

120. — Quem finem auctor noster prosecutus sit, ex argumento solo, quod tractat, cum aliqua probabilitate coniicere licet. Sicut in libris Paralipomenon, in nostris quoque circa Ierusalem et templum et cultum tota narratio versatur : eandem in iis invenimus genealogiarum frequentiam, eandem cultus divini Legisque sollicitudinem, eandem diligentiam in recensendis illis, quae ad sacerdotes levitasque pertinent; atque tanta est affinitas inter Paralipomena et inter nostros libros, ut moderni non pauci eos non tantum eidem auctori adscribant, sed etiam velut partes eiusdem operis considerent. In Paralipomenis autem conscribendis auctor, quem Esdram fuisse ostendimus (111. p. 283 sqq.), id praesertim intendit, ut narratione eorum, quae magni et pii olim reges in Ierosolymis occupandis et muniendis, in templo priore aedificando et exornando, in cultu divino promovendo et amplificando praeclare gesserant, aequales suos ad aemulationem excitaret et ad eandem

sollicitudinem et diligentiam in urbis, templi, cultus restauratione provocaret[1]. Nostri vero operis auctor, quem eundem Esdram fuisse infra ostendemus (122 p. 363 sqq.), posteros suos narrata restaurationis historia videtur monuisse et provocasse, ut illud, quod primi reduces tot difficultatibus impedimentisque superatis a Deo adiuti magna cum perseverantia effecerunt, eadem cum sollertia conservarent et augerent, neve illud negligentia et socordia sua perderent. Similis igitur procul dubio est Paralipomenon et nostri operis finis, quia simile argumentum similisque tractandi modus; sed simul tam diversus, ut illos errare arbitremur, qui opus nostrum partem quandam Paralipomenon antiquitus fuisse censent; Paralipomena enim *aequalibus* suis, opus nostrum *posteris* proxime destinavit Esdras.

Re enim vera posterorum multo magis, quam aequalium, utilitatem auctorem in nostris libris conscribendis prae oculis habuisse, multi illi, quos refert, catalogi non obscure, ni fallimur, manifestant. Omittimus enumerationem familiarum, quae an. 1. Cyri Zorobabele duce ex Babylonia reversae prima novae reipublicae iudaicae fundamenta iecerant[2]; fieri enim facile potuit, ut ultimis Esdrae annis non amplius omnibus essent cognitae. At nec familiae illae, quae 7. Artaxerxis anno cum ipso Esdra reversae sunt, nec illae, quae Nehemiae aetate Ierosolymis habitabant, nec viri, qui ab Esdra moniti uxores alienigenas repudiarunt, aut illi, qui praeeunte Nehemia in restaurandis civitatis muris operam suam posuerunt, nec civitates, quas praeter Ierusalem reduces occupaverant etc.[3], ab aequalibus potuerunt ignorari. Quapropter iure concludimus Esdram omnium eorum memoriam, qui de restauranda republica bene meriti erant, posteris voluisse transmittere ideoque integrum opus suum non tam scripsisse, ut aequales suos, quam ut posteros doceret et ad aemulationem provocaret.

Huc quoque spectare censemus varia illa decreta, quibus reges Persarum Iudaeis reditum in patriam, reaedificationem templi, restaurationem urbis sanctae permiserunt eosque ad fidelem Legis mosaicae observantiam exhortati sunt. Esdrae enim aequalibus erant cognita; posteris autem ea transmittens Esdras illis et fiduciam in Deum et fidelitatem in Legis observantia commendavit. Luce clarius enim ex eis elucebat Deum populum suum non dereliquisse, sed pristinarum suarum promissionum memorem corda regum ethnicorum ita disposuisse, ut sapientissimos misericordiae suae fines attingeret atque ipsorum ethnicorum ore illis Legem suam inculcaret. Atque illud quoque addere licet, Spiritum S., primarium librorum sacrorum auctorem, variis illis decretis relatis aliud simul intendisse. Etenim primum statim Cyri decretum diserte affertur, ut ex eo cognoscant lectores Deum promissionem suam per Ieremiam de exsilii duratione factam fideliter implevisse; conclu-

dere igitur debebant eadem cum fidelitate Deum reliquas suas promissiones esse impleturum. Inter quas una erat brevi ante exsilii finem data de tempore adventus Messiae, quod a decreto quodam definiverat, urbis reaedificationem permittente. Recte igitur asserere nobis videmur, Spiritum S. relatis illis decretis attentos reddidisse Iudaeos, ut advenientem Messiam facilius et securius cognoscerent. Atque hac ratione ultimus liber, quem Esdras suo canoni inseruit, continuo monuit Iudaeos, ut fideli Legis observantia ad Messiam suum digne recipiendum sese praepararent.

1. Cfrdc Paralipomenon fine *supra* 108 p. 319 sqq.
2. 1 *Esdr.* 2,1-63; 2 *Esdr.* 7,6-65.
3. 1 *Esdr.* 8,1-20; 2 *Esdr.* 11,3-25; — I. 10,18-44; — II. 3,1-33; 11,25-36 etc.

§ 31. — *De origine librorum Esdrae.*

121. — Priusquam inquiramus, quis operis huius sit auctor, nonnulla praemittamus oportet de eius compositione. Namque neminem, qui duos hos libros, quos 1 et 2 Esdrae vocamus, vel obiter legerit, fugere poterit, in illis varia scripta esse coniuncta et quasi coagulata. Alius enim est, qui prima persona utens res anno 2. Darii (a. 520.) gestas narrat (I.5, 4), alius qui res a. 7. Artaxerxis (a. 468.) gestas iterum in prima persona refert (I. 7,27 sqq.), atque alius, qui de rebus an. 20. et 32. Artaxerxis (a. 455. et 443.) etiam prima persona loquitur (II. 1,1 sqq.; 13,6 sqq.). Ultimus enim se ipse Nehemiam, filium Helciae, pincernam regis Artaxerxis, nominat (II. 1,1. 11); alter autem se Esdram sacerdotem esse manifestat (I. 7,12. 28); neuter autem ex iis fuisse potest, qui cum Zorobabele an. 1. Cyri (a. 536) reversi Darii tempore in aedificando templo erant occupati; id quod ipsa temporum ratio satis clare docet. Praeterea non paucos in opere invenimus catalogos, regum satraparumque persicorum epistolas et decreta, quae cuncta ex actis publicis desumta iure dicuntur[1]. Accedit demum, quod haud parva prioris libri pars, quae praeter epistolas et decreta Darii, Artaxerxis et satraparum etiam narrationem continuat, chaldaico sermone sit conscripta (I. 4,8-6,18 et 7,12-26), quodque familiarum, quae cum Zorobabele sunt reversae, catalogus bis referatur (I. 2,1-70; II. 7,6-73). Quae omnia apte non explicantur, nisi auctorem nostrum aliorum scripta in suum opus transumsisse admittamus. Hinc duplex vel triplex quaestio nobis est solvenda : quotnam varia scripta distinguenda sint, quinam eorum sint auctores, quis illa omnia in unum opus compegerit.

Haud facile est dictu, quot variis scriptis libri nostri constent; a certis incipiamus, ut ad minus certa transeamus. Nullum est dubium, quin

Esdras illam prioris libri partem scripserit, in qua prima persona adhibetur (I. 7,27-9,15), neque dubitamus ultimum quoque caput (I. 10,1-44) ei adscribere. Quod enim ibi de Esdra tertia persona adhibeatur, id non creat difficultatem, siquidem in libris sacris et profanis satis frequens est eiusmodi transitus a prima ad tertiam personam et vice versa a tertia ad primam [2]; tam arctus autem est nexus inter duo ultima prioris libri capita, ut illa separare diversisque auctoribus attribuere non liceat. Attamen etiam initium cap. 7. (I. 7,1-11) Esdrae deberi asserimus; id enim etiam ex nexu inter capp. 7. et 8. elucet; laudes vero Esdrae, quae in illa pericope leguntur (« scriba velox [vel peritus] in Lege », « applicuit cor suum, ut investigaret Legem » 7,6. 10) eiusmodi non sunt, quas ipse de se scribere non potuerit. Pro certo igitur tenemus, totius narrationis de secundo exsulum reditu (I. 7,1-10,44) Esdram ipsum esse immediatum auctorem [3].

Neque minus certum est, Nehemiam longe maiorem alterius libri partem conscripsisse. Initium enim libri (II. 1,1-7,73 a) et finis (II. 12, 44 aut saltem 13,1-31), in quibus de se ipso semper prima persona loquitur, ab omnibus ei attribuuntur. Quoniam vero II. 11,1 apte continuat 7,73 a, immo arctissime cum eo cohaeret, etiam 11,1-12,47 sine ullo scrupulo eidem auctori adscribimus. Nehemiae igitur commentarium comprehendisse censemus II. 1,1-7,73 a et 11,1-13,31, quae cuncta de eius rebus gestis agunt. Unica difficultas ex eo exoritur, quod 12,10. 11 successio summorum pontificum usque ad Ieddoa (Iaddus) continuari videatur, quem Alexandri M. tempore pontificatum gessisse scribit *Fl. Iosephus* [4], et quod idem Ieddoa paullo post (12,22) iterum ita commemoretur, ut vix negari possit eum summa dignitate sacerdotali auctoris tempore insignitum fuisse; de levitarum enim descriptione in diebus eius facta loqui videtur sacer textus. Rectissime autem iam respondit *Cornelius a Lap.* aut « hunc versum 11., aeque ac 22., non esse scriptos a Nehemia, sed post eius mortem libro insertos a synagoga vel ab aliquo hagiographo ad ostendendam continuam pontificum successionem usque ad Alexandrum M., a cuius gestis incipiant libri Machabaeorum », aut « Nehemiam vidisse Ieddoa puerum, sed non pontificem » [5]. Neutrum responsum probabilitate sua caret et utrumque difficultatem satis solvit; prius tamen cum plerisque modernis catholicis interpretibus praeferimus.

Revera contextus cap. 12. insertis versibus 10. 11. et 22. 23. interrumpi videtur. Auctor enim, postquam 12,1-7 sacerdotes et 12,8. 9. levitas enumeravit, qui cum Zorobabele reversi sunt, inde a 12,13 viros nominat, qui tempore summi sacerdotis Ioacim (et Esdrae Nehemiaeque 12,26) familiis illis sacerdotalibus praefuerunt (12,13-21), atque similiter inde a 12,24 principes familiarum istarum leviticarum (12,24-26). Optimum igitur

habemus contextum, si vv. 10. 11. 22. 23 omittantur (12,1-9. 12-21. 24-26). Quid vero sibi velit in isto contextu successio summorum pontificum (12, 10. 11), non satis apparet, atque multo minus intelligitur, cui fini inserviant 12,22. 23; praesertim si in illis versibus, id quod multi putant, de quatuor levitarum descriptionibus sermo sit, quas fecerint quatuor summi sacerdotes sibi succedentes. Nam de quatuor illis descriptionibus nihil prorsus traditur; quae enim sequuntur (12,24-25), ad iuniores illos pontifices non pertinent, siquidem v. 26. diserte asserit, viros illos fuisse principes familiarum tempore sacerdotis Ioacim, patris Eliasib[6].

Ceterum si cui religioni est, versus istos a iuniore manu textui sacro insertos dici, nihil vetat quominus ad alterum Cornelii a Lap. responsum recurramus. Nam a.) Ieddoa nec v. 11. nec v. 22. vocatur summus sacerdos; immo v. 22. omnino insinuat, eum non fuisse summum sacerdotem eo tempore, de quo ibi sermo est. Rectius enim versus de unica levitarum descriptione intelligitur. Quomodo enim fieri potuit, ut « Darii Persae » tempore a quatuor pontificibus quatuor descriptiones sint factae? Namque aut intelligendus est Darius Nothus (423-405), et profecto tum temporis Ieddoa, summus sacerdos sub Alexandro (a. 330), non potuit esse pontifex, aut intelligendus est Darius Codomannus (335-330), sub quo Ieddoa quidem, sed nec eius pater nec multo minus eius avus et proavus summam dignitatem tenuerunt. Quapropter de una sola descriptione sermo est, quam auctor parenthetico quodam modo relationi suae de priore descriptione sub Ioacim facta ideo inseruit, quia res ei videbatur memoria digna, quod secunda vice descripti sint levitae, quando in familia summi Pontificis quatuor generationes (pater, filius, nepos, pronepos) simul vivebant. b.) Nehemias quoque Ieddòa, pronepotem Eliasibi, puerum videre potuit. Eliasib enim, qui summus sacerdos fuit a. 20. Artaxerxis (II. 3,1), eadem dignitate videtur esse functus usque ad initium regni Darii Nothi. Quando enim Nehemias secunda vice reversus est in Palaestinam (probabiliter post Artaxerxis I. mortem), summum sacerdotem invenit Eliasibi filium Ioiadam, cuius filius *natu minor* uxorem duxerat alienigenam (II. 13,28); Ioiadae igitur filium *natu maiorem*, qui patri in summo sacerdotio successit, eo tempore iam filios genuisse, inter quos Ieddoa primogenitus erat, nemo addubitabit. Eae igitur sunt chronologicae rationes, ut alterum Cornelii a Lap. responsum sua non careat probabilitate.

Iam ad alias librorum partes transeamus, de quarum origine magis minusve probabilia dumtaxat statuere possumus. In priore libro nonnulla exstant chaldaice conscripta (I. 4,8-6,18), quae num cuncta eidem auctori debeantur, non satis liquet. Parum scilicet videtur probabile, eundem auctorem, qui coaevus Darii I. (cfr I. 5,4) aedificationem et dedicationem templi narravit (4,26-6,18), etiam machinationes narrasse, quibus Iudaeorum hostes tempore Xerxis et Artaxerxis I. restaurationem urbis impediverunt (4,8-23). Hebraici quoque versus, qui chaldaicam relationem excipiunt atque descriptionem primi paschatis

post templi restaurationem celebrati exhibent (6,19-22), a multis tertio cuidam auctori attribuuntur; idque recte, ni fallor, siquidem Darius ibi « rex *Assur* » appellatur (6,22), qui titulus in aliis librorum partibus non usurpatur[7]. Ex tribus igitur diversis operibus particulam (I. 4,8-6,22) desumtam esse arbitramur (4,8-23; 4,26-6,18; 6,19-22), duo autem versus (4,24. 25) a totius operis redactore esse insertos.

Restant tria prima prioris libri capita (I. 1,1-4,7) et tria intermedia alterius (II. 7,73. 6-10,40); quae cuncta ab eodem auctore scripta esse sermonis stylique similitudo docere videtur. Quoniam vero eaedem styli proprietates in illa parte deprehenduntur, quam Esdrae omnes attribuunt, eum istorum quoque capitum auctorem asserere non dubitamus[8].

1. Ex actis publicis desumta sunt decretum Cyri (I. 1,2-4), epistola satraparum ad Artaxerxem (I. 4,9-16) et Artaxerxis responsum (I. 4,17-22), epistola satraparum ad Darium (I. 5,7-17) et Darii responsum (I. 6,3-12), decretum Artaxerxis (I. 7,12-26). Item ex actis desumti videntur catalogi reducum sub Cyro (I. 2,1-70 et II. 7,6-73 a.), genealogia Esdrae (I. 7,1-5), catalogus reducum 7. an. Artaxerxis (I. 8,1-14), catalogus eorum, qui alienigenas uxores duxerant (I. 10,18-43), catalogus eorum, qui renovatum foedus signarunt, atque foedus ipsum (II. 10,1-39), catalogi habitantium Ierusalem, civitatum a reducibus occupatarum, sacerdotum et levitarum tempore summi pontificis Ioacim (11,3-12,26). In sequentibus maxime agemus de reliquis libri partibus.

2. *Daniel* de se ipso loqui incipit tertia persona (1,1-7,2), transit ad primam (7,2-9,27), redit ad tertiam (10,1) et iterum utitur prima (10,2-12,13). Etiam *Ieremias* incipit de se loqui tertia persona (20,1), sed mox transit ad primam (20,7); e contra 28,1 incipit a prima (« dixit *ad me* Hananias ») et immediate post adhibet tertiam (28,5 « *dixit Ieremias* propheta ad Hananiam »). *Thucydides* quoque historiam incipit a tertia persona (I. 1); inde ab I. 20 adhibet primam, IV. 104 redit ad tertiam; primam autem iterum adhibet V. 26 etc. — Facile autem intelligitur, cur Esdras, qui 7,1 de se tertiam personam adhibuerat, relato Artaxerxis decreto (7,12-26) ad gratias Deo agendas excitatus primam personam adhibere incipiat (7,27. 28) et eodem deinde modo pergat. Cur autem post longam suam precationem (9,6-15) tertia persona uti maluerit (10,1 sqq.), certa ratio reddi non potest. Errant vero, qui redactorem a 7,27-9,15 Esdrae commentarium transcripsisse, inde autem a 10,1 eundem commentarium excerpsisse dicunt (*Bertheau* l. c. p. 8); satis fusa enim est narratio, quae sequitur, nec ullum excerpti est vestigium. — Errant quoque, qui 7,1 sqq. ideo ab Esdra ipso scripta esse negant, quia in genealogia nomen patris omittatur; Esdram scilicet putant ob pietatem filialem nomen patris sui non potuisse praetermittere (*Schultz* Esra, Nehemia. Bielefeld 1876. p. 7). At eandem ob pietatem etiam avi, proavi etc. nomina non potuisset relinquere; non satis animadverterunt adversarii, Esdram omnibus membris intermediis omissis statim posuisse nomen ultimi summi sacerdotis, a quo genus duxit, Saraiam, filium Azariae (cfr 1 *Paral.* 7,14).

3. Cfr *Scholz* Einleitung II. p. 470-472; *Herbst-Welte* Einl. II. 1. p. 244; *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 124 aliosque catholicos interpretes. Ex protestanticis cfr *Keil* Chronik, Esra, Nehemia. p. 400; Einl. p. 478; *Rawlinson* The Speakers Comm. III. p. 386 sq. etc.

4. *Fl. Iosephi* Antiquit. XI. 8,4.

5. *Corn. a Lap.* in 2 Esdr. 12,11.

6. Recte monet *Welte* (Herbst-Welte Einl. II. 1. p. 247) : Wenn je in den alttestamentlichen Schriften ein späterer Zusatz sich findet, so werden wir hier einen solchen anzuerkennen haben ». Simili modo *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 128) : « Quant aux versets 10. 11. et 22. 23., ils y ont été ajoutés plus tard, pour la compléter, par une main étrangère ». Etiam *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 253), etsi opus nostrum aetate Alexandri M. compositum esse teneat, versus hos dicit « *unzweifelhaft* in den autobiographischen Bericht des Nehemias eingeschoben ». — Quod si *Danko* (Historia revelationis V. T. p. 517) partem hans integram ideo Nehemiae abiudicat, quia 12,26 auctor « de Nehemia loquatur, quasi a se alieno *et longa iam aetate fatis functo* », plus in verbis invenit, quam exprimunt. Totum catalogum Nehemias ex actis publicis transcripsit; nihil igitur admirationis habet, quod etiam temporis indicatio, quae in illis actis legebatur, transumta sit : « in diebus Nehemiae ducis et Esdrae sacerdotis et scribae ».

7. In aliis partibus reges persici plerumque appellantur *reges Persarum* (I. 1,1. 2. 8; 3,7; 4,3. 5. 7. 24; 6,14; 7,1; 9,9; II. 12,22); semel in parte chaldaica Cyrus et semel in fine secundi libri Artaxerxes appellantur *reges Babylonis* (I. 5,13; II. 13,6).

8. Cfr praesertim *Haevernick* Einleitung II. 1. p. 306 sqq. Nolumus urgere similitudinem sermonis, quippe quae etiam ex eo iam apte explicetur, quod circa idem tempus particulae scriptae sint ideoque identitati auctoris demonstrandae vix inserviat. Attamen sunt expressiones nonnullae, quae illis particulis omnino sunt propriae. Filiorum Israel sex classes distinguuntur « sacerdotes, levitae, de populo, cantores, ianitores, Nathinaei » (I. 2,70; — 7,7; — II. 10,29); ethnici vocantur *populus terrae* vel *terrarum* (I. 3,3; 4,4; — 9,1. 2; 10,2; — II. 9,30; 10,31. 32); Lex vocatur *Lex Moysis, liber legis Moysis* (I. 3,2; 7,6; — II. 8,1. 14; 10,34; idem usus in Paralip.); — expressio הֶעֱבִיר קוֹל (effecit, ut transiret vox i. e. promulgavit) non adhibetur nisi *Exod.* 36,6 et deinde I. 1,1; atque 10,7; et II. 8,15; etc. — Ad I. 1,1-4,7 et I. 7,1-10,44 quod attinet, animadvertas velim, in utraque particula reduces vocari *filios captivitatis* (4,1; — 8,35; 10,7. 16), *viros Iuda et Beniamin* (1,5; 4,1; — 10,9); Deum vocari *Deum Israel* aut *Dominum Deum Israel* (3,2; 4,1. 3; — 7,6; 8,35; quod nomen frequens in *Paral.* non invenitur in aliis iunioribus scriptoribus Dan. Agg. Zach. Nehem.); כְּפוֹר (poculum) non legitur in tota Scriptura nisi 1,10; 8,27 et 1 *Par.* 28, 17; נִשְׁתְּוָן (epistola) non nisi 4,7 et 7,11 etc. Ad similitudinem inter I. 1,1-4,7 et II. 7,73-10,40 quod attinet, attende eodem versu inchoari descriptionem festi tabernaculorum I. 3,1 et II. 8,1; maioris autem momenti est, quod quam plurimae similitudines inveniantur inter I. 9. et II. 9 (cfr I. 9,7. 9. 12. 15 et II. 9,8. 10. 17. 27. 36 etc.

122. — Maior igitur prioris (I. 1,1-4,7 et 7,1-10,44) et non parva alterius libri pars (II. 7,73 b-10,40) ab Esdra immediate sunt conscriptae; at eundem etiam totius operis compilatorem esse censemus. Cui sententiae non leve argumentum suppeditat constans antiquorum Iudaeorum sententia, qui duos hos libros in suo canone coniunxerunt eosque semper Esdrae auctori attribuerunt[1]. Nec quidquam in toto opere deprehenditur, quod ei contradicat; immo vero quaecunque de Esdrae vita et laboribus nobis sunt tradita, eam videntur confirmare.

Namque Esdras (עֶזְרָה, quod nomen ab Origene βοηθός, a S. Hieronymo *adiutor* recte explicatur[2]) e familia Aaronis ac proin sacerdotali digni-

tate insignitus, non tantum post reditum in patriam populo mosaicae Legis observantiam inculcavit (I. 9,1 sqq.), sed praecipua eius cura etiam antea iam fuerat, ut populum Legem doceret. Id enim titulus *Scribae* indicat, qui ei ita fuit proprius, ut ipse Artaxerxes in suo decreto eum « Scribam legis Dei coeli doctissimum » vocaret (I. 7,12). « *Scribam* autem, inquit recte *Buxtorf*, appellant non tam a scribendo, quam ab enarrandis et explicandis iis, quae in Scripturis sacris comprehenduntur. Nam סֵפֶר, *liber*, סוֹפֵר, *librarius*, librorum peritus, interpres et Doctor, Scriba. A nullo autem libro maius nomen lausque maior erat, quam a libro Legis Dei, unde *Sopher* vocabatur *Legisperitus*, qui librum Legis Dei docebat et interpretabatur »[3]. Hanc ob causam ab Artaxerxe electus, ut « secundum sapientiam Dei, quae in manu eius », reduces ad Legem divinam observandam adigeret (I. 7,25. 26), praeprimis magna cum diligentia antiquiores libros sacros collegit, a mendis quae irrepserant, quantum eius fieri potuit, mundavit, in canone apte digessit[4]. Attamen ille, qui magna beneficia olim patriarchis concessa Legemque ab ipso Deo per Moysen datam populo iterum ob oculos posuit, permittere non potuit, ut nova beneficia, quibus Deus populum post captivitatem cumulaverat, oblivioni darentur. Quapropter, sicut brevi post reditum in Paralipomenis antiquam populi historiam ex fontibus superstitibus compendio quodam comprehendit, ita iam grandaevus brevi ante mortem illa omnia, quae sive in actis publicis sive in scriptis privatis de exsulum in patriam reversorum historia et de templi civitatisque sanctae restauratione invenit, in hoc nostro opere collegit illis additis, quae ab aliis erant omissa quaeque ipse gesserat. Hac ratione totius operis origo apte explicatur eiusque etiam indoles intelligitur; etsi enim nec unitas plane desit nec satis idonea singularum partium dispositio, quae omnes eo tendunt, ut fundationis novi status rerum imaginem completam exhibeant, collectanea tamen potius quaedam historica esse videntur, quam elaborata et perfecta historia.

Quae huic nostrae sententiae, qua Esdram totius operis redactorem esse asserimus, a multis modernis interpretibus catholicis et protestanticis opponuntur, ea nec multa sunt nec magni momenti esse videntur et pleraque a nobis iam praeoccupata. Quin enim duo libri Esdrae et Nehemiae unum solum opus constituant, quod uni auctori sit attribuendum, etsi ex variis operibus sit collectum, nemo in dubium vocabit, qui antiquae et constanti traditioni fidem adhibet (**118. n. 1-5 p. 352 sq.**). Neque maiore cum iure rationes chronologicas obiiciunt, qui Esdram auctorem esse negant[5]. Quid de origine versuum **II. 12,10. 11. 22. 23.** probabilius sit sentiendum, supra iam diximus (**121 p. 360 sq.**); at ne is quidem, qui versus istos a iuniore manu operi insertos esse negat, alium auctorem, quam Esdram, admittere cogitur. Namque quum Ied-

doa non nominetur summus sacerdos atque 12,22. 23 de unica levitarum descriptione sit sermo, quae facta sit Darii Persae tempore, tota quaestio est, num vitam suam Esdras usque ad Darii Nothi (423-405) regnum protraxerit. Iam vero, licet de Esdrae annis nihil certi nobis sit traditum, omnes tamen antiqui scriptores tradunt eum ad summam senectutem pervenisse[6]. Nihil ergo impedit, quominus eum vel ipsius Artaxerxis II. Mnemonis (405-362) initia vidisse dicamus; si enim vir circiter triginta annorum 7. Artaxerxis anno (468.) in Palaestinam advenit, centenarius non erat, quando Darius II. est mortuus. Ceterum omnia, quae in libro nostro leguntur, iam c. a. 420. scribi potuerunt, quo tempore Esdras vix octogesimum annum attigerat. — Vix demum memoria dignae videntur duae aliae obiectiones, quod scilicet titulus « regis Persarum » Cyro, Dario I. et II. et Artaxerxi I. attributus tempus indicet, quo Persarum regnum iam interierit, quodque 12,26. 47. Nehemiam iam diu mortuum esse demonstrent, antequam liber noster sit scriptus. Nam cur Iudaeo in Palaestina degenti et scribenti regem, cui populus suus erat subiectus, « regem Persarum » nominare non licuerit, idonea ratio nec redditur nec reddi potest; nonne idem quotidie fieri videmus in omnibus regnis, quae aliorum regnorum provincias vi sibi subegerunt[7]? Num Nehemias ante Esdram, an post illum sit mortuus, non liquet; at parum interest; nam etiam ante Nehemiae mortem, expressione « in diebus Nehemiae » illud tempus designare licuit, quo Nehemias satrapae munere in Palaestina functus erat (12,47); alterum autem versum (12,26) ex publico documento esse transcriptum iam monuimus (121. n. 6). Haec omnia sunt iunioris aetatis vestigia, quae in libris nostris inveniri dicuntur; illa autem non tanti momenti esse, ut antiquam et constantem traditionem de operis nostri origine esdrina convellant, evidens esse arbitramur.

1. *Thalm.* Baba bathra f. 14. Cfr *Fürst* Der Kanon nach den Ueberlieferungen des Thalmud p. 112 sq.; *Marx* Traditio rabbinorum veterrima de librorum V. T. ordine et origine. Lipsiae 1884. p. 53 sq.

2. *Orig.* in Ps. 1 (M. 12,1084); *S. Hieron.* ad Paulin. ep. 53,7 (M. 22,548).

3. *Buxtorf* Tiberias c. 10. Basileae 1620. p. 99.

4. Cfr *Introd. gener.* 21-24. p. 39 sqq.

5. *De Wette Schrader* Einleitung p. 392 haec macedonicae aetatis vestigia invenit (« Spuren der Abfassungszeit [sic] dieser Bücher während der ersten griechischen Zeit »): 1.) 2 *Esdr.* 12,23, si confertur cum v. 10. certo nos ducit usque ad a. 350. a. Chr.; 2.) 2 *Esdr.* 12,22 collatus cum eodem v. 10. iam ad Alexandrum M. nos ducit, cuius aetate Iadduam pontificem fuisse constat ex Fl. Iosepho; 3.) titulus adhibitus « rex Persarum » interitum regni persici supponit; 4.) 2 *Esdr.* 12,26. 47 Nehemiae aetatem diu praeterisse produnt (« blicken auf die Zeit Nehemia's als eine *längst vergangene* zurück »). Eadem enumerant *Reuss* Gesch. des A. T. p. 523; *Naegelsbach* in Herzog P. R. E. Ed. 2. IV. p. 337 sq.; *Schultz* Die BB. Esra Nehemia Esther. Bielefeld 1876. p. 10. aliique.

6. *Fl. Iosephus* (Antiqu. XI. 5,5) Esdram *senem* vitam finisse tradit; secundum aliam traditionem iudaicam mortuus est senex centum viginti annorum (Cfr *Winer* Bibl. Reallexic. Ed. 3. I. p. 349), quam traditionem probabilem vocat *Kaulen* Einl. p. 213.

7. Nonne hodie Poloni Borussiae subiecti de « rege Borussiae » aut Romani regno Italiae subiecti de « rege Italiae » loquuntur?

§ 32. — *De librorum Esdrae auctoritate historica et divina.*

123. — **Auctoritas historica** operis nostri, quippe quod nec magna miracula narret nec de vaticiniis impletis aliisque extraordinariis factis loquatur, a rationalistis vix est impugnata; paucas dumtaxat et leves difficultates nonnulli moverunt. Ac profecto ea est libri compositio et origo, ut quomodo illius auctoritas addubitari possit, vix intelligatur. Longe maior enim eius pars constat documentis, quae ex actis publicis sunt desumta, aut relationibus, quae a testibus ocularibus sunt conscriptae. Documenta (i. e. genealogias, familiarum catalogos, epistolas regum et satraparum) fide esse digna nemo unquam negavit; Nehemiam vero et Esdram illorum, quae aut ab iis ipsis aut saltem iis praesentibus gesta sunt, certam scientiam habuisse nec ullo partium studio in iis referendis ductos esse demonstratione non indiget. Omnia illa, quibus praesentes non adfuerant, documentis allatis fulciuntur; illa, quae de Iudaeorum reducum misero statu, difficultatibus, angustiis atque etiam de eorum negligentia in Legis observatione tradunt, trium ultimorum prophetarum libris confirmantur; illa vero, quae de persica historia scriptores profani narraverunt, cuncta cum libris nostris consonant. Undenam igitur seria obiectio desumatur, non apparet. Attamen opus nostrum pro sacro et divino habetur; ideo ab eo impugnando plane abstinere non potuerunt rationalistae; eorum autem obiectiones paucissimis absolvere licet.

Quod si enim nonnulli asserunt, auctorem machinationes hostium contra *civitatis* restaurationem, quae I. 4,8-23 referuntur, illo in loco posuisse, propterea quod de *templi* reaedificatione in regio decreto sermonem esse putaverit, temere omnino et sine ullo fundamento auctori ipsi errorem aliquorum interpretum attribuunt[1]. — Neque rectius infidelitatis accusatur auctor, quia in exsulum, qui cum Zorobabele reversi sunt, duplici catalogo et in duabus recensionibus donorum, quae primi reduces ad templum reaedificandum contulerunt, satis multae reperiantur differentiae. Saepissime enim in nominibus et numeris describendis iuniores librarios erravisse omnes concedunt; in nostris autem catalogis eiusmodi librariorum errata latere ex eo iam elucet, quod in utroque catalogo eadem ponatur summa reducum, quamvis in

neutro singulorum numerorum additione efficiatur; librarii igitur negligentia accusetur, sed quo cum iure auctoris infidelitas inculpetur, ignoramus[2]. Donorum quoque catalogos ab omnibus librariorum mendis non esse immunes certum est; praeterea animadvertas velim in priore summatim dona indicari, quae in altero enumerantur singula[3]. — Quae omnia, utpote leviora, a plerisque merito negliguntur; maiorem autem censent difficultatem in iis esse sitam, quae de initio restaurationis templi referuntur. Namque auctor ille, qui tria prima capita prioris libri scripsit, iam primos reduces statim post reditum altare erexisse et templi fundamenta iecisse asserit (I. 3,3. 8 sqq.); attamen chaldaicae narrationis auctor docet, non ante 2. annum Darii templum aedificari esse coeptum (I. 5,2. 16), consentientibus iunioribus prophetis Aggaeo et Zacharia, qui omnino supponunt ante 2. Darii annum nihil de templi aedificatione esse peractum[4]. Concludunt ergo adversarii, iuniorem librorum redactorem, quem Alexandri M. tempore vixisse putant, narrationem illam de templi aedificatione sub Cyro inchoata finxisse, neque credere volunt inchoatam templi aedificationem per quatuordecim annos usque ad Darium potuisse interrumpi[5]. Nescio vero, an tertia haec obiectio duabus prioribus non sit levior. Etenim I. 3,10 de *fundatione* quidem templi sermo est, sed cur *aedificatum non sit* templum, ratio iam affertur I. 4,1; e contra I. 5,2 non de fundationis, sed de aedificationis initio sermo fit. Procul dubio etiam intermediis illis annis inter Cyri decretum et Darium non ab omni labore abstinuerant Iudaei, quotiescunque per hostium machinationes licebat; id enim verba indicant satraparum : « ex eo tempore (sc. quo Zorobabel fundamenta posuerat) usque nunc aedificatur » (I. 5,16). At progressus nullos fecerat aedificium; quare non est mirum, quod 2. Darii anno populus quasi desperabundus conquestus sit, nondum venisse tempus aedificandae domus Dei (*Agg.* 1,2) atque a prophetis sit admonitus, ut tandem aliquando operi manum admoveret (*Agg.* 1,7 sqq.). Neque magis est mirum, quod propheta diem illam, qua rem acriter aggressi sunt Iudaei, velut diem fundationis habeat (*Agg.* 2,18). Profecto Cyrus decreto suo, cuius authentia extra controversiam est, Iudaeis ideo in Palaestinam revertendi permissionem concesserat, ut aedificarent templum Domini (I. 1,2. 3); quis ergo crediderit, reduces decreto isto non obstante de templi aedificatione non cogitasse? Erroneae igitur textuum interpretationi tota obiectio innititur, neque difficile est, eiusmodi interpretationibus contradictiones ex omnibus omnino libris historicis extorquere[6].

1. Cfr *supra* 119. Nota p. 354. — Obiectionem hanc movent *De Wette Schrader* Einl. p. 386 sq., *Schrader* in Stud. u. Krit. 1867. p. 475, etc.

2. 1 *Esdr.* 2,1-67 et 2 *Esdr.* 7,6-69. Quod idem catalogus bis in eodem opere recenseatur, certe aliquid habet admirationis; repetitio autem apte explicatur, si Esdras totius operis auctor vel potius redactor et compilator statuitur. Primi enim reditus historiam narrans non potuit reducum catalogum omittere (I. 2), at simul Nehemiae commentarios suo operi inserere volens catalogum illum, quem Nehemias quoque receperat, repetere quodam modo cogebatur. — Antiquiores interpretes multi (Cfr in 2 *Esdr.* 7,5. 6. *Luc. Brug.*, *Corn. a Lap.*, *Emm. Sa*, *Malv.*, *Menoch.*, *Tirin.* etc.) non eundem prorsus catalogum in utroque loco tradi putaverunt, sed « censum populi saepius esse initum et descriptum : *primo* in Babylone, quum inde egressi sunt Iudaei, *secundo* in Ierusalem, quum primum eo appulerunt, tertio quum templum aedificatum sollemni populi concursu dedicatum fuit » (*a Lap.*), ex uno censu Esdram, ex altero Nehemiam suum catalogum descripsisse. Quibuscum fere consentiunt *Calm.* (in 2 *Esdr.* 7,5), *Herbst Welte* (Einleitung I. p. 89), qui Abarbanalem seculi arbitrantur, Nehemiam adhibuisse catalogum antiquum eumque nominibus nonnullis numerisque pro suae aetatis statu mutatis tamquam catalogum census a se instituti retulisse. Quibus explicationibus plerorumque numerorum identitas obstat; fieri enim non potuit, ut in tot tamque numerosis familiis idem plane membrorum numerus per aliquot menses, nedum per multos annos, remaneret. Superfluae quoque sunt explicationes illae ob rationes supra (in textu) allatas. Idem catalogus etiam legitur 3 Esdr. 5,7 sqq.; iam vero in omnibus relationibus eadem ponitur reducum summa (42360), at additio in 1 *Esdr.* 2. efficit : 29818, in 2 *Esdr.* 7 : 31089, in 3 *Esdr.* 5 : 30143; qui numeri parum mutantur, si in 1 et 2 *Esdr.* graecus textus supponitur. Antiquissimo igitur tempore, antequam adornata est graeca versio, aliqua membra exciderunt, et variatio numerorum indicat, in iis aeque ac in variatis nominibus librariorum latere errata. Accuratiorem rei explicationem interpreti relinquimus; nobis viam indicasse sufficit solutionis probabilioris. Cfr *Reinke* Beiträge I. p. 213 sqq.

3. 1 *Esdr.* 2,68 sq.; 2 *Esdr.* 7,70-72. — 1 *Esdr.* summa donorum dicitur fuisse 61000 aureorum, 5000 argenteorum, 100 vestes sacerdotales; 2 *Esdr.* summa singulorum efficit 41000 aureorum, 4000 argenteorum, 597 vestes sacerdotales (et 50 phialas); vix autem non est certum, in v. 70 excidisse vocabulum מָנִים et legendum esse « quingenti argentei et triginta vestes sacerdotales », ut sit summa argenteorum 4500 et 97 vestes sacerdotales; quos summa solida expressit 1 *Esdr.* 5000 argenteorum et 100 vestes. Differentia prima facillime explicatur permutatione literarum, quibus numeri scribebantur : סא (61000) מא (41000).

4. *Agg.* 1,2. 4. 8. 14; 2,12; *Zach.* 1,16; 4,9; 6,12 sq.; 8,9. — Zachariae verba in hac controversia parum recte afferuntur, quia de spirituali templo per Messiam aedificando agunt (1,16; 6,12; 8,9), aut nihil dicunt, nisi Zorobabelem templum fundasse, tempus autem fundationis non definiunt (4,9).

5. Ita praesertim *Schrader* in Studien u. Krit. 1867. p. 460-467; et in *De Wette Schrader* Einl. p. 387; quem approbant *Wellhausen* in Bleek Wellhausen Einl. p. 268; *Reuss* Gesch. des A. T. p. 522. etc.

6. *Reuss* l. c. p. 523 aperte pugnare ait I. 3,4 cum II. 8,17 nec apte componi I. 10 cum II. 13,23. In priore loco omnis contradictionis species disparet, dummodo attendatur ex more hebraico id non factum dici (II. 8,17), quod tanta cum sollemnitate et laetitia non est factum. Ad secundam obiectionem quod attinet, si Esdras a. 7. Artaxerxis Iudaeos permovit, ut uxores alienigenas repudiarent, num triginta circiter annis postea (sc. *post* a. 32. Artaxerxis et probabiliter primis annis Darii II. Nothi) alii Iudaei eodem modo Legem violare non potuerunt?

Invicta igitur stat operis nostri auctoritas historica; DIVINAM autem

eius AUCTORITATEM maxime ex continua Iudaeorum et Christianorum traditione demonstramus. Etenim in Novo Testamento nulla ad nostros libros reperitur allusio, id quod nemo mirabitur, qui eorum maiorem fere partem nudis catalogis et documentis publicis constare animadverterit. Quae autem in deuterocanonicis V. T. inveniuntur, ea certum saltem argumentum non præbent. Plane enim omittenda est narratio de Nehemiae rebus gestis, quae in epistola Iudaeorum ierosolymitanorum (2 *Mach.* 1,18-2,13) legitur, siquidem ex nostro libro non est desumta. Magna tamen cum probabilitate asserimus Siracidam suas laudes Zorobabelis et Iosuae filii Iosedec, qui templum restaurarunt, et Nehemiae, qui « urbis muros eversos erexit et stare fecit portas » (*Eccli.* 49,13-15) ex opere nostro desumsisse; tribus enim illis versibus summum eius argumentum, templi civitatisque restaurationem, comprehendit. Nihilominus rem pro certa asserere non audemus, quoniam Esdram non nominat, cui in cultu sacro restaurando opus nostrum praecipuas partes attribuit, ita ut posteri eum velut alterum Moysen venerati sint [a]. Deficientibus igitur *certis* argumentis scripturisticis ad traditionem recurrat necesse est, qui canonicitatem librorum Esdrae tueri vult. Traditio autem invictum praebet argumentum, quum Iudaeos et Christianos integrum opus nostrum semper in suo canone habuisse testetur; nullus enim reperitur librorum V. T. catalogus, in quo sit omissum. Quibus immorari superfluum est, quoniam a nemine in dubium unquam sint vocata.

De 3 et 4 Esdrae libris, quos aliqui Patres etiam velut divinos venerati sunt, diximus in *Introd. gener.* (Ed. 2. n. 74 p. 215-217).

§ 33. — *De praecipuis commentariis catholicis in libros Esdrae.*

124. — Inter PATRES GRAECOS ne unum quidem commentatorem invenerunt libri Esdrae; nam ipse Theodoretus, qui nonnullas saltem quaestiones de Paralipomenis conscripsit, nostros libros non attigit. Inter PATRES LATINOS autem unum dumtaxat eorum interpretem habemus eumque satis recentem. Nam *Ven. Beda* « in Esdram et Nehemiam prophetas allegoricam expositionem » nobis reliquit, in qua solum fere spiritualem sensum exponit, « quo manifestius pateat, qualiter his, qui vel per negligentiam vel errorem perierant, sit ad poeni-

(a) Antiqua quaedam est rabbinorum opinio, Esdrae deberi illa vaticinia, quae Malachiae nomine inscripta sunt. Si quis illam admiserit, Siracidam dicet eam ob causam Esdrae nomen omisisse, quia de duodecim prophetis iam erat locutus ac proin proprio nomine Esdram iterum commemorare noluerat.

tentiam redeundum ». Hinc etiam factum est, ut *Wal. Strabonis* Glossa ex sola Bedae expositione sit excerpta[1].

Neque maiorem diligentiam MEDIA AETAS in nostris libris explicandis adhibuit, nec quisquam ex tota illa periodo innotuit librorum Esdrae interpres praeter *Card. Hugonem, Nic. Lyranum, Dionysium Carth.* et si quis alius omnes Scripturas commentatus est. Allegoricae enim explicationes, quas in eos composuit *Hugo a S. Vict.*, tam paucae sunt numero et tam leves, ut memoria vix dignae esse videantur[2].

Etsi INDE A SAEC. 16. libri Esdrae ab interpretibus paullo diligentius tractari sint coepti, pauci tamen prodierunt commentarii, qui vere utiles dici possint. *C. Sanctius* et *Hadr. Crommius* brevibus quidem sed bonis notis sensum literalem explicarunt; multo diffusiorem commentarium literalem, moralem, allegoricum debemus *Nic. Lombardo*. Brevissima sunt scholia *Leopoldi Mauschberger*[3], quibus merito praeferuntur scholiastarum illorum, qui integras Scripturas illustrarunt (*Sa, Mariana, Menochius* etc.) adnotationes, nedum *Caietani, Paulutii, Cornelii a Lap., Calmeti* maiores commentarii.

Paucis his antiquioribus NOSTRA AETATE duo accesserunt commentarioli, germanicus per *B. Neteler* et gallicus per *Clair*, qui priora opera nominata non reddunt superflua[4]. Melius de libris Esdrae meruit *A. de Hoonacker* eorum auctoritatem historicam a « criticorum » obiectionibus vindicans; minus felix autem est in chronologia operis stabilienda, de qua etiam tractarunt Imbert, Fl. de Moor etc.[5].

A protestanticis antiquioribus interpretibus libri Esdrae sunt neglecti; nostra aetate autem eos commentariis instruxerunt *F. C. Keil* (1870), *G. Rawlinson* (1873), *F. W. Schultz* (1876), *S. Oettli* (1889), *W. F. Adeney* (1893) etc.; consuli quoque meretur *A. H. Sayce* Introduction to the books of Ezra, Nehemia and Esther (Ed. 3. 1893).

1. *Ven. Beda* In Esdram et Nehemiam allegorica expositio (M. 91,807 sqq.); *Wal. Strabo* Glossa ordin. (M. 113,691 sqq.). — *S. Isidorus Hisp.* quoque tres brevissimas quaestiones de opere nostro conscripsit (M. 83,423 sq.).

2. *Hugo a S. Vict.* Allegor. in V. T. VIII. in ll. Esdrae (M. 175,727 sqq.).

3. *C. Sanctii* S. I. Comm. in ll. Ruth, Esdrae, Nehemiae etc. Lugduni 1628; — *Adr. Crommii* S. I. Comm. in Iob... Esdram, Nehemiam. Lovanii 1632. — *Nicolai Lombardi* S. I. In Nehem. et Esdr. comment. liter., mor., alleg. Parisiis 1643; — *Leop. Mauschberger* S. I. Comm. in ll. Paral., Esdrae, Tobiae etc. Olomucii 1798.

4. *B. Neteler* Die BB. Esdras Nehemias und Esther. Münster 1877; — *Clair* Esdras et Nehemias. Paris 1882.

5. *A. de Hoonacker* Néhémie et Esdras (Louvain 1890), Zorobabel et le second temple (1892), Nouvelles études sur la restauration juive après l'exil (1896); — *Imbert* Le temple reconstruit par Zorobabel (1889); — *Fl. de Moor* Le temple reconstruit par Zorobabel (1890); L'époque de la restauration juive (1895).

SECTIO III.

DE LIBRIS PARTICULARIA QUAEDAM FACTA HISTORIAE ISRAELITICAE NARRANTIBUS.

CAPUT VIII.

DE LIBRO TOBIAE.

§ 34. — *De libri Tobiae textibus, argumento, fine.*

125. — Libros, qui particularia nonnulla facta historiae israeliticae narrant, eo ordine tractabimus, quo sese in canone Tridentino et in Vulgata excipiunt, quia idem quoque est ordo chronologicus, quo res narratae sunt gestae. Nam historia *Tobiae* ad initium captivitatis assyriacae, ad aetatem scilicet regum assyriacorum Salmanassar, Sennacherib et Asarhaddon pertinet; *Iudith* autem Israel defendit ab invasione exercitus regis Asurbanipal, filii Asarhaddonis; *Esther* uxor fuit Xerxis regis Persarum; *Machabaei* demum contra Seleucidas populum suum defenderunt.

A libro Tobiae igitur initium faciemus; priusquam vero de eius argumento dicemus, nonnulla de VARIIS TEXTIBUS, quibus ad nos pervenit, sunt praemittenda[1]. Textum, quem in Vulgata legimus, S. Hieronymus, antequam linguae chaldaicae ipse studuerat, ex chaldaico exemplari adornavit. « Quia vicina est, inquit, Chaldaeorum lingua sermoni hebraico, utriusque linguae peritissimum loquacem reperiens unius diei laborem arripui et quidquid ille mihi hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario sermonibus latinis exposui »[2]. Textus autem ille chaldaicus, quo usus est S. Doctor, interiit; ante paucos tamen annos illius recensio quaedam reperta est in codice aliquo commentarii iudaici in Genesin (Midrasch Bereschith Rabba) at non integra. Etenim commentarii auctor, quum id solum intenderet, ut Tobiae exemplo Deum eos, qui decimas solvunt, esse remuneraturum ostenderet (in *Gen.* 28,22), duo ultima capita omisit et in narrationis decursu nonnulla compendiose reddidit[3]. Integrum igitur textum chaldaicum non amplius possidemus; iure autem supponimus S. Hie-

ronymum eadem cum fidelitate, qua in reliquis libris sacris transferendis excelluit, eademque quoque cum libertate, qua magis « sensum e sensu quam e verbo verbum transferre » consuevit, suum chaldaicum Tobiae exemplar latine reddidisse. Neque enim brevitas temporis, quod huic labori impendit, neque satis mirus, quem adhibuit, transferendi modus contra versionis nostrae fidelitatem iure afferuntur; tam brevis enim est libellus, ut paucis horis peritus interpres illum absolvere possit, praesertim si exercitato notario versionem dictat. Adde ex magna versionis Vulgatae cum Itala similitudine satis apparere, S. Doctorem librum nostrum fere integrum memoria tenuisse, aut exemplar Italae prae manibus habuisse, quando suam versionem exaravit.

Reliquae versiones antiquae et inter se et a Vulgata non in paucis tantum lectionibus, sed in multis locis quam maxime differunt; narratio quidem in omnibus est eadem eademque facta eodem ordine in omnibus referuntur, sed multae sunt in aliis editionibus additiones, in aliis omissiones, in aliis mutationes, ut interpretes eundem textum primigenium satis libere reddidisse videantur.

Tres graecae recensiones nobis sunt conservatae, quae siglis *Gr. A.*, *B.*, *C.* designantur. Ea, quae in plerisque codd. graecis invenitur et in ecclesiae graecae usu quotidiano etiam hodie teritur (*Gr. A.*), omnium brevissima est, atque libri primigenii compendium forte rectius, quam translatio dicitur. Eadem ab *Armeniis* translata est et usurpatur; prior quoque eius pars (1,1-7,8) legitur in *Peschito* atque etiam hebraica illa versio, quae *Hebraeus Fagii* vocatur, ex *Gr. A.* est adornata[4]. Ab illa omnino differt recensio in codice Sinaitico nobis conservata (*Gr. B.*); multo enim fusior et accuratior est, quam reliqui textus omnes[5]. Ex simili textu exorta est latina editio, qua ante S. Hieronymum pleraeque ecclesiae occidentales usae sunt (*Itala*)[6], atque ad illum etiam propius accedunt versio *chaldaica*, quam nominavimus, et altera versio hebraica, quae iam a. 1516. Constantinopoli typis exscripta *Hebraeus Münsteri* vocatur, quippe a quo a. 1542. in Occidente est edita[7]. Denique tertia recensio graeca (*Gr. C.*) in tribus codd. minusculis, sed non integra, exstat (desunt 1,1-6.7), atque inde a 7,9 etiam in *Peschito*, quae in priore parte *Gr. A.* sequitur. Mediam quasi viam tenet inter *Gr. A.* et *B.*, quum priore sit fusior, sed altera brevior. Inter tres illas recensiones graecas *A.* censetur fuisse prima: quia vero non satis accurate librum reddere videbatur, a duobus aliis interpretibus *B.* et *C.* ex primigenio textu est aucta et correcta.

Ut magnam illam versionum et recensionum differentiam explicaret, *Serarius* olim coniecit, Tobiam patrem et filium « operis velut coniunctis chaldaicum commentarium de suis rebus conscripsisse, deinde utrumque separatim hebraicum unum »[8], ita ut tres textus

primigenios haberemus, velut tres fontes praecipuarum recensionum. Hodie autem ab omnibus unus solus textus primigenius recte admittitur, quem hebraicum fuisse tantum non certum est[9]; a variis autem interpretibus maiore minoreve cum libertate translatus et retractatus hodiernarum editionum est fundamentum. Quaecumque autem fuit libertas, qua uti se posse interpretes putabant, eam omnes adhibuerunt fidelitatem, ut substantiam operis non mutarent; quare quatuor illas praecipuas recensiones (*Vulg.*, *Gr. A.*, *B.*, *C.*) omnes pro authenticis admittere non dubitamus. Longo enim ecclesiarum catholicarum usu omnes sunt approbatae: *Vulgatam* inde a saec. 6. adhibet integra ecclesia latina, *Gr. A.* est in continuo usu ecclesiarum graecae et armenae, *Gr. B.* uti ex cod. Sin. elucet in nonnullis ecclesiis graecis olim adhibita est, et latine translata per sex saecula ecclesiis occidentalibus inservivit; *Gr. C.* demum saltem maior pars approbatur usu ecclesiae syriacae[10].

1. Cfr *Reusch* Das Buch Tobias. Freiburg 1857. p. XIX-XLVIII; *Gutberlet* Das Buch Tobias. Münster 1877. p. 6-22; *G. Bickell* in Innsb. Zeitschrift für kath. Theologie. 1878. p. 216-222; 379 sq.; 764 sqq. — Quae tradit *Fritzsche* Exeg. Handbuch zu den Apocr. II. Tobi und Iudith. Leipzig 1853. p. 5-14 et Libri apocryphi V. T. Lipsiae 1871. p. XVI sqq., partim erronea sunt, partim parum accurata.

2. *S. Hieron.* ad Chrom. et Eliod. Praef. in Tob.

3. *Ad. Neubauer* The book of Tobit. A chaldee text. Oxford 1878. — Non immerito editor (p. VII) carpit « the somewhat arbitrary proceedings of the Rabbi who adapted his text to the Midrash », et iure asserit (p. VI) « it has most likely been abridged for adaptation to the Midrash ». Chaldaicus hic textus, licet in genere a Vulg. longius recedat quam a Gr. B., in eo tamen cum illa contra omnes alias recensiones consentit, quod statim a principio de Tobia tertiam personam adhibet, dum in reliquis usque ad 3,6 Tobias senior ipse prima persona loquitur.

4. Hebraica illa versio iam typis impressa erat Constantinopoli 1517., in Occidente autem edita est a *Paulo Fagio*. Isnae 1542.; paraphrastico modo interdum utitur in reddendo *Gr. A.* Exstat in Polyglottis Waltonianis.

5. Textum hunc ediderunt *H. Reusch* (Libellus Tobit e cod. sinaitico. Friburgi 1870.) et *Fritzsche* (Libri apocryphi V. T. p. 109 sqq.).

6. Exstat in *Sabatier* Bibliorum latinae versiones antiquae I. p. 709 sqq. eamque iterum imprimendam curavit *Neubauer* The book of Tobit p. LVII sqq. De aliis recensionibus Italae cfr *Reusch* Das Buch Tobias. p. XXVI sq.

7. Exstat etiam in Polyglottis Walton. IV. Accuratius eam una cum versione anglica edidit *Neubauer* l. c. p. 17 sqq. et XLIV sq. Versionem hanc hebraicam ex chaldaico textu esse factam demonstrat *Bickell* l. c. p. 219. Cfr *Neubauer* l. c. p. XI. « The hebrew text (of Münster) which we publish is a translation from an earlier recension of our Chaldee text, which preserved the more original form... In fact, many omissions and not a few corruptions in our Chaldee text... can be supplied and amended from the Hebrew translation ». Chaldaicum textum ipsum autem ex hebraico (et non ex graeco aliquo) textu esse factum ostendunt *Bickell* l. c. p. 220. 567 et *Neubauer* l. c. p. XIV sqq.

8. *Serar.* In Tob., Iudith, Esth., Mach. Comm. Moguntiae 1599. p. 3.

9. Cfr *Bickell* l. c. p. 219, *Neubauer* l. c. p. XIV sq.; *Gutberlet* l. c. p. 23 sqq. Antequam variae libelli recensiones bene innotuerant, *Welte* (Spezielle Einl. in die deuterokanon. Bücher. Freiburg 1844. p. 74 sq.), *Reusch* (l. c. p. XVI) etc. primigenium textum chaldaicum fuisse arbitrati sunt; alii immerito graecum textum dixerunt primigenium (*Iahn* Einl. II. p. 900; *Ackermann* Introd. p. 341).

10. *Gutberlet* (l. c. p. 14 sqq.), qui optime de variarum versionum inter se relatione disseruit, omnes quatuor relationes authenticas quidem esse censet, *Vulgatam* autem praeferendam, si dogmaticam maxime partem spectas, *Gr. B.*, si narrationis elegantiam quaeris.

126. — Quibus praemissis ad LIBRI ARGUMENTUM transimus, quod inscriptione consueta Βίβλος λόγων Τωβίτ (*Pesch.* Liber rerum Tobit), accuratius autem codicum nonnullorum titulo *liber utriusque Tobiae* indicatur. Tobiae enim, pii cuiusdam Israelitae in captivitate assyriaca degentis, eiusque filii homonymi[a] atque nurus Sarae fata enarrantur, qui in adversa fortuna Deo fideliter adhaerentes magnis beneficiis ab eo cumulari meruerunt. In ANALYSI nostra, quam pro more subiicimus, Vulgatae textum sequemur, iis solis adnotatis, quae a reliquis omnibus textibus ignorantur. Tres autem partes apte nobis videmur distinguere, in quarum prima (1,1-3,25) Tobiae senioris et Sarae pietate et adversa fortuna descriptis singularis fiducia celèbratur, qua a Deo solo auxilium petunt; secunda et praecipua pars (4,1-12,22) precum istarum exauditionem narrata iunioris Tobiae historia demonstrat; tertia (13,1-14,17) epilogus quidam est, in quo senior Tobias de obtento auxilio Deo gratias agit.

I. TOBIAE SENIORIS ET SARAE PIETAS, ADVERSA FORTUNA, SPES FIRMA IN DEUM (1,1-3,25).

1. *Tobiae senioris vita pia* (1,1-3,6).

a.) Tobias e tribu Nephthali ortus, quamquam regnum Israel incolebat, a puero tamen Legem mosaicam fideliter observabat filiumque suum in eadem Lege educabat (1,1-10).

b.) Cum uxore et filio a rege Salmanassar captivus Niniven abductus a lege non defecit, sed (regis emtor factus) eundi quocunque vellet

(a) In textu hebr. Fagii pater et filius eodem nomine טוֹבִיָּה (bonus est Dominus) appellantur, idemque obtinet in Vulgata, quae diserte monet patrem filio *suum* nomen imposuisse (1,9). Quo monito omisso reliqui textus patris et filii nomina distinguunt solumque filium vocant *Tobiam*. Patrem vero *Chald.* et *Hebr. Münsteri* vocant טוֹבִי (*bonum meum* sc. est Dominus). *Graeci* autem Τωβείθ (*Sin.*). Τωβείτ (Vat. et Pesch.), Τωβίτ (codd. plerique); in *Itala* alii codd. habent Thobis vel Tobis, alii Tobi. Iam Τωβίτ et Tobis formam hebr. טוֹבִית (*bonitas* sc. Domini) videntur supponere. Etsi igitur formae nominum patris et filii differant, eorum significatio tamen est eadem; quare recte asseruit Vulgata patrem filio suum nomen imposuisse. Etiam avi nomen quoad sensum idem fuerat *Tobiel* (bonitas Dei). Nomen Tobiae non infrequens fuit apud Israelitas 2 *Paral.* 17,8; 1 *Esdr.* 2,60; 2 *Esdr.* 2,10; 4,1; *Zach.* 6,10. 14.

facultate usus est, ut concaptivos consolaretur adiuvaretque (1, 11-15); uni autem ex eis, Gabelo in Rages civitate Medorum exsulanti, quem egentem videbat, magnam pecuniae summam sub chirographo dedit (1,16. 17).

c.) Post Salmanassaris mortem, quum filius eius Sennacherib Israelitas opprimere coepisset, Tobias eos consolari et adiuvare non cessavit (1,18-20); maximam autem pietatem exhibuit erga contribules suos post cladem, quam in Palaestina Sennacherib accepit: Israelitas enim, quos multos occidit tyrannus, pius vir sepelivit; quare rex eum ad mortem quaesivit, ita ut omnibus spoliatus Tobias cum uxore et filio fugere et latere deberet, donec Sennacherib a filiis suis interfectus est (1,21-29).

d.) Initio regni Asarhaddonis Tobias in domum suam reversus (1,25) mortuos sepelire non destitit; sed quum semel hac pia occupatione defatigatus iuxta domus parietem obdormisset, hirundinis stercore oculis privatus est (2,1-11). Quam probationem permisit Deus, ut Tobias ad instar Iobi fieret exemplar patientiae invicto animo amicorum et parentum irrisiones perferens (2,12-18)[a].

e.) In aerumnis quoque Deo adhaerens ab uxore ipsa opprobriis affectus (2,19-23) ad Deum ardenti oratione sese convertit obtestatus, mortem sibi meliorem esse quam vitam (in opprobriis peractam) (3,1-6).

2. *Sarae aerumnae et preces* (3,7-23).

a.) Eadem die, qua Tobias senior ab uxore, Sara opprobriis affecta est ab ancilla propterea quod septem viri, quibus data erat uxor, prima nuptiarum nocte a daemonio essent occisi (3,7-10).

b.) Qua de re contristata Sara quoque ardenti oratione Deum precatur, ut sibi mortem potius immittat, quam vitam (in opprobriis) concedat (3,11-23)[b].

3. *Exauditae autem sunt preces Tobiae et Sarae et angelus Raphael missus est, qui eis auxilium afferret* (3,24-25).

II. Quomodo angelus Raphael Tobiae seniori et Sarae auxilium attulerit (4,1-12,22).

1. *Raphael iuniori Tobiae socium itineris sese offert* (4,1-5,28).

a.) Tobias senior, quum se brevi moriturum putaret, filio suo pietatem erga matrem, Legis observantiam, eleemosynae utilitatem commendavit (4,1-20) eumque monuit de pecuniis a Gabelo recuperandis (4,21-23).

b.) Interrogantem filium, quomodo eas recuperare possit, iubet socium itineris quaerere (5,1-4); quaerenti autem sese offert angelus Raphael (5,5-8), qui annuente patre cum filio iter ingreditur (5,9-22), parentibus tristibus remanentibus (5,23-28).

(a) Tota haec comparatio Tobiae et Iobi (2,12-12) in reliquis textibus desideratur.

(b) Ultima orationis pars (3,19-23) omnibus aliis textibus deest, qui eodem modo, quo in precatione Tobiae, vitam in opprobriis peractam morte graviorem esse declarant, dum *Vulgata* utroque in loco de opprobriis plane silet.

2. *Raphael iuniorem Tobiam in itinere custodit efficitque, ut Saram uxorem ducat* (6,1-9,12).

a.) In itinere Tobias hortante angelo piscem invadentem in ipsum apprehendit eiusque cor et fel et iecur edoctus ab angelo ad medicamenta reservat (6,1-9).

b.) (Appropinquantibus iis Ecbatana) angelus monet Tobiam, ut Saram sibi uxorem petat; timentem iuvenem edocet, quid facto sit opus, ut daemonium fuget et securus virginem uxorem sumat (6, 8-22)[c].

c.) Monitis angeli obsecutus Tobias a Raguele filiam Saram uxorem sibi petit (7,1-10) et impetrat (7,11-20); iecore piscis deinde daemonium fugat (8,1-3) et pia precatione una cum uxore ad matrimonium sese praeparat (8,4-10)[d].

d.) Parentes Sarae, qui timuerant ne Tobiae eadem sors, quae septem prioribus maritis, obtingeret (8,11-15), maximo gaudio repleti, quod incolumis esset servatus, gratiis Deo actis (8,16-19) magna cum sollemnitate per quindecim dies nuptias celebrant (8,20-24); angelus autem interea, rogatus a Tobia, in Rages profectus a Gabelo pecunias recuperat (8,1-7) Gabelumque ipsum ad nuptias adducit (9,8-12)[e].

3. *Raphael Tobiam ad parentes reducit caecoque seni visum restituit* (10,1-12,22).

a.) Interea Tobiae parentes longa filii absentia in luctu erant (10,1-7); quod quum filius non ignoraret, a Raguele se retineri non est passus, sed accepta uxore et dote eius domum reverti properat (10, 8-13).

b.) Relictis in via uxore et familia Tobias, ut citius parentes consoletur, cum angelo domum revertitur (11,1-4), ab illisque cum gaudio receptus[f] secundum monitum angeli oculos patris felle piscis sanat (11,5-17); adveniens autem Tobiae iunioris uxor gaudium auxit (11,18-21).

c.) Patri et filio de praemio, quod comiti nondum cognito darent, consultantibus (12,2-4) Raphael se angelum Dei esse manifestat et disparet (12,5-22).

III. Epilogus (13,1-14,17 continet)

1. *hymnum*, quo Tobias senior Deo gratias agit de beneficiis a Deo acceptis futurumque Ierusalem novi splendorem praedicit (13,1-23) et

2. brevem relationem de utriusque Tobiae morte (14,1-17).

127. — « Liber sancti Patris Tobiae, inquit *Ven. Beda*, in super-

(c) Ea, quae Vulg. tradit de causa, qua daemonium potestatem accipit in homines (6,16. 1,7) non exhibent reliqui textus, nec quidquam habent de *trium* dierum continentia (6,18. 20. 21).

(d) Quae 8, 4. 5 de tribus noctibus dicuntur, exsulant ab aliis textibus.

(e) Alter stichus 9,12 desideratur in aliis editionibus.

(f) Quae Vulg. 11,9 habet de cane, « qui praecucurrit et blandimento suae caudae gaudebat », desunt in aliis omnibus textibus.

ficie literae salubris patet legentibus, utpote qui maximis vitae moralis exemplis abundet et monitis »[1]. Illustrem profecto divinae providentiae exhibet demonstrationem; clarissime enim docet, Deum servos suos fideles, qui in ipsum sperant et ab ipso solo auxilium quaerunt, aerumnis quidem interdum probare, sed nunquam derelinquere, e contra vero aliquoties etiam iam his in terris exercitium virtutis remunerari, atque « diligentibus Deum omnia cooperari in bonum ». Quae tam aperte tota narratione docentur, ut ea praecipue auctorem lectoribus suis inculcare voluisse plane sit evidens. Quare opus non est, ut alium LIBRI FINEM quaeramus.

Utique moderni nonnulli interpretes negata libri auctoritate historica, quam statim demonstrabimus, alios sibi fines excogitaverunt; at longa refutatione eorum sententiae non indigent. Quod si iudaicus ille interpres, qui narrationem nostram in suum Midrasch Bereschith recepit, eam adhibuit[1], ut fidelem decimarum redditionem et eleemosynam Deo acceptam esse demonstraret[2], recte quidem haec doctrina ex libello nostro colligitur, sed integrum eius finem non constituit. — Multo minore cum iure duos modernos rabbinos secutus docet editor textus chaldaici, id praesertim intendisse auctorem, ut mortuorum sepulturam commendaret[3]. Licet enim Tobias propter hoc caritatis opus laudetur atque sibi ipsi quoque honestum sepulcrum exoptet, secundarium tamen locum haec omnia occupant. Longe frequentius eleemosyna commendatur[4], quam mortuorum sepultura, quae ipsa ideo tantum commemoratur, quia singularem viri erga proximos amorem manifestavit et proxima occasio ultimae eius calamitatis fuit. — Arctioribus quoque limitibus finem auctoris circumscribere videntur, qui eum dicunt Iudaeis in dispersione degentibus inculcare voluisse fidelem Legis observationem et continuum commercium cum Ierusalem eiusque templo[5]. De solis enim dispersis Iudaeis non est sermo, sed omnibus omnino Israelitis commendatur pietas erga Deum; neve obiiciatur Tobiam ipsum satis clare hunc finem arctiorem indicare[6]; nam eodem in loco primum omnes filios Israel alloquitur pius senex, ac deinde sese ad captivitatis socios convertit, qui, licet inter gentes et in aerumnis degant, etiam Deum confiteri iubentur.

1. *Ven. Beda* in Tob. Prooem. (M. 91,923).

2. Cfr introductionem interpretis chaldaici, qui historiam affert ad *Gen.* 28,22 « cunctorum, quae dederis mihi, decimas offeram tibi ».

3. *Neubauer* The Book of Tobit p. XVI secutus *Graetz* Geschichte der Juden. Ed. 2. IV. p. 466 et *Kohut* Jüdische Zeitschrift. 1872. p. 70 sqq.

4. *Tob.* 2,16. 22; 4,7. 11 sq.; 9,9; 12,8 sqq.; 14,11.

5. *Ewald* Gesch. des Volkes Israel IV. p. 233 sq.; cfr *De Wette Schrader* Einl. p. 581 etc.

6. *Tob.* 13,3. « Confitemini Domino *filii Israel*, et in conspectu gentium laudate

cum, quoniam ideo dispersit vos inter gentes « etc.; sed cfr v. 10. « Benedicite Dominum omnes electi eius » etc.

§ 35. — *De libri Tobiae origine et auctoritate.*

128. — Quaestioni de libelli nostri origine praemittamus oportet alteram DE HISTORICA AUCTORITATE eius, quippe a qua prior dependeat. Protestantes, qui librum Tobiae e canone eiectum apocryphis adnumerant, cuncti historicam fidem ei denegant; atque alii quidem integram narrationem existimant esse poeticam fictionem, cui nihil omnino veri subsit, alii verum factum ab auctore poetico modo exornatum esse statuunt poeticisque ornamentis omnia ea adnumerant, quae parum illis placent[1]. Inter catholicos quoque sunt, qui historicam narrationis auctoritatem aut historicum libri characterem addubitent[2]; tam pauci autem sunt, ut unanimem esse catholicorum consensum de libelli indole et fide vere historica sine ulla haesitatione asseramus. In omnibus enim catalogis catholicis librorum sacrorum medius inter historicos ponitur, atque catholici interpretes, qui librum explicarunt, difficultates ab adversariis contra narrationis veritatem allatas eadem cum diligentia solverunt, qua reliquos libros historicos vindicarunt[3]. Idque iure merito.

Namque veram historiam auctorem tradere *voluisse*, integer liber satis clare docet. Accurate enim nobis refert genus, ex quo exortus est Tobias, patriam, in qua natus est, aetatem, qua vixit; quam plurimae, praesertim in longiore textu (*Gr. B., Ital., Chald.*), sunt notae historicae, genealogicae, chronologicae, geographicae, quae ad finem, quem auctorem habuisse adversarii nostri supponunt, nihil prorsus conferunt, ab iis vero, qui historiam scribunt, afferri solent. Quae quum ita sint, auctorem, si narrationem integram aut ex parte finxisset, impudentem impostorem dicere cogeremur[4]. Iam vero tam gravis criminis scriptorem qualemcunque accusare nemini licet, nisi gravia afferat argumenta, quibus accusationem suam demonstret; atqui sola argumenta, quae adversarii afferunt, sunt miracula nonnulla, quae illis incredibilia esse videntur, et difficultates quaedam historicae, quae quid valeant statim videbimus.

Porro auctorem narrationem hanc ideo finxisse supponunt adversarii, ut aliquem finem ethicum prosequeretur; at non satis attendunt hac nostra narratione, si conficta est, nec decimarum redditionem, nec misericordiam erga pauperes, nec mortuorum sepulturam nec aliam quamcunque virtutem, quam pro fine libri statuunt, commendari potuisse. Si enim verum non est, Deum angelum suum misisse, ut Tobiae seniori et Sarae auxilium afferret, Tobiam iuniorem in itinere custodiret etc.,

immo si secundum rationalisticos nostros adversarios illa omnia vera esse nulla ratione possunt, profecto nemo ficto illo atque impossibili miraculo ad bonam aliquam actionem permovetur. Quem unquam prudentem fabula mythologica ad agendum impulit? At si ex vera hac narratione didicerimus Deum, ut fideles suos servos adiuvaret, etiam unum ex principibus coelestibus in hanc terram misisse, ad maiorem eius fiduciam excitamur, certissime sperantes eum nos quoque non esse derelicturum, dummodo eum ne relinquamus[5].

Tota igitur libri indoles historicum eius characterem demonstrat. Quod si quis vero obiiceret, librum Iob etiam esse fictionem poeticam, neque tamen quemquam dubitare, quin aptissimus sit ad nos docendos, exhortandos, consolandos, praeprimis negaremus historiam Iobi esse meram fictionem[6], atque secundo loco magnam intercedere differentiam inter libellum nostrum et librum Iob moneremus. Qui, quum maiorem partem dialogis constet, quibus divina providentia in permittendis aerumnis iustorum vindicatur, aptissime finem suum didacticum assequeretur, etsi quis Iobum fuisse personam historicam negaret. Tota autem doctrina libelli nostri in ipsa narratione continetur, nec quidquam tibi remanet, si eam veram esse negaveris. Itaque in libro Iob poetici illi dialogi simili quadam ratione, qua parabolae Domini, nos instruunt et exhortantur; verum si aut integram nostram narrationem aut miracula, quibus Deus Tobiam et Saram adiuvat, inter fabulas amandas, ipsum didacticum quoque libri characterem una cum historico destruis.

1. *Lutherus* videtur primus fuisse, qui dubitaret, an libellus verae historiae narrationem an poeticam fictionem exhiberet (Praef. in l. Tob. » Ist's ein Geschicht, so ist's ein fein heilig Geschicht; ist's aber ein Gedicht, so ist's auch ein recht schön, heilsam, nützlich Gedicht und Spiel eines geistreichen Poeten »; alibi narrationem appellat « eine feine, liebliche, gottselige Komödie ». Cfr *Keil* Einl. p. 734). Crescente heterodoxorum aversione a libris deuterocanonicis simul crevit eorum aversio ab historica narrationis veritate, ita ut hodie de sana mente eius fere dubitent, qui verum factum narrari censeat : « Es gehört schon ein ziemlicher Mangel an Verständniss sowohl für das Wesen der Geschichte, als für das der Dichtung dazu, um nicht sofort einzusehen, dass wir es hier lediglich mit einer didactischen *Erzählung* zu thun haben. Die wirkliche Geschichte mag hiezu einiges Material geliefert haben..., aber die Erzählung als solche ist *ohne Zweilfel* eine freie Schöpfung ihres Verfassers « (*Schürer* in Herzog P. R. E. I. p. 502). Similiter *Ewald*, *Fritzsche*, *Kleinert*, *de Wette Schrader*, *Strack* (Einl. Ed. 4. 1895 p. 152), *Cornill* (Einl. Ed. 3. 1896. p. 269) etc. narrationem pro mere paraenetica habent; *Ilgen* tamen, *Keil* (Einl. 1873. p. 743), *Koenig* (Einl. 1893. p. 478) historicum saltem eius fundamentum concedunt.

2. *I. Iahn* (Einl. p. 896 sqq.) difficultates, quibus historica libri veritas impugnatur, affert quidem, sed eas solvere suum non esse asserit. — Poetice exornatam esse veri facti narrationem censent *Dereser-Scholz* (Die h. Schrift II. 3. p. 12), *Movers* in Wetzer Welte Kirchenlexicon. Ed. 1. I. p. 481. — Novam sententiam proposuit *Ant. Scholz*, qui libros Tobias, Iudith, Esther narrationemque de Bel et dra-

cone pro apocalypsibus habet, quum non describant praeteritorum hostium pugnas contra Israel sed futuram pugnam finalem diaboli contra regnum Dei. (*A. Scholz* Comm. z. B. Tob. 1889; cfr *eiusdem* Comm. z. B. Iud. Ed. 2. p. XXXVIII).

3. Cfr ex recentioribus catholicis *Welte* Einl. in die deuterokan. BB. p. 84 sqq. et Kirchenlex. Ed. 1. XI s. v. Tobias; *Scholz* Einl. p. 574 sqq.; *Reusch* Das B. Tobias d. VI. sqq.; *Gutberlet* Das B. Tobias p. 27 sqq.; *Vigouroux* Manuel II. p. 132 sqq.; *Danko* Hist. revel. V. T. p. 369; *Haneberg* Gesch. der bibl. Offenb. p. 502; *Zschokke* Hist. sacr. V. T. p. 245; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 257 sq. et Wetzer Welte Kirchenlex. Ed. 2. I. p. 1496 sq.; *Holzammer* Handb. der bibl. Gesch. Ed. 4. I. p. 692; *Schenz* Einl. p. 319; *Fl. de Moor* Le livre de Tobie. Paris 1895. p. 9 sqq. etc.

4. Licet parabolae, in quibus « exempla proponuntur, nomina tacentur » (*S. Chrys.*), usitatissimae essent Israelitis, narrationes tamen ad modum romanensium nostrarum fabularum confictas eis ignotas fuisse iure asseritur. Quare plerique Patres et antiqui interpretes narrationem de Lazaro et divite meris parabolis adnumerare noluerunt (Cfr *Maldon.* in Luc. 16,19 sqq.). « Quid illic Lazari nomen, inquit *Tertullianus* (De anima 7. M. 2,756), *si non in veritate res est?* »; atque *S. Ambros.* In Luc. 16,19 (M. 15,1768) : « Narratio magis quam parabola videtur, *quando etiam nomen exprimitur* ». Simili modo ex Iobi nomine argumentantur Patres veram historiam in libro narrari; rectius autem nos eodem argumento utimur, quum non nudum Tobiae nomen ponatur, sed tota narratio vere historico modo proponatur.

5. Recte monet *Reusch* l. c. p. VII auctorem, si ficta historia finem suum assequi voluisset, eiusmodi res narrare debuisse, quae secundum *ordinarium* providentiae ordinem contingere possint atque contingant. Cfr etiam *Gutberlet* l. c. p. 33.

6. Cfr *infra* 176; *Knabenbauer* Comm. in l. Iob p. 16 etc.

129. — Quod si cui argumenta nostra dubitationi cuidam locum relinquere videantur, is dubitare, opinor, desinet, quamprimum difficultates, quibus historicus libelli character impugnatur, examini subiecerit. Illas merito silentio praetermittimus, quae utpote leviores a modernis adversariis ipsis spernuntur. Olim quidem nomina propria omnia fictionem iam probare dicebantur, quippe quae studiose sint excogitata et efformata, ut etymologica sua significatione mores et fata exprimerent personarum, quibus attribuebantur[1]; sed argumento hoc non minus erroneo quam ridiculo nihil effici omnibus est persuasum. Paucissimi quoque hodie sunt, qui ex similitudine, quae inter Iobum et inter Tobiam invenitur, concludunt nostram narrationem ex illis, quae de Iobo narrantur, esse effictam, aut qui tantam esse similitudinem asserunt inter Tobiae senioris et Sarae casus, ut in rerum veritate non inveniatur[2]. Procul enim dubio similitudo quaedam quum inter Iobi et Tobiae tum inter Tobiae et nurus eius sortem invenitur; omnes enim tres non obstante sua pietate non paucis malis a Deo sunt afflictati et postquam in adversa quoque fortuna fideles Deo adhaeserunt, praemia virtutis iam his in terris sunt adepti. Sed num haec tam rara sunt, ut auctor libelli nostri ea ex solo libro Iob discere potuerit? Ubinam autem remanet similitudo, si singula examinas, si mala ipsa trium istarum personarum, causas calamitatum, modum, quo eas pertu-

lerunt, rei exitum etc. inter se comparas? Si adversariorum argumentum valeret, neminem unquam praeter Iobum diceremus a Deo calamitatibus esse afflictum et in adversa fortuna fidelem esse inventum. Neque magis opus est, ut tertio argumento inhaereamus, quod aliqui proferunt; scilicet rei, quae in libello nostro narratur, alium testem nos non habere nisi librum nostrum ipsum; a nullo iuniore scriptore eam commemorari; id autem valde esse mirum, quum res iam antiquitus accidisse dicatur et digna sit, quae memoriae prodatur[3]. Valde mirum profecto est, quod hodie omnia inter fabulas amandare iubeamur, quorum non duos saltem vel tres testes antiquos citare possumus. Ruthae historia, opinor, etiam est antiqua et certe etiam digna, quae memoriae prodatur; attamen eam prorsus ignoraremus, nisi in unico libro Ruth nobis esset conservata; quid quod nomen eius, quamvis esset ex maioribus David, in reliquis V. T. libris ne semel quidem inveniatur, in N. T. autem semel tantum in genealogia Domini repetatur (*Matth.* 1,5)? Quot alia facta, sive sacra sive profana, historici nostri ex operibus suis eradere cogerentur, si novum istud et mirum argumentum inter eos invaleret! Sed his et similibus nugis potius quam argumentis praetermissis difficultates illas proponemus, quibus alii in nostro libello veram quandam historiam poetice exornatam esse, alii integram narrationem confictam esse demonstrare volunt.

1. *Bertholdt* Einl. p. 2494 sq. « Die meisten vorkommenden Namen sind offenbar bedeutsam, und können daher (!!!) keine historischen Personen bedeuten ». Scilicet mater Tobiae senioris vocatur Debbora (דְבוֹרָה, *apis*), quia magna cum sollicitudine filium suum educavit, Gabeli nomen (Γαβαήλ, גַבָּאֵל, *tergum Dei!!*) indicat illum virum fuisse, cui Tobias pecuniam suam concredere potuerit; filius fratris Tobiae vocatur Ἀχιάχαρος (1,21 sq. *Gr.*), quia erat « secundus post regem » אחיאחרון « frater meus est secundus »; at אחרון non est *secundus*, sed *ultimus*) etc. Cfr etiam *Davidson* Introd. III. p. 369, qui tamen non affert, nisi nomina Tobi, Tobiae, Raphael.

2. *Bertholdt* l. c. p. 2495; *Eichhorn* Einl. in die apocr. Bücher p. 402; *Davidson* l. c.; *Iahn* Einl. p. 897 etc.

3. *Fritzsche* Handbuch. II. p. 15 « Zuerst nämlich steht diese Erzählung geschichtlich durchaus isolirt, *wir haben dafür dieses Buch und weiter nichts;* nirgends in alter Zeit eine Beziehung auf diese doch jedenfalls bedeutsame Begebenheit... Nun soll aber die Sache in so früher Zeit vorgefallen sein, dass man billig im Laufe der Iahrhunderte eine wenn auch nur auf traditionellem Wege vermittelte Bezugnahme darauf erwarten sollte ». Ruth vixit sex vel septem saeculis ante Tobiam.

130. — Nonnulla dicunt narrari, quae fieri non potuerint et a vera religione absona sint. Etenim « vera esse non possunt, inquiunt, quae de angelo Raphaele Tobiae iunioris in itinere comite narrantur, nam similia nec in V. nec in N. T. libris leguntur, etsi in illis sermo sit de apparitionibus angelorum. Neque ea defendi possunt, quae de Asmodaeo referuntur (3,8. 17; 6,7. 14. 16 sq.; 8,2 sq., *Gr.*). Etsi non impossibile, parum tamen credibile

est, *utrumque* oculum Tobiae senioris laesum esse stercore cadente (2,10), et quis ea crediderit, quae de pisce dicuntur (6,2-5)? Tota demum agendi, loquendi, orandi ratio Tobiae ad Iudaismum iuniorem, qui totus in operibus legalibus gaudebat, est efformata »[1].

Facile quidem concedimus in reliquis libris sacris non narrari, angelum aliquem homini per multos dies socium se adiunxisse; at num omnia miracula bis terve accidere debent, antequam credibilia fiant? Adversarii, quos hoc loco impugnamus, nobiscum veras angelorum apparitiones admittunt; non negant Abrahamum tres angelos in convalle Mambre hospites recepisse eosque versus Sodomam euntes esse comitatum (*Gen.* 18); neque negant Lotum per angelos, quos hospites receperat et contra Sodomitas defenderat, ex civitate esse eductum (*Gen.* 19) etc. Iam vero haec exempla certe sunt *similia* iis, quae de Raphaele et Tobia narrantur, atque unica fere differentia in diuturnitate apparitionis sita est. Si vero ex diuturnitate possibilitatem miraculorum diiudicemus oportet, concedamus Deum semel vel bis Israelitis in deserto peregrinantibus aquam ex rupe dedisse, sed negemus eundem Deum per quadraginta annos quotidie manna dare potuisse. Ceterum haec diuturna angeli cum iuvene conversatio et continua eius in toto itinere protectio et salutaria monita, quae iuveni tradit etc, tam ad vivum nobis repraesentant munus illud, quod Angeli Custodes erga homines exercent, ut mirari nemo possit, Deum in Raphaele, Tobiae comite et custode, nobis ob oculos voluisse ponere, quanta sit cura, qua nos per angelos ducit et protegit.

Illa, quae de Asmodaeo referuntur, nullam creant difficultatem, dummodo caveamus, ne iuniorum rabbinorum commenta et fabulas in textum nostrum ingeramus. Asmodaeus[2] enim, daemon impurus, septem priores maritos ob eorum, ut videtur, libidinem occiderat (6,16 Vulg.), unde fama exorta est, illum Saram diligere, « quia non nocebat cuiquam nisi accedentibus ad eam » (6,14 Gr.). Ab angelo autem edoctus Tobias Saram uxorem duxit, atque (triduana continentia et) oratione ad matrimonium consummandum sese praeparavit (5,18; 8,4 Vulg.), simulque iecore piscis incenso daemonem fugavit (6,7. 16 sq.; 8,2), quem angelus in superiore Aegypto ligavit (8,3). Daemonem Saram revera dilexisse, *auctor* libri non asserit, sed Tobias iunior id concludit ex eo, quod audierat aliquos dicentes daemonem occidisse viros illos[3]. Quaerenti autem quomodo fieri potuerit, ut iecore piscis incenso daemon fugaretur, respondemus cum *Estio* « ita placuisse Deo, ut per haec corporalia tamquam per instrumenta quaedam supranaturaliter operaretur in fugandum daemonem, quemadmodum per sacramenta Ecclesiae daemoniorum cohibetur potestas, et maxime per baptismum »; atque addemus cum *Corn. a Lapide*: « Completa causa abigens daemonem fuit Raphael angelus, qui ad suffitum iecoris propter merita et orationem Tobiae fugabat daemonem »[4]. Quod autem Asmodaeus in deserto Aegypti ligatus dicitur, id nihil est aliud, nisi « eius potestatem nocendi ab angelo esse cohibitam atque frenatam », uti *S. Augustinus* explicat, eique longe a populo electo certum locum ita esse assignatum, ut extra eum potestatem suam non amplius exerceret[5].

Quaenam difficultas in eo sit, quod *uterque* Tobiae oculus stercore cadente laesus esse dicatur, non intelligimus, neque magis, cur creditu sit difficile, piscem praegrandem pedi iuvenis inhiasse, ita ut subito terrore perculsus iuvenis timuerit, ne ipsum devorare vellet[6], ab angelo autem confortatus eum apprehenderit et in terram traxerit. Cuiusnam speciei fuerit ille piscis et cuius generis, num naturales an supranaturales virtutes cordis, iecoris, fellis eius, inquirunt interpretes; sed nihil profecto in tota hac narratione de pisce legitur, quod respui possit ab eo, qui miraculorum possibilitatem admittit.

Ultima demum obiectio refutatione non indiget; tota enim Tobiae agendi loquendi orandi ratio ea est, quae ab omnibus non approbari nequeat; operibus enim mere externis Tobiam pharisaico modo non esse gavisum integrum opusculum docet.

1. Ita *Keil* Einl. p. 734; cfr *Iahn* Einl. p. 896 sq. — Contra quae recte iam monuit rationalista *Fritzsche* (l. c. p. 14) : « Auf streng biblisch-supranaturalem Standpunct hindert der Character der Erzählung selbst nicht sie als reine Geschichte aufzufassen. Wie anderwärts im alten und neuen Gottesreich sind auch hier die Fügungen und Verknüpfungen wunderbar und zu den betreffenden Stellen lassen sich so ziemlich durchgehends entsprechende Parallelen aus kanon. Schriften beibringen ». Quapropter omnium miraculorum etc. possibilitate negata Fritzsche historicum libelli characterem evertere conatur.

2. Nomen *Asmodaei*, אשמדי (in text. chald. אשמדאי) aptissime a rad. hebr. שָׁמַד (*perdidit*) derivatur; *perditor* enim aeque apta, ac *Satan* (*adversarius*), est mali daemonis appellatio. Similis radix (*aschmud*) eadem significatione invenitur in lingua assyriaca (*Schrader* Keilinschr. u. A. T. Ed. 2. p. 234. 236). Superfluum igitur fuit explicationem nominis in lingua zendica quaerere : *Aëschma daêva* = « cupidus daemon » (*Windischmann* Zoroastr. Studien ed. Spiegel. Berlin 1863. p. 144), quae explicatio etiam parum est apta; etsi enim unus ex daemonibus vocatur *Aëschma* (cupidus), compositio tamen *Aëschma daêva* (cupidus daemon) non invenitur, et vocabulum *daêva* non potest abbreviari — *dai*. Ineptior autem est altera etymologia proposita : *Aëschma daô* (cupidus sciens, vel uti arbitrario explicant : sciens cupienda vel creans cupienda). Quid iuniores rabbini de Asmodaeo fabulentur cfr in *Eisenmenger* Entdecktes Iudenthum I. p. 351 sqq. etc.

3. *Tob.* 6,14 (*Gr. B.* consentiente *A.* et *It.*) : καὶ ἤκουσα λεγόντων τινῶν, ὅτι δαιμόνιον ἀποκτέννει αὐτούς· καὶ νῦν φοβοῦμαι ἐγὼ τὸ δαιμόνιον, ὅτι φιλεῖ αὐτήν, καὶ αὐτὴν οὐκ ἀδικεῖ, ἀλλ' ὃς ἂν θελήσῃ ἐγγίσαι αὐτῆς ἀποκτέννει αὐτόν. Sed *Vulg.*, *Chald.*, *Hebr.* ne de hoc quidem rumore vel de hac iuvenis opinione loquuntur.

4. Cfr *Est.* in Tob. 8,2; *Corn. a Lap.*, *Serar.*, *Sanct.* in eund. text.

5. *S. August.* de Civ. Dei XX. 2 (M. 41,668) Cfr *Apoc.* 20,2; 2 *Petr.* 2,4; *Iud.* 6. — Fuse et egregie post antiquiores interpretes quaestiones has de Asmodaeo tractaverunt *Reusch* in Tüb. Quartalschr. 1856. p. 422-445, et praecipue *Gutberlet* Das Buch Tobia p. 191 sqq. 204 sqq. 225 sqq.

6. *Tob.* 6,3 (*Gr. B.*) καὶ ἀναπηδήσας ἰχθὺς μέγας ἐκ τοῦ ὕδατος ἐβούλετο καταπιεῖν τὸν πόδα τοῦ παιδαρίου; *Ital.* « et exsilivit piscis de aqua magnus *et circumplexus est pedes eius : paene puerum devoraverat* »; *Gr. A.* καὶ ἐβουλήθη καταπιεῖν τὸ παιδάριον; *Vulg.* « exivit ad devorandum *eum* »; *Chald.* et *Hebr. M.* « devoravit *panem* iuvenis ». Cfr de hac lectionum varietate *Bickell* Innsb. Zeitschr. 1878. p. 765, qui eas explicat ex supposita lectione primitiva ויאב ללהם רגל הנער, quam lectionem exprimit

Gr. B., dum *Gr. A.* vocabulum רגל omisit, eoque omisso *Chald.* alio modo vocabula distinxit. (Forte pro לַלְהַם, quum Kal להם ab Hebraeis non usurpetur, melius legitur לְלַהֵם, quae vox versionem chald. melius explicat).

Cum profana historia pugnare aiunt alii, quod Tobias a Salmanasar (1,2. *Vulg. Ital. et Chald.*) vel ab Enemessar (1,2 *Gr. A.* et *B*) in captivitatem abductus dicatur, quia tribus Nephthali, ex qua erat oriundus, iam a Teglathphalasar in Assyriam translata sit (4 *Reg.* 15,29); item quod Sennacherib vocetur filius Salmanasar (1,18 *Vulg.* etc.) vel Enemessar (1,18. *Gr.*), quia eum Sargonis filium fuisse constet; item quod Ninive a Nabuchodonosor et Assuero (14,15 *Gr. A.*) vel Achiacharo (*Gr. B*; Achicar *Ital.*) capta narretur, siquidem a Cyaxare deleta sit; demum quod Rages urbs Mediae iam assyriaca aetate exstitisse supponatur, licet teste Strabone a Seleuco Nicatore sit aedificata[7].

Quibus difficultatibus solvendis inserviet praenotasse, in nominibus propriis libelli nostri transcribendis librarios sive satis magnae oscitantiae et negligentiae sive praepropero cuidam corrigendi pruritui indulsisse atque nominibus parum cognitis magis cognita substituisse. Quae merito asseri elucet ex nominum diversitate in omnibus textibus. Ipsius Tobiae senioris nomen tribus vel quatuor diversis modis redditur; Raguelis uxor in *It.* et *Vulg.* vocatur Anna, in aliis textibus Edna; in Vulgata nostra (3,7) sine ullo dubio legendum est Ecbatana pro Rages etc. Ita etiam pro Salmanasaris nomine, quod in plerisque textibus legimus, cum graecis recensionibus restituendum censemus *Enemesar*, quod nomen idem esse atque Sargon Bickell probabiliter exposuit[8]. Sargon autem bellum contra regnum Israel a Salmanasare inchoatum terminavit, etsi Samaria ipsa, id quod 4 *Reg.* 17,6; 18,10 insinuant, iam sit capta ante Salmanasaris mortem[9]. Quibus suppositis duæ primae difficultates disparent. Etenim quamquam Teglathphalasar tribum Nephthali in captivitatem abduxerat, nemo prudens tamen admittere recusabit, nonnullos Nephthalitas ab eo in terra esse relictos aut transportationem subterfugisse, quos post integram regni Israel destructionem Sargon (Enemesar), quum colonos Cuthaeos in Israel vellet adducere, in Assyriam et civitates Mediae transtulit (4 *Reg.* 17,6); inter hos autem, qui priorem transportationem effugerant, Tobias fuit, qui iure igitur ab Enemesar (Sargon) in Assyriam translatus dicitur. Sargonis autem (Enemasaris) filius erat Sennacherib.

Neque maiorem difficultatem creant duae reliquae obiectiones. Ninive enim capta est et deleta a Medorum rege Cyaxare, quem solum nominant Gr. B. (Ἀχιάχαρος ὁ βασιλεὺς τῆς Μηδίας) et *Itala* (Achicar rex Medorum). Una cum Cyaxare autem Assyriam impugnavit et destruxit Nabopalasar, rex Babyloniae, pater Nabuchodonosoris. Verum librariis, qui *Gr. A.* transcripserunt, nomina ista erant incognita, quare illis alia magis cognita substituerunt: Assuerus et Nabuchodonosor. *Rages*, urbs Mediae, demum iam in inscriptione quadam Darii Hystaspis nominatur; Seleucidis ergo multo antiquior est, ac revera Strabo urbem istam non a Nicatore aedificatam, sed reaedificatam et novo nomine Europi donatum scribit.

7. Cfr *Iahn* l. c. p. 897 sq.; *Davidson* l. c. p. 369 sq.; *De Wette-Schrader* Einl. p. 580 sq. etc.

8. *Bickell* (Innsb. Zeitschrift 1878. p. 220 sq.). Sargon in inscriptionibus vocatur *Sarru-Kinu* cuius *k* in hebr. *g* transiit (cfr *Schrader* Keilinschr. u. A. T. p. 392), ita ut fuerit *Sarru-ginu* vel cum terminatione nominis indeterminati *Sarru-ginum* (rex est firmus). Nomina autem componentia interdum locum suum mutant (cfr *Adra-Chasis* in inscriptionibus, *Chasis Adra* vel Xisuthros apud Berosum), unde *Sarru-Ginum* = *Ginum Sarru*, quod nomen, si a vocalibus abstrahimus, idem est ac Enemasar, praesertim quia in nominibus alienigenis Hebraei pro *g* etiam ע adhibent. Alteram difficultatis solutionem praebet *de Moor* Livre de Tobie p. 26 sqq.

9. Cfr de quaestione, utrum Samaria ante Salmanasaris mortem sit capta, an post eam *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes IV. p. 137 sqq. et *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive I. p. 509 sqq.

131. — Historico libelli charactere demonstrato sua sponte multae evanescunt hypotheses, quae hac nostra aetate DE EIUS ORIGINE sunt propositae. Erronee enim supponentes narrationem arbitrario esse confictam, ut aut solutio decimarum aut misericordia erga pauperes aut mortuorum sepultura aut nescio quae alia virtus lectoribus commendetur et inculcetur, interpretes nonnulli magna cum diligentia inquisiverunt, cuinam aetati finis ille, quem libello affinxerant, aptius conveniret; atque mirabile dictu nonnemo eum non nisi 3. saeculo *post Chr.* compositum dicere non dubitavit, eo sc. tempore, quo primus Sasanidarum, Ardeschir I., occupato throno persico lege lata prohibuit, quominus mortui sepelirentur. Vix minus absurde alter libelli originem aetati Hadriani attribuit, nullo alio argumento nixus, nisi quod imperator ille post occupationem civitatis Betar Iudaeos, qui in defendendo suo Pseudo Messia Bar Cocheba ceciderant, sepeliri vetuerat (135 p. Chr.)[1]. Similibus argumentis alii utuntur, qui eum aut 1. aut 2. aut 3. saec. a. Chr. exortum putant[2].

Quibus omissis ea statuemus, quae probabiliora esse censemus; certi enim nihil traditum nobis est. Iam vero in omnibus relationibus, Vulgata et Chaldaea exceptis, Tobias senior in primis capitibus (1,1-3,6) vitam suam narrans prima utitur persona; quapropter, quoniam veram historiam narrari demonstravimus, priorem hanc partem Tobiae ipsi auctori attribuamus oportet. Nec obstat, quod in Vulg. et Chald. tertia persona sit adhibita; concinnitatis enim cuiusdam studio ductos S. Hieronymum et chaldaicum interpretem, qui in altera parte tertiam personam de patre adhiberi viderunt, etiam in priore parte eam adhibere voluisse, satis clarum est. Vix enim quisquam concedet, reliquos interpretes, si in toto libro tertiam personam adhibitam vidissent, concinnitate neglecta in solis tribus capitibus tertiam personam in primam proprio Marte mutasse. Illud quoque animadvertas velim, utriusque Tobiae multa facta intima et particularia referri, quae iis

solis cognita erant. Atque accedit, quod uterque hanc historiam scribere ab angelo sit iussus (12,20 *Gr.*, *Ital.*, *Hebr. Münst.* et *Fagi*), nec ullo pacto credere licet, eos huic mandato non obtemperasse. Si vero immediate postea Tobias senior hymnum suum actionis gratiarum scripsisse dicitur (13,1. *Gr.*, *Ital.*), id sane non probat, eum reliqua non scripsisse; *Hebr.* enim eum omnia scripsisse dicit. Quibus omnibus id demonstrari arbitramur, Tobiam seniorem ipsum commentarios de suis ipsius filiique fatis reliquisse, qui forte ab uno ex eius posteris in istam formam, quam hodie possidemus sunt redacti. Integrum utique librum, qui patris et filii mortem in fine commemorat, ab iis ipsis non esse conscriptum, manifestum est. Nihil vero impedit, quominus eum ante exsilium babylonicum prodisse dicamus. Neve obiiciatur, Esdram libellum nostrum, si ante eius aetatem esset conscriptus, procul dubio in canonem recepisse. Quoniam Tobias enim eiusque posteri in Assyria exsulabant, facile fieri potuit, ut Esdrae in Babylonia et in Palaestina degenti non innotuerit libellus ideoque non nisi post eius mortem a Iudaeis sit receptus[3].

1. *Kohut* in Geiger's Iüdische Zeitschrift 1872. p. 70 sqq. — *Graetz* Gesch. der Iuden. Ed. 2. IV. p. 466; *Neubauer* The book of Tobit p. XVII. — Etiam *Hitzig* (in Hilgenfeld's Zeitschr. 1860. p. 253 sq.) ex 14,3 cfr 13,10 sq. 16 sq. concludit, Ierosolyma eo tempore, quo liber scriptus est, fuisse deserta; ideo eius originem ponit post a. 70. p. Chr.; sed cfr de istis textibus *Gutberlet* Das B. Tobias p. 333 sqq.

2. Iuxta *Fritzsche* (Schenkel's Bibellex. V. 543) libellus non ante initium 1. saec. a. Chr. scriptus est; iuxta *Cornill* (Einl. Ed. 3. p. 270) intra an. 120. et 20. a. Chr.; iuxta *Koenig* (Einl. p. 478) haud diu ante Herodem; iuxta *Ewald* l. c. versus finem imperii persici, medio fere saec. 4. a. Chr. etc.

3. Ex recentioribus catholicis *Aug. Scholz* (Einl. II. p. 563), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 261), *Vigouroux* (Man. bibl. II. p. 134), *Zschokke* (Hist. sacr. p. 246), *Gutberlet* (l. c.), *Gillet* (Tobie Iud. Esth. p. 5), *de Moor* (l. c. p. 5 sq.) etc. utrique Tobiae libellum deberi probabile habent; *Welte* vero (Einl. in die deuterokanon. BB. p. 83) illum post exsilium babylonicum prodisse arbitratur atque *Reusch* (D. Buch Tob. p. XV.) auctorem commentarios Tobiae adhibuisse probabile censet, sed de ipsius auctoris aetate nihil statuit; *Schenz* Einl. p. 364 auctorem dicit Esdra esse recentiorem, sed genuina scripta utriusque Tobiae adhibuisse; *Danko* Hist. revel. V. T. p. 367 sq. nihil aliud probabilibus argumentis demonstrari censet, nisi librum esse exsilio babylonico antiquiorem.

132. — Liber noster a Iudaeis palaestinensibus in canonem non est receptus, licet non parva auctoritate apud eos sit gavisus, id quod duplex eius hebraica versio et usus chaldaicae versionis in Midrasch Bereschith demonstrant[1]. A Protestantibus quoque inter « apocryphos » recensetur; at in Ecclesia catholica semper pro canonico est habitus, quare iure merito Tridentini Patres illum inter canonicos enumeraverunt. Quoniam in historia canonis V. T. narranda Tridentini Concilii

decretum iam vindicavimus[2], vix opus est, ut positivis argumentis DIVINAM AUCTORITATEM libri Tobiae demonstremus; ne vero officio nostro deesse videamur, saltem primorum Patrum testimonia praecipua hoc quoque loco afferemus, atque deinde difficultates, quae ex libri argumento contra eius canonicitatem desumuntur, brevissime tractabimus.

Inter Patres apostolicos nostro libello certissime usus est *S. Polycarpus* in sua ad Philipp. epistola, quae haud diu post S. Ignatii martyrium conscripta anno 120. non est recentior[3]. Ad eandem saltem aetatem alterum ascendit testimonium, quod in homilia illa legitur, quae vulgo sub titulo *S. Clementis Rom.* 2 Cor. allegari solet; si vero epistolae de Virgin. genuinae sunt, id quod multi non spernendis rationibus nixi tenent, iam 1. saec. libellus noster in ecclesia romana adhibitus esse demonstratur[4]. Exeunte saec. 2. in Oriente pro divina Scriptura a Patribus adhibebatur; in ecclesia alexandrina *Clemens Alex.* diserte eum Scripturam vocat, eodemque titulo eum saepius allegat *Origenes*[5], quorum exemplum secuti sunt *S. Athanasius M.* aliique iuniores Patres alexandrini[6]. In Occidente *S. Cyprianus* satis frequenter eum una cum aliis libris sacris velut divinam auctoritatem affert; *S. Hilarius* de angelis disserens post Apoc., Deut., Evang. etiam nostri libelli testimonium citat; *S. Ambrosius* integrum tractatum de eo habuit etc.[7]. Ceterum saeculis primis inter Christianos tam vulgatus erat, ut in hypogaeis aliisque antiquitatis christianae monumentis imago Tobiae sit una ex illis, quae frequentiores inveniantur[8]. Immo teste S. Irenaeo etiam gnostica Sethitarum secta librum nostrum inter propheticos habuit[9].

1. Iudaeorum sententiam de libri Tobiae exposuimus in *Introd. gener.* Ed. 2. p. 61 sq.; cfr opera ibi allegata.

2. Cfr *Introd. gener.* nn. 33-53 Ed. 2. pp. 72-153.

3. *S. Polyc.* ad Philipp. 10 : « Quum possitis benefacere, nolite differre, quia *eleemosyna de morte liberat* (*Tob.* 4,10; 12,9); cfr etiam *Doctr. duodec. Apost.* 4,6, ubi de eleemosynarum ad redimenda peccata utilitate agitur.

4. Ad eandem quoque doctrinam de eleemosynarum utilitate (*Tob.* 12,8. 9) respicit *S. Clem. Rom.* 2. Cor. 16.

Καλὸν οὖν ἐλεημοσύνη ὡς μετάνοια ἁμαρτίας· κρείσσων νηστεία προσευχῆς. ἐλεημοσύνη δὲ ἀμφοτέρων· ἀγάπη δὲ καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν, προσευχὴ δὲ ἐκ καλῆς συνειδήσεως ἐκ θανάτου ῥύεται. Μακάριος πᾶς ὁ εὑρεθεὶς ἐν τούτοις πλήρης· ἐλεημοσύνη γὰρ κούφισμα ἁμαρτίας γίνεται.

Ἀγαθὸν προσευχὴ μετὰ νηστείας καὶ ἐλεημοσύνης καὶ δικαιοσύνης. Ἀγαθὸν τὸ ὀλίγον μετὰ δικαιοσύνης ἢ πολὺ μετὰ ἀδικίας. Καλὸν ποιῆσαι ἐλεημοσύνην ἢ θησαυρίσαι χρυσίον. Ἐλεημοσύνη γὰρ ἐκ θανάτου ῥύεται καὶ αὕτη ἀποκαθαριεῖ πᾶσαν ἁμαρτίαν. Οἱ ποιοῦντες ἐλεημοσύνας καὶ δικαιοσύνας πλησθήσονται ζωῆς.

S. Clem. de Virg. 1,10 « superbia, quae vocatur mors » *Tob.* 4,14 (13) ἐν τῇ ὑπερηφανίᾳ ἀπώλεια.

5. *Clem. Alex.* Strom. VI. 12 (M. 9,324) ἐπακούσας τῆς λεγούσης Γραφῆς· Ἀγαθὸν νηστεία μετὰ προσευχῆς (*Tob.* 12,9). Cfr Strom. I. 21; II. 23 (ἡ Γραφὴ δεδήλωκεν εἰρηκυῖα·

Ὃ μισεῖς, ἄλλῳ οὐ ποιήσεις *Tob.* 4,16 *Gr.*) M. 8,853. 1089. — *Orig.* de orat. 11 (Γραφή *Tob.* 3,24 et 12,12. 15) 14 (*Tob.* 3,1) 31 (*Tob.* 12,12) M. 11,448. 461. 553; cfr ad Afric. 13 (M. 11,80) « Ecclesiae Tobia utuntur ».

6. *S. Athan. M.* Apol. c. Arian. 11; Apol. ad Const. 17 (M. 25,268. 616) : « sicut scriptum est » *Tob.* 12,7; 4,19. — *Didym. Alex.* de Trin. III. 15 (M. 39,864) allegat *Tob.* 4,16 *Gr.* medium inter *Luc.* 18,22 et *Rom.* 12,17, adnectitque alios evangelicos textus velut verba dominica. — *S. Chrysost.* sine ulla haesitatione librum nostrum in sua Synopsi refert (M. 56,360 sq.).

7. *S. Cypr.* De mortal. 10; De eleem. 5. 20; De bono patientiae 18 (M. 4,588. 606. 617. 634); Testim. c. Iud. I. 20 (*Tob.* 12); III. 1 (*Tob.* 2,2 et 4,5-11); 62 (*Tob.* 4,12) M. 4,689. 728. 729. 767 etc. — *S. Hilar.* in Ps. 129,7 (M. 9,722); cfr etiam in Ps. 118. ב. 6 (M. 9,513). — *S. Ambros.* incipit suum librum de Tobia (M. 14,759) his verbis : « Lecto *prophetico* libro, qui inscribitur Tobias, quamvis plene vobis virtutes *sancti prophetae Scriptura* insinuaverit, tamen compendiario mihi sermone de eius meritis recensendis et operibus apud vos utendum arbitror, ut ea, quae *Scriptura* historico modo digessit latius, nos strictius comprehendamus ». Reliquorum Patrum graec. et latin. testimonia cfr in *Introd. gen.*

8. Cfr *Heuser* in *Realencyclopaedie* für christl. Alterth. II. p. 871 sq.

9. *S. Iren.* c. haer. I. 30,11 (M. 7,701).

Difficultates, quae contra libri nostri canonicitatem afferuntur, nec multae sunt nec magni momenti. Operae pretium vix est, ut angelum Raphaelem, quum se Azariam, Ananiae magni filium, ex filiis Israel diceret, mentitum non esse demonstremus [10]. Quia enim angelus speciem externam viri alicuius assumserat eumque proin repraesentavit, iure sibi eius nomina attribuere potuit; idque eo magis, quoniam nomina haec etiam ipsi angelo, si ad eorum significationem attendimus, quam optime conveniunt. Azariam enim, i. e. « auxilium Domini » (עֲזַרְיָה) utrique Tobiae et Sarae sese exhibere debuit et exhibuit; filius autem fuit « bonitatis Domini » (חֲנַנְיָה), atque utpote filius Dei adoptivus etiam frater fuit reliquorum filiorum Dei adoptivorum, i. e. filiorum Israel, et cum iis, quorum cura ei erat commissa, tam arcto caritatis vinculo coniunctus, ut cum iis unam familiam constitueret (« ex filiis Israel » vel « ex fratribus tuis ») [11].

Ea, quae de Asmodeo traduntur, nullo modo aut cum sana ratione aut cum revelata doctrina pugnare, *supra* (129 p. 382) iam ostendimus; at integram libelli nostri angelologiam reliquis V. et N. T. libris contradicere atque originem suam ex Parsismo traxisse nonnulli heterodoxi asserunt [12]. Qua in obiectione nihil aliud verum est, nisi nonnulla de angelis ex libro Tobiae nos discere, quae ex aliis libris, praesertim antiquioribus, aut non cum eadem claritate aut omnino non cognoscuntur. Quam apte vero haec nostri libri doctrina de angelis cum priore ista cohaereat, ut eam elucidet augeatque atque novas de eadem revelationes in N. T. tradendas praeparet, Patres iam viderunt et theologi exponunt, qui omnes nova illa, quae sacer noster auctor affert,

velut pretiosissimas revelationes gratissimo animo receperunt[13]. Singula evolvere nec huius loci est nec nostri muneris; id unum inquiremus, quid Parsismi accusatio contra libri nostri doctrinam prolata valeat. Iam quicunque sinceri sunt adversarii, fateantur oportet eam unico textus nostri vocabulo inniti, nec quemquam de Parsismo locuturum fuisse, nisi vocabulum illud legeretur; reliqua enim levissime proferuntur eumque solum in finem studiose sunt quaesita, ut argumentum ex illo vocabulo desumtum utcunque confirmaretur. Scilicet angelus Raphael se « unum esse ex *septem*, qui adstant ante Dominum » asserit[14], in Parsismo autem etiam inveniuntur *septem* Amschaspand seu maiores spiritus. Perbelle profecto argumentum! Adversarios interrogare quidem possumus, quomodo demonstrent, auctorem nostrum ex Parsismo potius quam fundatorem Parsismi ex nostro libro suam doctrinam hausisse; omnes enim libri, qui in Parsismo sacri habentur, satis recentis sunt originis; illa vero, quae maxime cognita est, Parsismi forma aetate Sasanidarum i. e. 3. p. Chr. saec. non est antiquior, nec ullum Parsismi documentum ultra Darii Hystaspis aetatem ascendit. Interrogare quoque possumus, quomodo probent lectionem *septem* esse genuinam, quippe qua careant *Gr. C.*, *Syr.*, *Hebr. Münst.* Sed omissis illis effugiis negare malumus praetensam illam doctrinae nostrae cum Parsismo similitudinem. *Septem* quidem Amschaspand agnoscit Parsismus; septenarium autem numerum efficit bono suo principio (Ormazd) *sex* spiritus ab illo creatos adnumerans; non *septem* igitur, sed *sex* maiores spiritus ministri sunt Ormazdi. Adde sex illorum spirituum munera ita esse distincta, ut unus igni, alter aquae, tertius terrae, quartus metallis, quintus plantis, sextus animantibus (hominibus et animalibus) sit praepositus; quid igitur simile habet eorum munus cum munere septem angelorum, qui adstant ante Dominum » (Vulg.) vel « qui offerunt sanctorum preces et ingrediuntur in conspectu gloriae sancti » (*Gr. A.*), vel « qui adstant et ingrediuntur ante gloriam Domini » (*Gr. B.*)[15]? Sed pauca haec sufficiunt; satis enim demonstrasse nobis videmur nihil in libello nostro legi, quod divinitus revelatum esse non possit; omnia autem revelata esse constat ex canonicitate libri, quam Ecclesia traditione divina et apostolica nixa nos docet.

10. Ita post antiquos haereticos etiam moderni *Keerl* Die Apocryphen des A. T. p. 51; *Davidson* Introd. III. p. 369; *Fritzsche* l. c. p. 48 sq. etc. Mirum quod etiam *Iahn* Einl. p. 896 difficultatem hanc moveat.

11. Cfr *Serar.* Comment. p. 88 aliosque interpretes antiquiores; ex recentioribus *Reusch* l. c. p. 53 sqq.; *Gutberlet* l. c. p. 157 sqq.

12. Ita *Fritzsche* l. c. p. 61; *Kohut* in Geiger's Iudische Zeitschr. 1872. p. 70 sqq. etc. Cfr etiam *Iahn* l. c.

13. Cfr quae de hoc argumento *Serar.* aliique interpretes in Tob. 12. tradunt.

14. *Tob.* 12,15 *Vulg.* — *Gr. A.* « unus ex septem sanctis angelis, qui offerimus orationes sanctorum et ingredimur in conspectu gloriae sancti »; *Gr. B.* et *Ital.* « unus ex septem sanctis angelis qui assistimus et conversamur (*Gr.* ingredimur) ante claritatem Dei (*Gr.* gloriam Domini) »; *Gr. C.* et *Syr.* « unus ex iis (*Syr.* angelis) qui adstamus coram Deo »; *Hebr. Münst.* « unus ex principibus, qui ministramus coram throno gloriae ».

15. De doctrina Parsismi cfr *Spiegel* in Herzog P. R. E. Ed. 2. XI. p. 233 sqq.; de sex Amschaspand *ibid.* p. 235. 240. — Egregie quaestionem hanc tractant *Reusch* l. c. p. 117 sqq. et praesertim *Gutberlet* l. c. p. 41-53. 157-173. 302-314.

CAPUT IX.

DE LIBRO IUDITH.

§ 36. — *De libri Iudith textibus, argumento, fine.*

133. — Quamquam ob regum et populi perversitatem et infidelitatem regnum Israel a Deo hostibus erat traditum, pii tamen, qui in eo inveniebantur, incolae a Deo non erant reiecti. Tobiam Nephthalitam singulari cum providentia in captivitate assyriaca protexit; e tribu Simeon autem piam et castam elegit viduam Iudith, cuius fortitudine ipsum regnum Iuda ab hostium invasione custodiret. Duo igitur libri Tobias et Iudith aptissime in canone nostro coniunguntur: circa idem enim tempus res in illis narratae gestae sunt, atque ambo Deum regni Israel repudiati pios incolas non repudiasse demonstrant. Sed in eo quoque similitudo quaedam inter eos intercedit, quod primigenius eorum textus sit deperditus, versiones autem, quibus ad nos pervenerunt, satis inter se differant. Quapropter pauca de recensionibus libri Iudith praemittamus oportet.

Primigenium textum hebraicum vel chaldaicum fuisse inter omnes hodie constat. *Origenes* quidem nec Tobiae nec Iudith textum hebraicum apud Hebraeos inveniri asserit; sed *S. Hieronymus* se suam utriusque libri versionem ex chaldaico textu adornasse diserte testatur [1], et graecus textus, cui versiones reliquae praeter Vulgatam innituntur, tota indole suam originem e fonte semitico prodit. Utrum fons ille hebraicus fuerit, an chaldaicus, controvertitur quidem; plures autem interpretes hebraicum eum fuisse non immerito tenent. Hebraismis quam plurimis scatet versio graeca, ut nonnullae phrases, nisi prius in hebraicum idioma transferantur, vix intelligantur, neque desunt lectiones, quae erroneae hebraici exemplaris interpretationi videntur deberi [2]. Triginta codices, quibus ad nos pervenit, haud parum inter se differunt; at non tantae sunt varietates, ut complures hebraici textus versiones statuere cogamur, licet eiusdem versionis duas vel tres recensiones olim adfuisse concedamus: altera sine dubio admittenda est recensio, ex qua Itala et Syrus dependent quaeque in paucissimis codicibus graecis invenitur, altera, quam plures et antiquiores graeci codices exhibent.

De graecorum « multorum codicum varietate vitiosissima » iam conqueritur *S. Hieronymus;* quare Chromatii et Heliodori « postulationi immo exactioni acquiescens » novam suam versionem e chaldaico, quem repererat, textu adornavit « magis sensum e sensu quam e verbo verbum transferens » atque « amputata vitiosissima varietate multorum codicum, ea sola, quae intelligentia integra in verbis chaldaicis invenire potuit, latine exprimens »[3]. « Unam tantum lubratiunculam dedit » integro huic labori; propter summam autem, qua eminebat, vertendi facultatem dubitare non licet, quin accurate exemplar suum reddiderit. Ita factum est, ut Vulgata nostra, etiamsi ex Itala, quam S. Doctor prae oculis continuo videtur habuisse, multas phrases et expressiones retinuerit, a graecis exemplaribus quam plurimum differat.

In utroque textu, graeco et latino, substantia operis integra nobis est conservata; eaedem res gestae eodem ordine narrantur. Attamen paucissimae sententiae, praesertim in priore libri parte, ad amussim consentiunt et in minutioribus rebus duae versiones frequentibus varietatibus distinguuntur. Vulgatus textus plerumque multo brevior est, licet exhibeat nonnulla, quae in graecis exemplaribus desiderantur[4]; iidem sensus alio et alio modo in duobus textibus saepissime exprimuntur; frequens est in numeris diversitas, frequentior et maior in nominibus propriis. Interdum Graecus (vel Syrus aut Italus), interdum Vulgatus genuinum nomen videtur conservasse; interdum in utroque periit, quia in illis iam exemplaribus, ex quibus graeca et vulgata versiones sunt adornatae, librarii nominibus prorsus incognitis cognita fortasse substituerunt[5]. Uterque textus, utpote longo ecclesiarum usu approbatus, iure merito authenticus dicitur; critice vero videtur praeferendus graecus, praesertim quia S. Hieronymus non obscure innuit, se nonnulla, quae non satis intellexit, consulto omisisse. Nihilominus argumentum libri secundum Vulgatam exponemus, quoniam in analysi nostra minutiores res indicare opus non est.

1. *Orig.* ad Afric. 13. (M. 11,80) : Ἑβραῖοι τῷ Τωβίᾳ οὐ χρῶνται οὐδὲ τῇ Ἰουδήθ· οὐδὲ γὰρ ἔχουσιν αὐτὰ καὶ ἐν ἀποκρύφοις ἑβραϊστί. — *S. Hier.* Praef. in Tob. et Iudith.

2. ***Movers*** (Bonn. Zeitschr. f. Theol. u. Phil. 1835. p. 44 sqq.) hebraicam esse libelli linguam primigeniam primus egregie demonstravit; quem secuti sunt plerique; ex catholicis ***Welte*** (Einl. in die deuterokan. BB. p. 99 sq.), ***Aug. Scholz*** (Einl. II. p. 601 sqq.), ***Nickes*** (de libro Iudithae p. 53), ***Ant. Scholz*** (Das B. Iudith eine Prophezie. 1885. p. 3 sq.), ***Fl. de Moor*** (Le livre de Iudith. 1895. p. 114) etc.; attamen ***Kaulen*** (Einl. Ed. 3. p. 261 sq.) textum chaldaicum admittere vult et ***Vigouroux*** (Man. bibl. II. p. 141 sq.) rem non decidit. Ex protestanticis cum Movers sentiunt ***Fritzsche*** (Handb. zu der Apocr. II. 16), ***de Wette Schrader*** (Einl. p. 576 sq.), ***Schürer*** (in Herzog P. R. E. Ed. 2. I. p. 505), ***König*** (Einl. 1893. p. 479), ***Cornill*** (Einl. Ed. 3. 1896. p. 272 : « Doch ist für Iudith ein hebräisches Original völlig sicher ») etc.; verum ***Keil*** (Einl. p. 727) et ***Strack*** (Einl. Ed. 4. 1895. p. 152)

inter hebr. et chald. libri originem ancipites haerent. Olim Iahn (Einl. p. 922) et *Eichhorn* (Einl. in die Apocr. p. 327) graecum textum esse primigenium statuerunt; at id esse erroneum facile apparet. Nam primigenium textum hebraicum, praesertim quum interpretem linguam graecam optime calluisse tota libri indoles prodat, mirus iam coniunctionum usus manifestat; etenim particula καὶ ad modum hebraici וְ fere omnium aliarum coniunctionum locum tenet atque ipsas apodoses interdum inchoat; coniunctiones autem illas, quibus Graeci continuo utuntur, frustra quaeris; nunquam adhibentur τε, οὖν, ἄρα, semel tantum μὲν (5,20), ter ἂν (11,2; 12, 4; 14,2); ipsum δὲ deest in capp. 1. 3. 4. 11., atque ἀλλὰ in capp. 3. 5. 7. 9. 10. 11. 13. 15. 16. Frequens quoque more Hebraeorum est infinitivus in phrasibus finalibus (2,11; 15,18); pronomini relativo velut supplementum additur demonstrativum (5,19; 7,10; 8,22; 10,2 etc.). Menda interpretis haec indicari solent: 16,3 (Vulg. 16,5) Assur venit ἐν μυριάσι δυνάμεως, ubi Vulg. recte: « in *multitudine* fortitudinis suae », Graec. autem רב et רִבּוֹ confudit; 1,10 Gr. πέραν τοῦ Ἰορδάνου et Vulg. « *trans* Iordanem » de terra cisiordanica (בְּעֵבֶר הַיַּרְדֵּן); 3,9 cfr 4,6 ἀπέναντι τοῦ πρίονος τοῦ μεγάλου (legit מַשּׂוֹר, *serra* pro מִישׁוֹר, *planities*); 1,16 ὁ σύμμικτος et 2,20 ὁ ἐπίμικτος designat *socium*, quae expressio graeca originem suam probabiliter debet hebr. הֶעָרֶב (*peregrini; copiae auxiliares*), quam vocem interpres derivavit a rad. עָרַב (*miscuit*). Alia exempla exhibent *Movers* et *Scholz* ll. cc.

3. *S. Hier.* Praef. in l. Iudith.

4. *Vulg.* addit nonnulla ex. gr. 3,9. 11; 4,11-14; 5,13. 15-19 etc.; interdum omittit ex. gr. 1,13-16; 2,5. 6. etc.; pauca transponit ex. gr. 14,5-10 post 13,26 etc. Accurate comparavit utrumque textum *L. Cappellus* Comment. et notae criticae in V. T. Amstelodami 1689. p. 573 sqq.

5. Cfr ex. gr. 1,6 *Vulg.* Iadason, *Gr.* Ὑδάσπης, *Syr.* rectius אולי (Ἐλλαῖος); — 1,8 *Vulg.* Cedar; *Gr.* rectius Γαλαάδ; — 1,9 *Vulg.* terra Iesse; rectius *Gr.* γῆ Γεσέμ (terra Gessen); — 2,13 *Vulg.* Tharsis (Tarsus), male *Gr.* Ῥασσίς; — 2,14 *Vulg.* Mambre; *Gr.* (2,24) Ἀβρῶνα, recte Sinait. Χεβρών (Chaboras) etc. Quoniam nullus Assyriorum rex nomen habuit Nabuchodonosor, omnino est probabile librarios nomini incognito (Asurbanipal) substituisse nomen istud notissimum; nomen regis Arphaxad corruptum videtur ex nomine Phraazad (Phraortes), nomine patronymico Deiocis regis Medorum (cfr *infra* 137. n. 8 p. 406). — Immerito obiicit *Ant. Scholz* (Das B. Iudith eine Prophetie p. 31) exemplis non demonstrari librarios (aut interpretes) pro nominibus incognitis cognita posuisse. Exempla enim certa nec in nostro libro nec in libro Tobiae nec in protocanonicis desunt. Conferantur ex. gr. *Tob.* 14,15 ubi a *Gr. A.* devastatores Ninive vocantur Nabuchodonosor et *Assuerus*, a *Gr. B.* et *It.* prius nomen omittitur, alterum autem recte Ἀχιάχαρος *Achicar* (Cyaxares) retinetur; aut *Tob.* 1,2 ubi genuinum nomen *Enemesar* (Sargon) a solis Graecis retinetur, reliqui interpretes omnes nomen sibi cognitum sed hic erroneum Salmanasar posuerunt. *S. Hieronymum* quoque interdum nomina simili ratione mutat; ex. gr. *Nah.* 3,8 pro incognito *No Ammon* (i. e. Thebae) habet *Alexandria populorum* etc.

Hebraicum aliquem textum l. Iudith *Gaster* in codice quodam 11. saec. invenit et in The Proceedings of the Soc. of bibl. archeol. edidit (1894. XVI. p. 156 sqq. An unknown version of the history of Iudith); recte autem editor textum suum *versionem* appellat, nam nihil est nisi Midrasch quidam, in quo plurima sunt mutata et tempori machabaico adaptata: pro *Holoferne* legitur *Seleucus*; urbs obsessa non iam est *Bethulia* sed *Ierusalem*; Iudith ipsa non est vidua sed virgo (בְּתוּלָה) etc.; diversi igitur generis sunt hae mutationes.

134. — « Iudith, inquit *S. Chrysostomus* (Synops. S. S.), vocatur hic liber, quia filios Israel ab Holoferne impugnatos et obsessos Deus per Iudith liberavit, Holofernem autem interfecit ». Revera integrum libri nostri ARGUMENTUM est forte ac memorabile facinus viduae alicuius israeliticae, quae hostium duce occiso patriam suam a gravissimo periculo liberavit. Duabus autem partibus liber constat, quarum prior (1,1-7,25) narrat, quomodo factum sit, ut Nabuchodonosor Iudaeis bellum inferret eiusque belli dux Holofernes Bethuliam, Iudithae patriam, obsideret, altera (8,1-16,31) exponit, quomodo Iudithae prudentia castitate fortitudine Holofernes interfectus eiusque exercitus fugatus sit. Conspectum rerum exhibet brevis haec libri ANALYSIS.

I. BELLUM NABUCHODONOSOR CONTRA IUDAEOS ET OBSIDIO BETHULIAE (1,1-7,25).

1. *Belli Nabuchodonosor contra Asiam occidentalem occasio et initia* (1,1-3,15).

a.) Medorum rege Arphaxad, qui magnum regnum fundaverat, devicto (1,1-4) Nabuchodonosor totam Asiam occidentalem et Aegyptum (quae medici belli tempore, ut videtur, ab eo defecerant), ut obedientiam sibi praestarent exhortatus est, sed repulsam tulit (1,5-11); quare bellum eis inferre statuit (1,12).

b.) Itaque consilio cum optimatibus habito Holofernem misit, ut omnes illas terras subiugaret (2,1-6); qui cum magno exercitu profectus (2,7-11) primum quidem Asiae Minoris partem subiecit (2,12. 13), deinde reversus Babyloniae rebellionem suppressit (2,14), ac tum demum priorem expeditionem prosecutus aggressus est Arabes cis Euphratem habitantes (2,15-17).

c.) Quibus victoriis perterritae aliae gentes (2,18) legatis missis ultro se ei dederunt (3,1-6), nec tamen devastationem terrarum suarum effugerunt (3,7-13), sed victor Holofernes venit usque ad fines terrae Palaestinae (3,14. 15)[a].

2. *Holofernis expeditio contra Palaestinam et obsidio Bethuliae* (4,1-7,25).

a.) Filii quoque Israel terrore quidem perculsi erant, sed hosti resistere obstinati urbes suas muniebant (4,1-4) atque moniti a summo sacerdote Eliacim vias, quae ex Galilaea ducebant Ierosolyma, obstruebant (4,5-7) orationibusque et ieiuniis ad bellum se parabant (4,8-17).

(a) Secundum textum graecum Arphaxad regi Medorum intulit bellum Nabuchodonosor (1,1-5), qui ab orientalibus adiutus (1,6) frustra auxilium petiit ab occidentalibus (1,7-11); quapropter iuravit se de eis ultionem esse sumturum (1,12). Devicto deinde Arphaxado (1,13-16) convocato consilio Nabuchodonosor occidentalibus bellum inferre statuit (2,1-3) et Holoferni bellum gerendum commisit (2,4-13), qui exercitu instructo (2,14-20) in Asiam Minorem (Ciliciam) irrupit (2,21-23), reversus Mesopotamiam subegit (2,24), atque deinde iterum in Ciliciam expeditionem suscepit, fines Iapheth, terram Madianitarum, campum Damasci devastavit (2,25-27). Quare omnes incolae orae maritimae a Sidone usque ad Ascalon terrore perculsi (2,28) se ei dederunt, sed vastationem non effugerunt (3,1-8). Ipse autem castra metatus est in campo Esdrelon (3,9-10).

b.) Quibus auditis Holofernes interrogavit vicinos principes, quisnam esset iste populus (5,1-4); ex quibus unus, Achior Ammonita, Holoferni singularem Dei erga hunc populum providentiam ex eius historia demonstravit (5,5-23) eumque monuit, ne illum aggrederetur, nisi illum a Deo suo defecisse rescivisset (5,24. 25).

c.) Holofernes autem ab aliis ducibus ad maiorem iram inflammatus (5,26-29) Achiorem Israelitis tradi iussit, ut una cum illis periret (6,1-7). Itaque Achior ductus est versus Bethuliam atque a Bethuliotis benigne receptus eis rem manifestavit (6,8-21).

d.) Postridie Holofernes Bethuliam obsedit (7,1-5) atque aquae ductu praeciso et fontibus diligenter custoditis effecit, ut incolae urbem tradere vellent (7,6-21); Ozias vero, civitatis princeps, iis persuasit, ut ad quinque dies urbis traditionem differrent (7,22-25).

II. Iudithae prudentia et fortitudine Bethulia et integra terra ab hostibus liberatur (8,1-16,31).

1. *Iudith ad liberandam patriam se offert et ad expeditionem se praeparat* (8,1-9,19).

a.) Quo consilio audito Iudith vidua, qua neque iustior neque formosior fuit in civitate (8,1-8), civitatis principes ad se advocatos gravissime reprehendit, quod tempus miserationi divinae praescribentes Deum tentare sint ausi (8,9-20), eosque monuit, ut propositis patrum exemplis populum ad patientiam exhortarentur (8,21-27).

b.) Principes iuste sese reprehendi agnoscentes mulierem rogaverunt, ut Deum orationibus suis flecteret (8,28. 29); illa autem ab eis petiit, ut se ex urbe egredi sinerent neque quid factura esset inquirerent (8,30-34).

c.) Quibus annuentibus Iudith ferventi oratione ad expeditionem se praeparavit (9,1-18).

2. *Iudithae expeditio eiusque felix exitus* (10,1-13,31).

a.) Pulcherrimis vestibus et gemmis ornata assumtis plurium dierum cibis Iudith cum ancilla sua urbem reliquit felicem rei exitum apprecantibus Israelitis (10,1-10).

b.) Ab Assyriis capta et ad Holofernem adducta (10,11-20) ab eo rogatur, cur fugam arripuerit (11,1-3). Quae respondet se a Deo ad eum esse missam, ut ei splendidam victoriam de Israelitis praediceret, quippe qui peccatis Deum suum offendissent (11,4-13) seque apud eum esse mansuram, ut ipsam diem victoriae ei indicaret, si illum a Deo in oratione cognovisset (11,14-17).

c.) Quo responso gavisus Holofernes (11,18-21) eam in castris retinuit permittens, ut suis cibis vesceretur singulisque noctibus ad Deum orandum castra cum ancilla sua egrederetur (12,1-9).

d.) Quarto die quum Holofernes magnam coenam servis suis praeparasset et Iuditham ad eam invitasset, illa quidem cibis suis consuetis utebatur, Holofernes autem cupiditate abreptus vino se inebriavit (12,10-20). Atque sola cum eo in tentorio relicta ei caput amputavit (13,1-10).

e.) Quae ubi perfecit, illud ancillae tradidit, ut in pera illud abderet, egressaeque ambae castra Bethuliam perrexerunt, ubi morte Holofernis annuntiata capiteque eius monstrato omnes gaudio impleverunt (13,11-31).

3. *Israelitarum completa victoria de Assyriis et gratitudo erga Iudith* (14,1-16,31).

a.) Monuit Iudith milites, ut postridie urbem egredientes Assyrios terrerent (14,1-5); Achior autem viso divino hoc auxilio extraordinario circumcidi voluit (14,6).

b.) Iudithae monito obsecuti Bethulienses urbem egressi Assyrios, qui ducis sui occisione audita maximo terrore perculsi erant (14,7-18) fugaverunt eorumque castra depraedaverunt (15,1-8).

c.) Eliacim vero, summus sacerdos, Bethuliam veniens una cum populo Iudithae benedixit (15,9-15), quae magnifico cantico Deo gratias egit de victoria reportata (16,1-21).

d.) Ierosolyma deinde convenientes per tres menses holocausta cum gratiarum actionibus Deo obtulerunt (16,22-24); Iudith autem magno honore per totam suam vitam a populo colitur et mortua magno luctu plangitur (16,25-30).

e.) Dies festus institutus est ad victoriae memoriam conservandam (16,31).

135. — Libri Iudith FINEM in ipso argumento indicatum viderunt Patres. « Accipite, inquit S. *Hieronymus*, Iudith viduam castitatis exemplum, et triumphali laude perpetuis eam praeconiis declarate. Hanc enim non solum feminis sed et viris imitabilem dedit, qui castitatis eius remunerator virtutem ei talem tribuit, ut invictum omnibus hominibus vinceret et insuperabilem superaret ». Atque *Origenes*: « Quid ergo illam magnificam et omnium feminarum nobilissimam memorem Iudith? quae iam perditis paene rebus non dubitavit sola succurrere seque suumque caput immanissimi Holofernis neci sola subiicere et processit ad bellum non armis neque equis bellicis aut subsidiis militaribus freta, sed virtute animi et confidentia fidei, consilio simul et audacia hostem peremit; et quam viri perdiderant, femina reddidit libertatem patriae » [1]. Praeclarum procul dubio castitatis et fortitudinis exemplum, etsi media, quae Iudith adhibuit, approbari omnia nequeant, libellus noster ob oculos ponit, neque dubitandum est, quin Iudithae exemplo has virtutes auctor sacer commendare voluerit. Erraret autem, ni fallor, qui hunc primarium eius finem fuisse arbitraretur. Illud potius certum esse videtur, hoc memorabili facinore eum filiis Israel demonstrare voluisse, Dominum suo populo etiam in gravissimis periculis constituto nunquam defuturum, si aut diligenti Legis observantia ipsi adhaeserint aut sincera poenitudine se ad ipsum converterint. Quare primarium libri finem in Achioris verbis indicatum videmus : « Si non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis,

quoniam Deus eorum defendet eos et erimus opprobrio universae terrae » (5,25).

Neque tamen didacticum libri Iudith finem asserentes ullo modo iis assentimur, qui *ficto* exemplo contribulium suorum animos rerum vicissitudine prope fractos confirmasse atque auxisse auctorem putant librumque nostrum dicunt « drama vel poema sacrum a pio homine eum in finem compositum, ut doceret, quomodo Deus fideles suos Israelitas subinde adiuvare et ex praesentissimis periculis mirabiliter eripere solitus esset »[2]. Fictis enim exemplis Israelitae nequaquam indigebant, siquidem tota eorum historia antiqua plena erat veris exemplis, quibus singularis Dei erga populum suum providentia et benevolentia etiam caecutientibus oculis manifesta reddebatur. Neque fictis eiusmodi exemplis prudentes homines unquam ad fiduciam et spem erigi se siverunt (cfr *supra* n. 128 p. 378 sq.). Veram igitur historiam auctorem ita narrare tenemus, ut in illa narranda eadem prorsus ratione, qua plerique aliorum librorum historicorum V. et N. T. scriptores, sibi finem didacticum proposuerit. Neque enim sacri auctores, uti saepe monuimus, vanam quandam hominum curiositatem pascere volebant, sed « omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus » (2 *Tim.* 3,16).

1. *S. Hieron.* Praef. in Iudith; *Orig.* in Iudic. hom. 9,1 (M. 12,987).
2. *Buddei* Hist. eccl. V. T. II. p. 495.

§ 37. — *De libri Iudith auctoritate et origine.*

136. — A 6. vel 5. saeculo a. Chr. usque ad 2. saec. p. Chr. sese extendit periodus, in qua libri Iudith origo quaeritur; sed antequam cum aliqua verisimilitudine quid hac de re sentiendum sit definiamus, in HISTORICAM AUCTORITATEM eius inquiramus oportet, quippe a qua altera quaestio de eius origine integra dependeat. Verane historia in libro nostro vere historico modo narratur, an factum aliquod historicum poetice ad fabularum romanensium formam exornatur, an totum argumentum ad eum modum est confictum, an demum allegoricam in eo habemus descriptionem rei futurae? Si quis solos modernos interpretes consulit, sub iudice lis adhuc versari videtur, quia omnes quatuor sententiae suos habent fautores et patronos; usque ad 16. saec. autem liber noster ab omnibus pro vere historico habebatur.

Etenim teste *S. Hieronymo* « apud Hebraeos liber Iudith inter apocrypha quidem legebatur,... chaldaeo tamen sermone conscriptus inter *historicos* computabatur »[1]. Neque dissenserunt Patres Ecclesiae inde a

S. Clementis Rom. aetate; rectissime *Nickes*: « Quam Clemens Rom. *beatam*, quam Constitutionum apostolicarum auctor *sapientissimam*, quam Clemens Alex. *perfectam in mulieribus*, quam Origenes *magnificam et omnium mulierum nobilissimam* dicere non dubitant, quam Tertullianus in *sanctorum* numero habet, quam Ambrosius *mirabilem*, [Ps.] Augustinus *gloriosam*, (Hieronymus *tantae gloriae, ut sacro libro nomen indiderit*), Fulgentius *sanctam viduam et praeclaram*, Chrysostomus *sanctissimam* praedicaverunt: hanc tales ac tanti viri non potuerunt nullam unquam fuisse iudicare »[2]. Quo quidem tempore floruisset vidua fortissima, traditione certa non acceperant Patres; Nabuchodonosorem enim, de quo agit libellus, *Cambysen* fuisse placuit Iulio Africano, quem in Chronicis suis sequuntur Eusebius, Hieronymus, Beda; num *Cambysen* an *Darium* Augustinus intelligat, non satis certum est; *Darium* eum fuisse tenuit Constitutionum apostolicarum auctor, *Xerxem* alii Patres, quorum sententiam refert Suidas, *Artaxerxem Longimanum* Hieronymus, *Artaxerxem III. Ochum* Sulpicius Severus[3]. At haec ipsa sententiarum varietas certissime probat Patribus persuasum fuisse, ea quae in libro narrantur vere accidisse. Quam persuasionem communem fuisse omnibus quoque mediae aetatis interpretibus, Rhabano Mauro, Walafrido Straboni, Petro Comestori, Card. Hugoni, Nicolao Lyrano, Dionysio Carth. etc., opera eorum manifestant, in quibus ex Eusebii Chronico dependentes Nabuchodonosorem Cambysen fuisse tenent[4].

Unanimem consensum perturbavit *Lutherus*, qui primus narrationem nostram inter fictas fabulas amandavit; quem secuti longe plerique interpretes heterodoxi una cum libri canonicitate etiam eius historicam auctoritatem respuerunt, licet quid librum nostrum esse dicerent inter eos non convenit. Nam alii cum *Artopoeo* carmen quoddam epicum, alii cum *Buddeo* drama sacrum, alii cum *Grotio* allegoriam historicam, alii cum *Semler* fabulam romanensem eum appellaverunt[5]. Modernis protestanticis interpretibus longe plerisque integra narratio est merum commentum; pauci verum factum historicum sed ab auctore poetice exornatum et amplificatum proponi censent; multo pauciores integrum librum historicum esse defendunt; unus demum alterve nescio quam narrationem poetico-propheticam in eo detexit; auctorem scilicet *desiderasse*, ut memorabile Iudithae facinus, quod ipse finxit, suo tempore revera perpetraretur[6].

Catholici interea interpretes inde a saec. 16. antiquae traditioni exegeticae fideliter inhaerentes veram rem historica cum veritate narrari docuerunt. Quamvis enim progredientibus studiis historicis clarius, quam antiqui, historicas libri nostri difficultates perspicerent maiorque inter eos, quam inter Patres, de tempore quo Iudith vixit controversia agitaretur, unanimi tamen consensu historicam libri auctorita-

tem tuebantur omnes. Neque ab antiquorum sententia hoc nostro saeculo recesserunt interpretes catholici, si tres exceperis. *Iahn* difficultatibus historicis propositis sed non solutis in eorum partes sese inclinare ostendit, qui narrationem dicunt commenticiam; *Movers* in easdem partes transiit; nuperrime demum *Ant. Scholz* nova proposita sententia demonstrare conatus est, librum non esse historicum sed propheticum; ultimi enim hostis expeditionem contra populum electum sub forma historica ab auctore describi [7].

1. *S. Hieron.* Praef. in l. Iudith. — Quae sit iuniorum Iudaeorum de historico charactere libri persuasio, docent testimonia collecta a *De Voisin (Raym. Martini* Pugio fidei ed. Carpzov. p. 127 sq.).

2. *Nickes* De libro Iudithae p. 11. (Nonnulla adiecimus ipsi). Cfr *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 55; *Clem. Alex.* Strom. IV. 9 (M. 8,1328); *Orig.* In Iudic. hom. 9,1 (M. 12,987); *Tertull.* De monog. 17 (M. 2,952); *S. Ambros.* De offic. III. 13 (M. 16,169); *Ps. August.* Serm. 48 (in Append. M. 39,1839); *S. Hieron.* Ad Princip. ep. 65,1 (M. 21, 623); *S. Fulgent.* Ad Gall. ep. 2.

3. *Iul. Afric.* apud Suid. s. v. Ἰουδήθ (Ed. Bernhardy I. 2. p. 1006); *Euseb.* Chron. Olymp. 63,1 (M. 19,468); *S. Hier.* in Euseb. Chron. (M. 27,378); *Ven. Beda* de temporibus liber 21 (M. 90,290). — *S. Aug.* de civit. Dei XVIII. 26 (M. 41,583); *Constit. apost.* VIII. 2 (M. 1,1069); *Suidas* s. v. Ἰουδήθ (Ed. Bernh. I. 2 p. 1005); *S. Hier.* in Is. 14,2 (M. 24,164); *Sulpic. Sever.* Hist. sacr. II. 14 M. (20,137).

4. *Rhaban. Maur.* Expos. in l. Iudith 1. 2. (M. 109,541 sqq.); *Strabo* Gloss. ord. in Iudith. 1. (transcribit Rhabani dissertationem); *Petr. Comest.* Hist. schol. (M. 198, 1475); *Card. Hugo* etc. in Comm.

5. *Lutheri* Vorrede auf d. B. Iudith (Werke. Erlanger Ausg. 63 p. 91 sq.). Explicat nomina allegorice : Iudith ei est iudaicus populus; Bethulia indicat eo tempore populum fuisse virginem puram (בְּתוּלָה) etc. Ceterum librum vocat « ein geistlich schön Gedicht eines heiligen geistreichen Mannes, der darinnen hab wollen malen und fürbilden des ganzen jüdischen Volkes Glück und Siege wider alle ihre Feinde, von Gott alle Zeit wunderbarlich verliehen » (Cfr *Keil* p. 725). — *Artopoei* Meletamata historica, quod narratio de Iudith et Holopherne non historia sit, sed epopoeia. Argentorati 1694.; *Buddeus* l. c.; *Grotii* Praef. in l. Iudith (Ed. Basil. 1732. I. p. 578): Ea quae in libro narrantur sunt αἰνιγματώδη; « scriptus est liber, quum primum Antiochus Epiphanes in Iudaeam venisset, templo nondum per idolum polluto, in hoc ut Iudaei spe divinae liberationis confirmarentur. Nam *Iudith* esse Iudaeam gentem nemo negaverit; *Bethulia* (בת אל יה) est templum; *gladius* inde egrediens sunt preces sanctorum; *Nabuchodonosor* saepe Hebraeis diabolum significat et *Assyria* fastum. Diaboli instrumentum Antiochus, qui tecto nomine *Holofernes* (הלפר נחש lictor serpentis [!!]) Iudaeam formosam quidem, sed viduam i. e. ab omni auxilio destitutam, subigere volebat » etc. — *Semler* Freie Untersuchung des Canons. III. p. 120 sqq.

6. Pro commento narrationem habent inter alios recentissimos *Fritzsche* Handb. zu den Apocr. II. p. 125 sqq.; *Schuerer* in Herzog P. R. E. Ed. I. p. 501; *Davidson* Introd. III. p. 381 sq.; *De Wette Schrader* Einl. p. 574 sq.; *Bunsen Holtzmann* in Bunsen's Bibelw. II, 3 p. 57; *Reuss* Gesch. d. A. T. p. 610 sqq.; *Koenig* Einl. 1893. p. 479; *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 271 etc. — *Keil* (Einl. p. 725 sq.) factum historicum poetice exornari admittit, quam sententiam *Strack* (Einl. Ed 4. 1895. p. 152) haud

plane reiicit. — Mirum quod *Volkmar* (Einl. in die Apocr. 1860. I. 1) librum post Traiani mortem ad celebrandam victoriam de eius legato quodam per Iudaeos (Iudith) a. 117. p. Chr. reportatam scriptum dicere audeat, licet viginti circiter annis antea iam a *S. Clem. Rom.* velut divinus adhibitus sit. — Vere historicum libri characterem ex modernis Protestantibus *Gumpach* (Abriss der babyl. assyr. Gesch. 1854. p. 116 sq.) et *Wolf* (Das B. Iudith. 1861), ex Iudaeis *A. Weissmann* (D. Buch Iudith hist. krit. erklärt. 1891.) agnoscunt.

7. *Ewald* (Gesch. des Volkes Israel. IV. p. 541) librum nostrum pro prophetico potius quam historico iam habuit, quum auctorem eiusmodi victoriam suis aequalibus expetere putaret. Vere autem allegorico-propheticum eum habet *Ant. Scholz* (Das B. Iudith eine Prophezie Würzburg 1885; Comm. z. B. Iudith. 1887; eiusdem operis Ed. 2. retractata. 1896.). Satis autem mirari non possum, quod dicere audeat, « pro catholicorum et protestanticorum interpretum numero non pauciores catholicos quam protestanticos historicae libelli interpretationi adversari » (D. B. Iudith. eine Prophezie. p. 33 n.), quamvis velut adversarios solos enumerare possit *Iahn* (Einl. p. 919) et *Movers* (Bonn. Ztschr. f. Phil. u. Theol. XIII. p. 47), quibus tertius forte potest addi *Fr. Lenormant* (Lettres assyriolog. I. p. 72; La divination chez les Chaldéens p. 183 sq.), qui tamen interpretibus haud recte accensetur. Iamvero inter antiquiores interpretes catholicos neminem inveniet, qui secum sentiat, quum ipse *Rich. Simon*, audacissimus inter criticos (Hist. crit. du V. T. p. 58), oppositam sententiam « communissimam et probatissimam » dicat. Sed inter modernos quoque communissima est; eam enim tenent, ut eos solos nominem qui ex recentioribus mihi praesto sunt, *Welte* (Einl. in die deuterokan. BB. p. 115 sqq.; Tübinger Quartalschr. 1854. p. 471 sq.), *Aug. Scholz* (Einleitung II. p. 611 sq.), *Reusch* (Einleitung p. 132 sq.), *Danko* (Hist. revelationis Vet. Test. p. 432 sqq.), *Vincenzi* (Sessio quarta Conc. Trid. vindicata. III. p. 14), *Ghiringello* (De libris histor. c. 10), *Haneberg* (Gesch. der bibl. Offenb. Ed. 4 p. 505 sq.), *Nickes* (De libro Iudithae p. 16 sqq.), *Robiou* (Deux questions d'archéologie éclairées par les Annales d'Asurbanipal. 1875. I.), *Vigouroux* (Man. bibl. II. p. 143 sqq.; La Bible et les découv. mod. IV. p. 254 sqq.), *Gillet* (Tobie, Iudith, Esth. p. 70 sqq.), *A. Delattre* S. I. (Le l. de Iudith. 1884.), *Ubaldi* (Introductio I. p. 407 sqq.), *Zschokke* (Hist. sacra Ant. Test. p. 301), *Holzammer* (Hdbch d. bibl. Geschichte. Ed. 4. I. p. 751 sqq.), *Palmieri* (De veritate historica l. Iudih. 1886), *B. Neteler* (Unters. der gesch. Geltg des B. Iudith. 1886), *Schenz* (Einleitung p. 473), *Kaulen* (Einl. Ed. 3. p. 164; Wetzer Welte Kirchenlex. Ed. 2. 1889. p. 1977 sqq.), *Brunengo* (Il Nabuchodonosore di Giuditta. 1888), *Fl. de Moor* (Le l. de Iudith. 1895).

137. — Integrae igitur antiquitatis catholicae testimonio historicum libri nostri characterem demonstrari certum est. Sed ea quoque est libri indoles, ut prudens nemo dubitari possit, quin auctor revera historicum agere veramque historiam tradere *voluerit*. Ad quid enim accurata temporis indicatio, quo bellum inter Nabuchodonosor et Arphaxad exarsit (1,1 *Gr.*), vel quo Nabuchodonosor Asiam occidentalem dominationi suae iterum subigere est conatus (2,1)? Ad quid diligens enumeratio maiorum Iudith (8,1)? Ad quid enumeratio gentium, quarum copias sibi mitti iussit Nabuchodonosor (1,7 sqq. *Gr.*), et urbium civitatumque, quas expugnavit Holofernes (2,21 sqq. *Gr.*) aut quas muniendas curarunt Iudaei (1,4 *Gr.*)? Ad quid distincta descriptio Ecba-

tanorum (1,1 sqq.), Bethuliae et castrorum Holofernis (7,1 sqq. *Gr.*) atque ennarratio genealogiae Iudithae (8,1)? Sed ista forsitan ornatus causa aliquis dixerit ab auctore inserta; sed numquid prophetae aut sacro poetae fictam narrationem exhibenti etiam dicere licuit, ficti Achioris fictos posteros usque ad suam aetatem esse superstites (14,6 V.; 14,10 *Gr.*) et quotannis usque ad suum tempus celebrari fictum festum in memoriam fictae victoriae institutum (16,31)?

His omnibus igitur auctorem, si veram historiam tradere noluit, veteratorem dicere cogeremur, qui lectores suos in errorem inducere sibi proposuisset. Qua ab accusatione illi eum non liberant, qui eum prophetam aut poetam egisse asserunt. Ad novam enim illam sententiam quod attinet, quae in libro Iudith ultimam Antichristi vel satanae expeditionem contra Ecclesiam sub allegoricae narrationis forma praenuntiari statuit, equidem praeprimis mihi persuadere nequeo, Deum Ecclesiae suae librum propheticum dedisse, cuius propheticam indolem nemo per undeviginti saecula sit suspicatus, ita ut eius vaticinia hucusque plane fuerint abscondita. Sed id fieri posse demus : num unquam licebit prophetae futuras res ita proponere, ut omnes lectores praeterita narrari *necessario* credant, omni quippe prorsus deficiente indicio, quo narrationem esse allegoricam apocalypsin vel leviter significetur? Num ei asserere licebit facta esse illa quae facta non sunt? Ubinam in toto Scriptura alterum habemus exemplum propheticae narrationis, quae cum nostra ullo modo comparari possit? Vaticinium enim de Gog et Magog (*Ezech.* 38. 39) propheticam suam indolem aperte prodit, atque libros Tobiae, Esther etc. solus, opinor, Ant. Scholz pro allegoricis apocalypsibus habet. Quid tandem lucramur, si librum nostrum apocalypsin esse dicemus? Multo plures maioresque erunt interpretationis difficultates atque pro suo quisque arbitratu allegoricas sibi finget eius explicationes. — De altera sententia, quae in nostro libro epopoeiam aut drama aut nescio quam aliam poeseos formam videt, dicere opus non est; saepius iam monuimus, fictionibus homini animum non addi neque populo hebraico vera defuisse exempla, quibus Deus abunde demonstraverat, se populum suum non derelinquere, nisi prius ab illo derelinquatur.

Attamen narratio haec, inquiunt, historiae certo cognitae repugnat, neque multi illi, quos auctor libro suo inseruit, historici et geographici errores apte explicantur, nisi eum aut poetica cum licentia historiam et geographiam tractasse admittamus, aut erroribus consulto admissis lectores suos attentos reddidisse, ne rei gestae narrationem sed rei futurae praedicationem in libro quaererent; nullam quippe in historia israelitica inveniri periodum, cui bellum istud apte attribuatur; expeditionis Holofernis descriptionem plane esse fabulosam, quum exercitus ultro citro ducatur, quemadmodum ne centum quidem ventis simul saevientibus navis in mari circumagitetur; demum nullam in tota Scriptura ad tam praeclaram inveniri allusionem. Ex ordine difficultates proponemus earumque solutionem

paucis indicabimus, accuratiorem tamen explicationem interpreti relinquemus. Repetimus autem id quod antea iam diximus, textum huius libri valde impurum ad nos pervenisse; immerito igitur omnes eius lectiones ab adversariis velut sacrosanctas tractari, quamvis iidem aliis in Scripturis lectiones etiam certissimas mutare non vereantur.

1. Nullum aiunt esse in historia israelitica tempus, cui ea, quae in libro nostro narrantur aut supponuntur, apte respondeant. Sermo enim est de Assyriorum rege Nabuchodonosor, qui devictis Medis Asiam occidentalem sibi subiugare atque usque in Aegyptum dominationem suam extendere voluit. At, ut omittamus nullum Assyriorum regem nomen habuisse Nabuchodonosor, eo tempore, quo Assyriorum regnum florebat, Iudaei suos reges habebant, quorum in toto libro Iudith non fit mentio; sed summus sacerdos non tantum in Iudaea, sed etiam in Samaria et in Galilaea supremam potestatem exercuisse dicitur, id quod nunquam obtinuit. Praeterea Iudaei e captivitate reduces templum funditus eversum reaedificasse dicuntur (4,3; 5,18. 19. *Gr.*; cfr 5,22. 23. *Vulg.*); sed a Cyro reaedificandi templi permissionem acceperunt, quo tempore Assyriorum regnum iam diu interiit.

Seriam hanc esse difficultatem non negamus, at tanta non est, ut ideo integrum librum pro commento habere cogamur[1]. Difficultate hac Patres et antiqui interpretes adducti sunt, ut rem post exsilium babylonicum gestam esse et nomine Nabuchodonosoris regis Assyriorum unum e regibus Persarum designari putarent. Sed iam Rhabano Mauro, quamvis eam adoptaret, parum placuit haec sententia, quia Ecbatana diu ante Persarum aetatem sint aedificata nec ullum Persarum regi cum Medis fuerit bellum. Accedit autem, quod Ninive ante exsilium babylonicum a Medis et Chaldaeis destructa nunquam fuit regum persicorum sedes, neque Iudaei ex exsilio reduces unquam contra Persas aperte rebellarunt, neque Samariae incolis ab aedificando templo repulsis ullum fuit cum Iudaeis meridionalibus commercium etc. Quapropter inde a saec. 16. longe plerique interpretes rem ante exsilium babylonicum gestam esse recte statuerunt, neque minus inter eos convenit eam accidisse post regni septemtrionalis interitum; idem enim religiosum et politicum centrum tempore Iudithae fuit piis Samariae Galilaeaeque incolis, quod incolis Iudaeae.

In accuratiore autem tempore definiendo dissentiunt interpretes. Nam alii primordiis regni Manasse, qui duodecennis in thronum ascendit, alii primis Iosiae annis, qui puer octennis patri Manasse successit, expeditionem Holofernis adscribunt, alii illud tempus praeferunt, quo Manasse captivus Babylone degit[2]; omnibus enim istis temporibus supremam potestatem penes summum sacerdotem aut alium virum praeclarum fuisse evidens est. Hodie vero vix dubitari posse arbitramur, quin tertia sententia sit admittenda, quippe qua admissa omnes historicae difficultates dispareant. Id unum decidere non audemus, utrum etiam expeditionis istius tempore Manasse Babyloniae captivus degerit, an paullo antea Ierosolyma quidem sit reversus sed diuturnis vinculis fractus et pristinorum flagitiorum memor periculoso illo tempore administrationem regni in manibus vicarii sui relinquere maluerit. Quidquid autem de hac secundaria quaestione est, me-

dio circiter saeculo 7. is fuit Palaestinae et Assyriae status, qui in nostro libro aut supponitur aut describitur. Quod assertum paullo diligentius exponamus oportet[3].

a.) Secundum librum nostrum *Eliacim* (Ioiacim) summus pontifex supremam tenuit auctoritatem (4,5. 11). Ultimis autem Ezechiae annis *Eliacim filius Helciae* fuit « praepositus domus » regiae i. e. primus regis minister, quem Deus per Isaiam praedixerat futurum esse « quasi patrem habitantibus Ierusalem et domui Iuda » cuique promiserat « clavem domus David », ut nemo praeter ipsum solum aperire vel claudere posset. Quibus verbis aliquid splendidius et augustius, quam solum primi ministri munus, praedici arbitramur, nec quidquam obstare, quominus ea de Eliacim *vicario regni* intelligamus. Munere autem hoc secundum nostram sententiam functus est, quo tempore Manasse captivus Babyloniae degit; immo facile etiam concedetur Manassen reducem fideli vicario suo integram auctoritatem continuasse[4].

b.) Eius autem auctoritas regni Iuda (tribuum Iuda et Beniamin) finibus non coercebatur. Iam Ezechias unionem quandam inter reliquias decem tribuum et regnum Iuda restituerat (2 *Paral.* 30), quae proxime religiosa quidem erat, sed quasi necessario in politicam transmutata est. Etenim non pauci regni septemtrionalis incolae captivitatem assyriacam subterfugerant, alii decursu temporis in patriam procul dubio erant reversi. Qui, quum Assyrii meliores agros colonis Cuthaeis divisissent, aut in regiones minus fertiles et montanas sese recipere erant coacti, aut cum ethnicis illis advenis permixti in unam gentem coaluerant; unde factum est, ut in pristini regni septemtrionalis finibus duo, ut ita dicamus, populi simul habitarent, Samaritani, i. e. advenae ethnici permixti cum illis Israelitis, qui a fide defecerant (2 *Paral.* 30,10), atque illi filii Israel, qui prioribus calamitatibus edocti cum contribulibus suis meridionalibus, quorum regnum superstes erat, antiquam Legem observabant (2 *Paral.* 30,11. 18) ideoque non minore cum ardore, quam illi, civitatem sanctam templumque defendere erant parati. Samaritani in antiquis civitatibus et fertilioribus planitiis, fideles Israelitae in asperis montanisque regionibus habitabant, ubi novas sibi fundaverant sedes[5]; ad hos autem solos auctoritas Eliacim sese extendebat. Regni vero meridionalis incolas, quos Manasse ante captivitatem suam in idololatriam pertraxerat (2 *Par.* 33,9. 10) regis calamitate perterritos ad Deum suum revertisse nemo negaverit. Hinc apte explicantur, quae in libro Iudith legimus : Israelitas (non omnes utique, sed multos regni septemtrionalis incolas) « recenter revertisse ex captivitate et ascendisse montana », et « nuper integrum populum collectum esse Iudaeae » (i. e. fideles regni septemtrionalis incolas cum regno meridionali iterum unum populum constituisse), et « vasa et altare et templum sanctificasse a pollutione » illa scilicet, qua integrum sanctuarium polluerat Manasse, quando in templi atriis altaria idolis suis erexerat idolaque in templum intulerat[6].

c.) Medio saec. 7. potentissima fuit Assyria. Iam Asarhaddon (680.-667.) integram Asiam occidentalem sibi subiecerat et arma sua in Aegyptum intulerat; eius filius Asurbanipal (667.-626.) variis expeditionibus in Asiam

citeriorem et in Aegyptum rebellantes reges et populos primis regni annis ad obedientiam redegerat atque ipsas Thebas occupaverat. Uterque rex inter viginti duos principes terrae Hatti (i. e. Syriae et Phoeniciae), quos sibi tributarios fecerant, enumerant etiam *Minasi sar mat Iaudi* i. e. Manassen regem terrae Iudae[7]. In una autem ex suis expeditionibus contra Aegyptum Asurbanipal Manassen captivum in Babyloniam abduxisse videtur, cuius regni administrationem fratri suo minori Samas-sum-ukin (Sammughes vel Saosduchin) commiserat. Devicto Occidente arma tulit in Orientem; in Annalibus suis loquitur de victoria, quam de Birizhadri Mediae duce quodam reportavit[8]. Sed quo tempore in Media erat occupatus, Sammughes, ut regnum chaldaicum sibi soli vindicaret, Aegypti Syriae totiusque Asiae occidentalis reges et populos ad rebellionem provocavit; neque improbabile est, eum hac occasione Manasse cum aliis captivis ierosolymitanis in patriam remisisse. Bello autem medico finito Asurbanipal populos occidentales legatione missa ad obedientiam revocavit, iisque abnuentibus Holofernem in Asiam occidentalem exercitum ducere iussit[9]. Hac ratione cum narratione libri nostri aptissime conciliantur ea, quae Asurbanipal ipse de rebus suis in Annalibus nobis reliquit. Eum igitur censemus fuisse regem, quem liber noster Nabuchodonosor vocat, sive quia rex ille utroque nomine appellabatur, sive quia librariorum sciolorum licentia nomini ignoto alterum magis cognitum est substitutum[10].

d.) Cui sententiae una sola opponitur difficultas seria. Sammughes in apertam rebellionem prorupit a. 648., paullo post autem, ut ex infra dicendis patebit, Iudith Bethuliam liberavit; inter bellum nostrum igitur et cladem Iosiae apud Mageddo (a. 608.) non interiacent nisi quadraginta anni[11]. Atqui post Bethuliae liberationem « in omni spatio vitae Iudith (quae centum quinque annos attigisse dicitur) non fuit, qui perturbaret Israel et post mortem eius annis multis » (16,30). Quapropter, si anni Iudithae recte sunt indicati, bellum assyriacum libri nostri non potest incidere in tempus rebellionis Sammughis. Quae verissime sunt dicta; sed saepius iam monuimus numeros librorum V. T. esse incertissimos, et cur in nostro libro, cuius textum impurissimum esse constat, maior fides numeris attribuatur, quam in aliis, non apparet. Supponamus igitur librarium confudisse סה (65) et קה (105) et temporis ratio satis componitur; *Samech* autem et *Koph* saepius etiam in aliorum librorum numeris permutatos esse constat[12].

1. Rectissime iam *Dupin* Dissert. prélim. ou Proleg. sur la Bible. Paris 1701. p. 89. « Quand cette difficulté (chronologica historiae Iudith) serait encore plus grande, ce ne serait pas un légitime fondement pour la rejeter comme fausse. Il y a plusieurs histoires sacrées et profanes que l'on ne révoque point en doute, qui souffrent de pareilles difficultés ».

2. *Nickes* De libro Iudith p. 25 sqq. quartam proponit sententiam, Nabuchodonosorem esse regem illum Babyloniae, qui destruxit Ierosolyma, et « annis sex ante eversa Ierosolyma Holofernem a Iuditha esse occisum ». Similem sententiam tenet *Neteler* (Untersuchung der gesch. u. kan. Geltung des B. Iudith.), qui Holofernis expeditionem ponit 582-580; at veri similitudine non gaudere has sententias arbitramur.

3. In iis maxime, quae de Asurbanipale dicemus, sequemur fere *Robiou* (Deux ques-

tions d'histoire et de chronologie éclaircies par les Annales d'Asurbanipal. Paris 1875.) et *Vigouroux* (la Bible et les découvertes modernes. Paris 1882. IV. p. 254-283). Conferri etiam merentur *A. Delattre* S. I. (Le Livre de Iudith. Paris 1884.), qui similem sententiam vindicans statum Assyriae et Palaestinae tempore Asurbanipalis accurate describit, *Dom. Palmieri* S. I. (De veritate hist. l. Iudith p. 22 sqq.), *Fl. de Moor* (Le livre de Iudith p. 16 sqq. 49 sqq.). — *Ant. Scholz* (Das B. Iudith eine Prophezie p. 18.) captivitatem Manassae vix dimidium annum durasse asserit ideoque Holofernis expeditionem brevi isti tempori adscribi posse negat. Sed undenam sententiam suam probabilem reddat, non habet. De vinculis Manasse *solus* loquitur auctor 2 *Paral.* 33,11. 12, cuius verba de diuturna, quam de brevi captivitate, multo rectius intelliguntur. Etenim captivitati adscribit conversionem regis; tam perversum autem idololatram paucarum hebdomadarum aerumnis victum esse quis crediderit? Si vero Scholz putat auctorem 4 *Reg.* 21 de captivitate ista *ideo* non esse locutum, quia propter brevitatem commemoratione non erat digna (« Das Königsbuch hält die Sache nicht einmal der Erwähnung werth »), concludamus etiam poenitentiam Manasse non fuisse sinceram; nam 4 Reg. 21. eam « commemoratione dignam non habuit »; neque ea, quae Manasse poenitens egit, restitutionem cultus etc. commemorat auctor 4 *Reg.* 21. Scilicet ex integro regno Manassae, quamvis fuerit quinquaginta quinque annorum, 4 Reg. 21 *solam* commemoravit *eius idololatriam*, omnia alia autem silentio praetermisit, *quia Manassis idololatria proxima et ultima erat causa interitus regni Iuda* (4 *Reg.* 24,3).

4. Cfr 4 *Reg.* 18,18 sqq. Is. 22,20 sqq. — Si completa est series pontificum relata 1 *Paral.* 6, medio saec. 7. non fuit *summus sacerdos* Eliacim vel Ioiacim. Interpretes autem expressionem hebraicam אֲשֶׁר עַל הַבַּיִת « praepositus *domus* » scilicet *regiae* non satis videntur intellexisse arbitrati sermonem esse de praeposito *domus Dei*. Etiam *Is.* 22,15 S. Hieronymus eandem expressionem vertit « praepositus *templi* » et Sobnam *praepositum domus regiae* in Commentario suo vocat *pontificem* (M. 24,205). Simile interpretis mendum in nostro libro admittimus.

5. Hinc apte explicatur, cur *Iudith* 4,4. 6. etc. (*Gr.*) civitates nominentur, quarum aliis in libris sacris non fit mentio. Ceterum etiam in N. T. civitates nominari monemus, quarum nulla memoria in V. T. libris nobis est conservata (Nazareth, Capharnaum etc.). Una civitas, in qua Pseudomessias Bar Cocheba per tres annos romanis legionibus Traiani restitit (*Betar* vel *Bitthar*) nec in V. nec in N. T. nominatur, neque hodie scitur, num in Iudaea (id quod tenent Guérin Description de la Palestine. Iudée. II. p. 387 sqq. et *Kiepert* Atlas antiquus. Berlin 1882.) an in Samaria (id quod tenet *Robinson* Biblical Researches III. p. 270) sita fuerit. Immerito ergo contra auctoritatem libri nostri obiicitur, quod *Bethulia* in V. et N. T. non nominetur nec eius situs hodie sit cognitus (*Scholz* l. c. p. 29). Veri tamen simillimum est, antiquam Bethuliam esse hodiernum *Sanur*. Cfr *Guérin* Descr. de la Palestine. Samarie I. p. 344 sqq.

6. *Iudith* 4,3 (*Gr.* — Vulg. versum hunc omittit). Quod si quis obiiceret, secundum Achioris verba (5,18. 19. *Gr.*; 5,22,23. *Vulg.*) etiam regni Iuda incolas ex captivitate redisse et *templum destructum reaedificasse*, praeprimis responderemus, id ex verbis Achior non recte colligi; εἰς ἔδαφος ἐγενήθη templum, quando profanatum omnibus patebat; de aedificatione autem ne verbulum quidem legitur. Fieri quoque potuit, ut Achior princeps Ammonitarum res iudaicas non accurate cognosceret. Aliam coniecturam supra iam indicavimus. Quia nimirum expeditionem Holofernis cum rebellione Sammughis cohaerere supponimus, non absonum est admittere Manassen, qui procul dubio cum multis aliis primoribus regni meridionalis Babyloniae captivus tenebatur, a Sammughe rebellionem meditante esse e vinculis dimissum. Qua coniec-

tura verba Achioris optime explicantur. Animadvertas velim secundum 2 *Paral.* 33,14 Manassen e captivitate reducem munivisse Ierusalem et constituisse principes exercitus in omnibus civitatibus Iudae. Periculum igitur terrae imminebat immediate post eius reditum.

7. Cfr *Schrader* Keilinschriften u. A. T. Ed. 2. p. 354 sqq.

8. *Robiou* l. c. p. 28 sq. (*Vigouroux* l. c. p. 258.) : « Si, comme nous l'apprend Hérodote, Phraortes était petit-fils d'un autre Phraortes, qui père du grand Deiokès, pouvait être considéré comme l'auteur de la dynastie, et si, comme le pense Rawlinson, la forme *Phraazad* est le patronymique dérivé de Fravartis ou Fraurtish (véritable forme du nom de Phraortes), le nom transcrit (*Bi-ri-iz-ha-ad-ri*), abstraction faite de la dernière syllabe, représente réellement le personnage en question désigné par son nom patronymique ».

9. Quod de hac expeditione in Asurbanipalis inscriptionibus nihil invenitur, id difficultatem non creat, quia nullus unquam Assyriorum rex clades suas memoriae tradidit. Certum autem est, Asurbanipalem ultimis regni annis potestatem nec in Aegypto nec in Asia occidentali amplius exercuisse. A Sammughis rebellione, vel rectius a facinore Iudithae, incipit finis regni assyriaci; Asurbanipal (Sardanapal) ultimus fuit rex, qui nomen sibi acquisivit; sub eius filio Asuridilili vel Asurachidin (Saracus) Ninive deleta est (a. 625. vel 608.) Haec videtur probabilior esse sententia; de ultimis autem regni assyriaci annis, quum monumenta desint, certi nihil statui potest. Cfr *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive. II. p. 207 sqq.; *Schrader* Keilinschr. und A. Test. p. 358 sqq.; *Rawlinson* The five great monarchies. II. p. 228 sqq., *Ménant* Annales des rois d'Assyrie p. 295 sq. — Ceterum cladem in nostro libro descriptam videtur celebrare *Nahum* 1,14, ubi exclamat : « Et praecepit super te (Asurbanipal) Dominus : *Non seminabitur ex nomine tuo amplius...* quia *inhonoratus* es ». Cfr *infra* 139 p. 411.

10. Cfr *supra* 133. n. 5 p. 393. — Holofernis quoque nomen inter Asurbanipalis ministros (eponymos) non legitur; sed si unquam in eorum numero adfuit, potuit post ignominiosam eius cladem forte deleri. At fieri etiam potuit ut assyriaco nomini (quae omnia satis sunt mira et longa) persico tempore persicum nomen a librario quodam sit substitutum.

11. Secundum canonem Ptolemaei Sammughes a fratre suo devictus et occisus est a. 648. (Cfr *Schrader* Keilinschriften und A. T. p. 368); sed plenam fidem canon non meretur (Cfr *Delattre* l. c. p. 51.); quare aliquos annos numero isti addere licet. Secundum *Iudith* 1,2. *Gr.* Asurbanipal a. 12. regni sui (i. e. 656.) bellum medicum inchoavit, a. 18. (i. e. 650.) vel 13 (i. e. 655 Vulg.) Holofernem misit.

12. Quam incerti sint numeri in nostro libro, differentiae demonstrant inter varios textus. 1,2 *Graecus* latitudinem murorum dicit fuisse 50 cubitorum, *Vulg.* 30 cubitorum; — 1,3 turres ponit *Graecus* altitudinis 100 (ק) cubitorum, *Syrus* 60 (ס) cubitorum; — 2,1. *Graecus:* anno 18., *Vulg.* anno 13; — 2,5 exercitus Holofernis secundum *Graec.* 120,000 peditum et 120,000 equitum (μυριάδων δεκαδύο), secundum *Vulg.* 120,000 peditum et 12,000 equitum sagittariorum; — 7,2 Holofernes contra Bethuliam duxit secundum *Graec.* 170,000 peditum et 12,000 equitum, secundum *Vulg.* 120,000 peditum et 22,000 equitum, secundum *Syr.* 172,000 peditum et 22,000 equitum; — 8,4 Iudith vidua fuit a morte viri sui secundum *Gr.* tribus annis et *quator* mensibus, secundum *Vulg.* tribus annis et *sex* mensibus etc. etc.

138. — 2. Aliae difficultates sunt geographicae, atque maxima in Holofernis expeditione invenitur; quapropter descriptionem illam irrident multi adversarii nostri; belli rationem a febricitante confictam quam veram

exercitus expeditionem potius describi clamant, insanae mentis eam esse figmentum etc[1]. Sed vehementer errant; difficultates adesse quidem non negamus, neque tamen tot tantisque premi existimamus narrationem auctoris, ut aptissime non explicetur, dummodo attendatur, quatuor expeditiones paucissimis verbis indicari, quarum ultima fuit contra Palaestinam[2].

Primam expeditionem suscepit Holofernes in Asiam Minorem (2,12-23 *Gr.*; 2,12. 13. Vulg.); Asiam Min. autem usque ad Lydiam Asurbanipali fuisse tributariam docent eius inscriptiones, atque dudum ante eius aetatem quam plurimas colonias assyriacas in Asia Min. fuisse, ita ut in Ponto praevalerent Assyrii, certum est[3]. Itaque Holofernes Ninive profectus secundum textum graecum « *tribus diebus* » pervenit in planitiem Βαικτιλαίθ; id quidem fieri non potuit, si *Baictilaith* est planities *Bagdania*, quam Strabo in Cappadocia inter Taurum et Argaeum montem sitam esse tradit; quare error in temporis indicatione, quam Vulgata omittit, admittatur necesse est; forte legendum est *triginta* diebus. Certum autem est, planitiem Baictilaith quaerendam esse in Cappadocia; addit enim sacer auctor eam fuisse « *prope montem, qui est ad sinistram* (i. e. versus septemtrionem) *superioris Ciliciae* », ergo prope Taurum vel prope Argaeum. Cappadociam Vulgata quoque indicat « *ad magnos montes Ange* (lege : Argaei), *qui sunt a sinistro* (a septemtrione) *Ciliciae* ». In Cappadocia autem Holofernes « *ascendit omnia castella et obtinuit omnem munitionem et effregit civitatem opinatissimam Melothi* » i. e. *Melitene*, praecipuam urbem Cappadociae orientalis haud procul ab Euphrate sitam et sub nomine *Milidi* frequenter in inscriptionibus cuneiformibus nominatam. Alveum igitur Euphratis secutus Holofernes in Asiam Min. irruperat; devictis autem Cappadocibus (secundum textum graecum) « *excidit Phud et Lud* », i. e. Pisidiam et Lydiam, meridionalem Asiae Min. partem[4]. Deinde in Mesopotamiam reversurus « *praedatus est omnes filios Rassis* », vel uti rectius habet Vulgata, « *omnes filios Tharsis* » i. e. Ciliciae, cuius caput erat, Tarsus. Atque Asia Min. relicta penetravit in Syriam septemtrionalem et « *devicit filios Ismael, qui erant contra faciem deserti et ad austrum terrae Cellon* » (*Vulg.*, sed *Gr.* πρὸς νότον τῆς Χελλαίων); pervenit ergo usque in *Cholle*, quae media sita est inter Palmyram et Thapsacum[5].

Dum Holofernes cum magno suo exercitu in devastanda Asia Min. occupatus erat, opportunitate usus Sammughes, qui eo usque machinationes suas celaverat, aperta rebellione prosiliens fratrem coegit, ut ducem cum exercitu revocaret. Qui « *transivit Euphratem et pertransiit Mesopotamiam et diruit omnes civitates, quae ad flumen Abrona sunt, usque ad mare* » (2,24. *Gr.*; 2,14. *Vulg.*). Pro *Abrona* vel quod Vulg. habet *Mambre*, codex Sinait. rectius legit *Chebron* i. e. *Chaboras*. Cholle, ubi primam expeditionem terminaverat Holofernes, haud longe distat a confluentibus Euphrate et Chabora. Prope Circesium igitur Euphratem transgressus in Mesopotamiam intravit, ut Chaldaeam et Elymaidem, quas Sammughes ab imperio assyriaco avellere conatus erat, ad obedientiam redigeret. Revera usque ad sinum Persicum (usque ad mare) victor percurrit integram Mesopotamiam; quomodo vero Asurbanipal fratrem suum devictum tractaverit, ipse in suis

inscriptionibus narrat, auctor sacer autem, quia ad eius finem non pertinuit, silentio praeterit[6].

Sammughe devicto et occiso Holofernes ad redigendam Asiam citeriorem reverti potuit; in castigandis Arabibus occupatus erat, quando ab Asurbanipale in Mesopotamiam revocatus est; a castigandis iisdem Arabibus inchoat tertiam expeditionem (2,25. 26. *Gr.*; 2,15. 16 *Vulg.*). Etenim « *cepit fines Ciliciae* (i. e. Arabes devicit, qui in Syria Superiore usque ad Ciliciae fines habitant cfr v. 23 *Gr.*; 13. Vulg.) *et concidit omnes resistentes sibi. Et venit usque ad fines Iapheth, qui ad meridiem supra faciem Arabiae* ». Omnes igitur tribus arabicas a septemtrione usque ad meridiem redegit. Difficultatem quandam creat nomen *Iapheth*, quo omisso versio syriaca legit « *venit ad terminos meridionales super totam Arabiam* ». Nomen illud corruptum esse censent plerique variisque modis sanare illud sunt conati. Correctionis autem viam nobis indicat versio syriaca; legendum enim est *Napeth* vel *Nabeth*. Namque uti Moyses inter filios Ismael, a quibus descendebant Arabes praesertim illi, qui Arabiam proprie dictam inter mare rubrum et sinum persicum incolebant, enumerat Nebaioth Cedar Massa, ita reges assyriaci in suis inscriptionibus Arabes illos vocant Nabaithai (vel Napaithai), Kidrai, Maschai; Nabataeorum autem terra ad mare rubrum sita saec. 7. pertinuit ad regnum assyriacum eiusque constituebat fines meridionales versus paeninsulam arabicam[7]. Iure igitur supponimus, Holofernem tertiam suam expeditionem a castigandis Arabibus nomadibus inchoasse totamque eorum regionem a Coelesyria septemtrionali (a finibus Ciliciae) usque ad Nabataeorum regionem percurrisse; dicitur enim « *circuisse omnes filios Madian et incendisse tabernacula eorum et diripuisse septa eorum* » (2,26. *Gr.*; 2,16 *Vulg.*); Madianitarum autem nomen omnibus Arabibus nomadibus competit[8]. Quibus devictis « *descendit in campos Damasci in diebus messis* », ut praeter nomadas etiam illos Arabes puniret, qui sedes stabiles habebant; « *et succendit omnia sata, omnesque arbores et vineas fecit incidi* » (2,17 *Vulg.*) « *et greges et armenta boum dedit in perditionem et civitates eorum spoliavit et percussit omnes iuvenes eorum in ore gladii* » (2,27. *Gr.*). Iisdem fere phrasibus utitur Asurbanipal, ut punitionem Arabibus a se inflictam describat easdemque poenas etiam imaginibus insculptis et depictis memoriae prodi voluit[9].

Quod alii Asiae citerioris populi gravissimis istis poenis, quam primum devastationis illius rumor percrebuit, timore et terrore perculsi sint, profecto non est mirandum; neque etiam quod voluntaria deditione eandem sortem a se avertere sint conati. « *Timor et tremor incidit super omnes, qui habitabant oram maritimam, super eos qui erant in Sidone et Tyro et Sur et Ocina et Hiemnan et Azoto et Ascalone* » (2,28 *Gr.*). Enumeratio haec civitatum maritimarum, etsi Vulgata (2,18) eam omittat, summa attentione est digna, quum validissimum in ea possideamus argumentum, quo scientiam et fidem auctoris nostri demonstremus. Illud enim iam urgere nobis licet, quod inter civitates, quae ex ordine a septemtrione (Sidon) usque ad meridiem (Ascalon) recensentur, *Tyrus* et *Sur* simul nominentur velut duae urbes distinctae. Revera *Sur* (ἡ πάλαι Τύρος in terra continente sita) una cum filia

sua in insula maris exstructa (*Tyrus*) ambae saec. 7. floruerunt; sed satis diu ante finem saec. 6. Cambyse regnante Palaetyrus terrae motibus convulsa et plane destructa disparuit atque ipsa eius memoria paene interiit. Quod si hinc iam apparet librum nostrum ante finitum saec. 6. esse conscriptum (nam quis recentior scriptor Sor et Tyrum distinxisset?), multo magis est considerandum post *Ocina* (i. e. *Acco*) et ante *Azotum* nominari *Hiemnaan* (Ἰεμναάν), quae non potest esse nisi *Iamnia maritima* haud procul a Iabne civitate tribus Iuda sita. Animadvertas enim velim portum hunc nunquam in S. Scriptura et vix unquam a iunioribus scriptoribus profanis nominari, ita ut quasi incognitus fuerit. Sed in ultimorum regum assyriacorum inscriptionibus non infrequens fit eius mentio. Sennacherib ex *Tyro*, *Sidone*, *Iamnaa* nautas abduxit, quorum opera in navibus suis in sinu persico uteretur; Sargon occupavit « *Iamnaa* sicut piscem in medio maris », antequam partem Cypri sibi subiecit; Asurbanipal non semel de *Iamnaa* loquitur. Portus igitur ab omnibus aliis ignoratus a solis ultimis regibus assyriacis et in nostro libro commemoratur [10]. Nonne clarum hoc est scientiae geographicae et fidei historicae auctoris nostri testimonium?

In trium priorum igitur expeditionum assyriacarum descriptione nihil inveniri ostendimus, quod geographicis aut historicis rationibus medii saec. 7. repugnet, immo eas assyriacis monumentis confirmari. Quae de quarta expeditione contra Palaestinam nunc sequuntur, ea quoque seriam difficultatem non creant, licet nonnulla nomina citentur, quae aut plane incognita sunt aut corrupta; sed ne in interpretis munus nos ingeramus, hic gradum sistere malumus.

1. Cfr *Eichhorn* Einl. in die Apocr. p. 303; *Bertholdt* Einl. p. 2560 sq. (« Durfte der Auctor einen geübten Feldherrn mit seinem Heere einen Marsch machen lassen, den nur in der grössten Narrheit einer machen kann? »); *Davidson* Introd. III. p. 384 (« The geography is in a state of hopeless confusion. It seems to have been derived from the writers memory of cities and countries *which he put down without thought wherever he pleased* ») etc. Secundum *Ant. Scholz* l. c. p. 22 « herrscht in den (geographischen) Namen eine Verwirrung, die man bei der hohen Bildung des Verfassers für eine absichtlich angerichtete anzusehen versucht ist ».

2. Cfr praesertim *Vigouroux* La Bible et les découvertes modernes. IV. p. 267 sqq., a quo tamen in nonnullis dissentimus; alii alio modo difficultates solvere conantur; at *unam* viam indicasse nobis hoc loco sufficit; accuratiorem pericopae explicationem interpreti relinquimus.

3. *Kiepert* Lehrbuch der Alten Geogr. Berlin 1878. p. 91 : « Im nördlichen Küstenlande (Asiae Min.) sind in Folge der Eroberung assyrische Colonien bis Sinope hin so zahlreich begründet worden, dass die im Pontos verkehrenden Griechen den Namen des herrschenden Volkes theils in der vollen Form Ἀσσύριοι, theils in der abgekürzten Σύριοι, Σύροι, theils mit der von den Bewohnern des südlichen Syriens unterscheidenden Bezeichnung der helleren Hautfarbe als Λευκόσυροι gaben ».

4. De *Milidi* = Melitene cfr *Schrader* Keilinschr. und Geschichtsforschung p. 154 sq. — De *Lud* cfr *Schrader* Keilinschr. u. A. T. p. 114. — Quod ad *Pud* attinet, *Ezech.* 27,10 in exercitu Tyriorum enumerat « *Paras* (Persas) *et Lud* (Lydios) et *Put* » atque 38,5 in exercitu Gog, qui a septemtrione in Palaestinam irrumpit, « *Paras* (Persas) *Kusch* (Kuschitas septemtrionales) *et Put* ». Sicuti igitur a *Ludim* africanis (*Gen.* 10,

13) distinguendi sunt *Ludim*, qui Asiam superiorem incolebant, ita etiam praeter *Put* africanos (*Gen.* 10,6; *Ierem.* 46,9) distinguendi sunt asiatici *Put*; nec quidquam obstare censemus, quominus eos Pisidas fuisse dicamus. Animadverte in nostro libro eos vocari Phud, non vero Phut.

5. *Cholle* Χολλή a Ptolem. V. 15,24 vocatur Coelesyriae civitas; secundum *Kiepert* Atlas ant. fol. 4. haud procul distabat a Thapsaco. Ceterum in Syria super. etiam invenitur fluvius *Chalus* (hodiernus *Kuek*), qui forte est intelligendus.

6. Cfr *Brunengo* L'impero di Babilonia e di Ninive II. p. 150; *Vigouroux* l. c. IV. p. 440; *Ménant* Annales des rois d'Assyrie. p. 261 sqq.; *Rawlinson* The five great monarchies. II. p. 206 sqq.; *Schrader* Keilinschr. u. A. Test. p. 366 sqq.

7. Cfr *Schrader* Keilinschr. u. A. T. p. 147; *Eiusdem* Keilinschr. u. Gesch. p. 99 sqq.; praeter consuetam formam *Na ba ai tha ai* invenitur forma *Na pi a thi* = Napeth (ibid. p. 104). Hebraica *Iod* et *Nun* saepissime a librariis permutari et confundi nemo ignorat. — De extensione regni Asurbanipal cfr *Kiepert* Atlas antiq. fol. 1. Nabataeorum regio Seleucidis quoque et Romanis fuit meridionalis finis versus Arabiam.

8. *Madianitae* proprie dicti quidem, qui ab Abraham per Cethurae filios descendunt (*Gen.* 25,2-4) ab aliis tribubus arabicis, quae Ismaeli originem debent (*Gen.* 25,12-18), distinguuntur, attamen Madianitarum nomen latiore sensu antiquitus iam de Ismaelitis adhibebatur (*Gen.* 37,28. 36).

9. Cfr inscriptiones et picturas Asurbanipal penes *Vigouroux* l. c. IV. p. 273 sqq.

10. De *Iamnaa* in inscriptionibus assyriacis cfr *Delattre* l. c. p. 55 sq.; de *Iamnia maritima* cfr Guérin Description de la Palestine. Judée II. p. 58 sqq.

139. — 3. Restat tertia obiectio, quomodo factum sit, ut tam praeclara Assyriorum clades in reliquis libris sacris non commemoretur; nihil enim de ea tradi in libris historicis, nunquam ab ullo propheta ad eam alludi, licet de beneficio divino agatur, quod sit vix minoris momenti, quam alterum illud, quo angelus Dei destructo Sennacherib exercitu Ierusalem ab ultimo excidio liberavit[1].

Praeprimis respondere licet, satis multas esse res praeclare gestas, quae ab uno solo auctore sacro commemorantur; profecto si liber Esther interisset, nihil omnino de magno beneficio sciremus, quo Deus populum suum ab Amani persecutione liberavit, quamvis ante Esdrae aetatem Estherem exstitisse certum sit. Cur igitur Iudithae memoria in ll. Regum aut Paralipomenon quaeritur, qui de longissimo regno Manasse paucissima tantum tradunt? At non satis recte quoque asseri arbitramur, nullam omnino allusionem ad Iudithae res in reliquis libris sacris inveniri. Supra enim iam monuimus, *Isaiam*, ubi de futuro munere Eliacim loquitur, ingentia eius merita prae oculis videri habuisse, quibus patriam suam ab hostium incursu liberans sese exhibuit « patrem habitantibus Ierusalem et domui Iuda », atque *Paralipomena*, si Manassen e captivitate reducem narrant civitatem sanctam munivisse aliisque oppidis principes militum praefecisse, periculum satis clare innuere, quod post regis reditum Palaestinae ab Assyriis imminebat[2]. Non deesse igitur videntur in libris sacris allusiones, quibus res in nostro libro narratae cum reliqua historia sacra connectuntur, licet non diserte commemorentur. Nescio tamen annon recte viderit Palmieri, quum prophetam *Nahum* de clade Holofernis diserte agere censeret; demonstrare enim conatur, « excisionem exercitus Assyriorum, quae in libro Iudith nar-

retur, esse obiectum primi vaticinii Nahumi (1,7-2,1) atque idcirco historiam hanc in libro deuterocanonico contentam confirmari auctoritate libri protocanonici »[3].

Nulla igitur seria remanet difficultas contra historicam libri nostri auctoritatem; Asurbanipalis inscriptiones lucem afferunt narrationi nostrae et narratio nostra silentium complet, quo reges assyriaci clades suas tegere solent. Constat enim Asurbanipalem, qui c. a. 660. Aegyptum expugnavit, Thebas ipsas occupavit, toti Asiae citeriori dominatus est, ultimis regni annis nec Aegyptum nec Asiam citeriorem amplius possedisse; cuius rei rationem reddit liber noster narrata occisione Holofernis et clade exercitus assyriaci descripta. Quod si omnes omnino difficultates hypothesi proposita non plane solvantur, memores simus oportet, una ex parte Asurbanipalis annales non integras ad nos pervenisse nec ordinem chronologicum in expeditionibus narratis observasse[4], altera ex parte libri nostri textum primigenium interisse, eius versiones sive interpretum sive librariorum culpa multis mendis esse foedatas; accuratissimam igitur consonantiam inter *fragmenta* assyriaca et inter *corruptum* textum libri Iudith non posse exspectari[5]. Tantam autem adesse consonantiam demonstrasse nobis videmur, qua prudens dubium de historica libri veritate excludatur.

1. Cfr *Fritzsche* Handb. zu den Apocr. II. p. 125; *Ant. Scholz* l. c. p. 22.

2. *Is.* 22,20 sqq.; 2 *Paral.* 33,14.

3. *Palmieri* S. I. (De veritate histor. libri Iudith p. 3 sqq.) primus est, qui nexum vaticiniorum Nahum cum libro Iudith suspicatus sit explicaveritque. Nexum quendam adesse equidem libenter concedo, alium tamen esse arbitror, quam quem exponit Palmieri; inde enim ab 1,7 inchoari novum vaticinium difficile mihi persuadeo, siquidem *Nah.* 1,2-11 carmen est alphabeticum (Cfr *Bickell* Carmina V. T. metrice. p. 212), cuius sententiae intimo nexu inter se cohaerent. Meam coniecturam paucis exponam: quid valeat, iudicet lector. Cladem enim Holofernis a propheta Nahum non praedici, sed 1,12-3,4 describi atque velut fundamentum vaticinii de interitu Ninive proponi suspicor. Etenim postquam populum suum exhortatus est, ut laetus iterum festa sua peragat Deoque gratias agat, quippe qui maximum periculum averterit (1,15), propheta dramatico quodam modo periculum eiusque propulsationem depingit ([a]). Iubet populum ad pugnam sese praeparare divino auxilio fretum (2,1. 2), hostiumque exercitum appropinquantem describit (2,3-5). Dum vero Israelitae obsessi omnia ad defensionem praeparant, sed simul quasi desperantes iam proximam vident oppidi ruinam seque ipsos abductos in Ninive (2,6-8 a), en subita rerum conversio: hostes fugiunt, diripiuntur castra, exercitus hostium deletus est (2,8 b-13). Ob cladem ira incensi Assyrii Bethuliam detestantur eiusque incolas: « Vae civitas sanguinum! tota mendacium! rapinis plena! non cessat praedari » (3,1). Ita autem furentes audire sibi videntur Bethulienses persequentes vel potius suis ipsorum curribus et copiis perterriti et tremebundi exclamant: « Audi! Vox flagelli et strepitus rotarum! Et equi currentes et currus subsilientes! Et equi invehentes et minantes gladii et hastae fulgurantes! Et multitudo confossorum et acervus cadaverum! Non est numerus

(a) In sequenti explicatione sequimur textum hebraicum.

occisorum; pedibus impingunt in eos, quos occiderunt! » (3,2. 3). Quid mirum, quod hanc stragem videntes illi maledicant, quae prima fuit cladis causa, Iudithamque vocent meretricem, quae pulchritudine sua ducem eorum vicerit, incantatricem, quae praestigiis illum pellexerit; itaque conviciantur : Atque haec omnia nobis acciderunt « *propter multitudinem fornicationum meretricis* decorae et gratiosae (b), incantatricis, quae vendidit gentes fornicationibus suis et populos incantationibus suis (3,4)! » A Assyriorum convicia et maledictiones interrumpit propheta sermone directo ad civitatem Ninive, cui completum interitum praedicit 3,5 sqq. — Interpretationem hanc probabilem reddere videntur haec. Attende 1.) dramaticum hunc describendi modum frequentesque loquentium permutationes in integro libello Nahum inveniri; 2.) prophetam eo tempore vixisse, quo Bethuliam a Iudith liberatam esse diximus, i. e. medio saec. 7.; nam Thebas (No Ammon, Alexandriam populorum) ab Assyriis expugnatas commemorat (3,8). Thebas autem ab Asurbanipalis exercitu c. a. 660. deletas esse annales regis docent; 3.) prophetam origine fuisse Galilaeum, in viciniis igitur Bethuliae vixisse, ut Holofernis expeditionem et stragem exercitus oculis suis spectare potuerit; 4.) prophetam de hac strage loqui velut de initio exitii imperii Assyriorum; atqui viginti circiter annis post Holofernis occisionem, quam cum Sammughis rebellione (c. a. 648) coniungimus, Assyria interiit. Asurbanipal (Sardanapal) est ultimus Assyriorum rex, qui nomen famamque reliquit, etsi forte Ninive non immediate post eius mortem (a. 626) sit destructa : « Non seminabitur ex nomine tuo amplius, quia inhonoratus est » (*Nah.* 1,14) cfr *supra* 137. n. 9. p. 406.

4. Ordinem chronologicum reges Assyriae in magnis suis inscriptionibus non observasse neque completam in illis expeditionum suarum enumerationem dedisse, consentiunt assyriologi; recte enim *Ménant* Annales des rois d'Assyrie p. 277 praecipuae inscriptioni regis Asurbanipal haec verba addit : « Nous venons de lire l'inscription qui contient la plus longue histoire du règne d'Assurbanipal, mais nous ne voulons pas dire la plus complète. Nous sommes assez familiarisés maintenant avec les documents de cette nature pour comprendre qu'ils n'étaient pas rédigés avec l'esprit systématique, que nous voudrions leur prêter ».

5. Si de *corrupto* textu libri Iudith loquimur, evidens est nos solam accidentalem corruptionem intelligere in nominibus propriis, numeris aliisque eiusmodi, quae substantiam operis non attingunt. In textibus graeco, latino, syriaco, licet inter se in nominibus, numeris etc. dissentiant, easdem res eodem ordine ita narrari, ut plenus inter eos sit consensus, supra (133 p. 392) iam monuimus.

140. — Vindicandae historicae libri nostri auctoritati satis diu inhaesimus; paucioribus reliquas quaestiones absolvemus. Ad eius ORIGINEM quod attinet, *S. Isidorus Hisp.* prorsus ignorari iam asseruit,

(b) Plerique interpretes Niniven vocari *meretricem* et de eius fornicationibus sermonem fieri censent. Quamvis autem populi electi, quem Deus sibi foedere devinxerat, idololatria aut alia peccata aut etiam foedera cum aliis gentibus inita *fornicationes* saepissime appellentur atque Israel et Iuda foedus violantes vocentur *meretrices*, iisdem tamen vocabulis uti non solent scriptores sacri, ubi de ethnicarum gentium peccatis loquuntur. *Isaias* (23,15 sqq.) Tyrum cum meretrice comparat, sed eam hoc nomine non appellat; *Michaeas* (1,7) autem rhetorica quadam ratione permotus idem vocabulum, quod de Samaria idololatra adhibuerat, de Ninive idololatra adhibet : « de mercedibus meretricis (Samariae) congregata sunt et ad mercedem meretricis (Ninive) revertentur ». Forte Michaeas simul ad illam legem alludere voluit ab ipso *Herodoto*, licet ethnico, αἴσχιστον τῶν νόμων vocatam, qua omnes mulieres semel in vita sua alieno viro sese tradere cogebantur. Beltis enim, in cuius sacro luco hanc legem implere tenebantur, in Ninive, uti in Babylonia, colebatur. Cfr *Rawlinson* The five great Monarchies II. p. 41., qui immerito apud *Nahum* 3,4 allusionem ad hunc morem invenit.

quis eius sit auctor[1], et addere potuit : ignorari quoque, quo tempore sit conscriptus. *S. Hieronymus* ipsi Iudithae eum adscribere videtur, alii cum *Sixto Senensi* summum pontificem Eliacim, cuius tempore res gestae sint, alii cum *Wolf* Achiorem ducem Ammonitarum, alii cum *Huetio* sacerdotem Iosue, qui cum Zorobabele ex exsilio reversus est, auctorem fuisse suspicantur[2]; sed idonea argumenta, quibus una ex illis sententiis probabilis reddatur, omnino desiderantur. Illud unum videtur constare, Iudaeum palaestinensem librum composuisse; id enim suadent primitiva operis lingua, quam hebraicam vel chaldaicam fuisse certum est, et accurata locorum palaestinensium scientia, quae maxime apparet in diligente Bethuliae descriptione. Vir quoque erat bonarum artium studiis eruditus, in suae gentis libris sacris, qui tunc erant, optime versatus scribendique peritissimus; id enim tota libelli nostri dispositio, innumerae allusiones ad prophetarum, praesertim Isaiae, verba, proprium et copiosum dicendi genus demonstrant. Praeprimis vero vir erat piissimus, caritate erga Deum et patriam plenus, Legis divinae zelator ardentissimus; quomodo enim Iudithae puritatem, fortitudinem, pietatem hac ratione celebrare potuisset, nisi iisdem virtutibus fuisset ornatus. Etsi igitur eius nomen nos lateat, libro quem reliquit characterem suum nobis prodidit.

Neque de tempore, quo vixit libelli auctor, consentiunt interpretes. Omittimus illorum interpretum heterodoxorum sententias, qui quum fictam historiam narrari censeant omnes, librum recentiore tempore scriptum esse contendunt[3]; demonstrata enim historica eius auctoritate, sua sponte cunctae ruunt eorum coniecturae. At catholici quoque interpretes alii tempori machabaico, alii aetati esdrinae, alii exsilio illum adscribunt, alii demum brevi ante exsilium illum esse compositum existimant[4]. Qui usque ad aetatem machabaicam descendunt, duobus potissimum utuntur argumentis; rem narratam enim tempore persico accidisse putant atque monent synedrium (τὴν γηρουσίαν 4,8; 11,14; 15,8 *Gr.*) atque προσάββατα et προνουμηνίας (8,6 *Gr.*) commemorari, synedrium autem non ante Machabaeorum aetatem esse institutum et prosabbata quoque et pronoumenias recentioris esse originis. Quibus argumentis nihil probatur. Etenim quinquaginta fere annis ante initium exsilii babylonici Iuditham Bethuliam integramque suam patriam liberasse, sententia est longe verisimilior; synedrii autem proprie dicti nulla fit mentio, sed graecus libri interpres vocabulum sua aetate usitatum adhibuit ad designandos « seniores populi »; neque quidquam de prosabbatorum et pronoumeniarum institutione, quae praeterea a textu graeco solo nominantur, nobis est traditum.

Nihil igitur nec in libri argumento nec in eius dictione invenitur, quo recentiori aetati eius originem attribuere cogamur. Tam dilucide

autem et perspicue Nabuchodonosoris consilium, Holofernis expeditio, Iudithae facinus narrantur, tam accurate omnia totius rei momenta etiam parva indicantur, tam clare mores characteresque praecipuarum personarum describuntur, ut omnino recens rerum gestarum memoria fuisse videatur eo tempore, quo literis mandatae sunt. Attamen immediate postea conscriptae non sunt; Iudithae enim vita usque ad eius mortem perducitur, immo post eius mortem iam anni nonnulli effluxerant, antequam liber est terminatus (16,25 sqq.); Achioris quoque posteri iam commemorantur (saltem in *Vulg.* 14,6). Quapropter illis assentimur, qui aut brevi ante exsilium babylonicum aut initio exsilii opus nostrum conscriptum esse tenent. Neque veri similitudine caret eorum sententia, qui auctorem nostrum in sua exaranda narratione commentariis ab Achiore vel ab alio eiusdem aetatis viro relictis usum esse existimant. Nisi enim ea obstarent, quae de morte Iudithae et de posteris Achioris dicuntur, integram narrationem testi oculari attribueremus[5].

1. *S. Isidor. Hisp.* De offic. eccl. I. 12 (M. 83,749).

2. *S. Hieron.* in Agg. 1,6 (M. 25,1461 « si quis tamen vult recipere *librum mulieris* »); *Sixt. Sen.* Bibl. sacr. ed. Milante I. p. 35; *Wolf* Das Buch Iudith p. 188; *Huet.* Demonstr. evang. Prop. IV. p. 231; at Sixtus et Huetius, sicut reliqui antiquiores, non nisi dubitantes sententiam suam proponunt.

3. *Hitzig* (Hilgenf. Ztschr. 1860. p. 249 sq.) et *Volkmar* (Einl. in d. Apocr. I. p. 18 sqq.) tempore Traiani, *de Wette Schrad.* (Einl. p. 578) exeunte saec. 1. p. Chr., *Bertholdt* (Einl. p. 2564), tempore belli Romanorum cum Iudaeis c. a. 67. p. Chr., *Eichhorn* (Einl. in die Apocr. p. 331) medio saec. 1. p. Chr. librum prodisse tenent; recentissimi vero, *Konig* (Einl. p. 480), *Strack* (Einl. 1893. Ed. 4 1895. p. 152), *Cornill* (Einl. Ed. 3 1896. p. 271) cum machabaicae aetati adscribunt.

4. *Saec. 2. a. Chr.* librum attribuunt ex Catholicis *Movers* l. c. p. 47, *Iahn* Einl. II. p. 921, *Ackermann* Introd. p. 347; *tempori exsilii* aut immediate sequenti *Welte* Einl. p. 115, *Zschokke* Hist. revel. p. 302; *primis annis exsilii Nickes* l. c. p. 50, *Danko* Hist. revel. V. T. p. 433; *ultimo tempori ante exsilium Aug. Scholz* Einl. II. p. 599; *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 145 etc.

5. *Nickes* l. c. p. 48 sq. ultimos versus de Iudithae morte a iuniore manu additos censet atque etiam mentionem *posterorum* Achioris, quae in sola Vulg. legitur, ex textu expungit; at violentorum eiusmodi remediorum adhibendorum nulla est ratio.

141. — De DIVINA AUCTORITATE libelli nostri dicturi istos Novi T. textus urgere nolumus, in quibus aliqui ad eum alludi censent[1]; satis enim incerti sunt neque necessarii, ut librum nostrum una cum reliquis V. T. Scripturis ab Apostolis Ecclesiae traditum esse demonstremus. Nam *S. Clemens Rom.* illo velut divino iam utitur, atque ab eo tempore illum semper in ecclesiarum occidentalium usu fuisse, *Tertulliani, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Fulgentii* testimonia, quae supra attulimus, decreta Conciliorum *Carthag.* et *Hippon.*, canones *Damasi, Innocentii I., Gelasii* abunde ostendunt[2]. Item in ecclesiis orientalibus

librum semper inter divinos esse recensitum *Clemens Alex.*, *Iulius Afric.*, *Origenes*, *S. Athanasius* aliique bene multi testantur. Quod autem summum est, *Concilium Nicaenum I.* teste S. Hieronymo librum Iudith « in numero sacrarum Scripturarum legitur computasse »[3].

Quamprimum vero de historica libri auctoritate constat, obiectiones, quas ex eius argumento Protestantes olim desumserunt et hodie interdum desumunt, refutare difficile non est. Legi enim morali repugnare aiunt totam Iudithae agendi rationem, auctorem autem eam non improbare sed potius approbare. Cui difficultati ut respondeamus, monemus inter catholicos interpretes non deesse, qui Iuditham ab omni culpa absolvunt. Patriae oppressorem dolo et fallaciis decipiens, inquiunt, et deceptum interimens usa est stratagemate in bellis licito; neque Holofernem ad peccatum induxit, sed iustam ob causam ei dumtaxat occasio fuit peccandi; verba, quibus hostem alloquitur, ita sunt comparata, ut mendacium proprie dictum in illis non detegatur; quod si veritatem laesit, nihil aliud fecit nisi quod eo tempore omnes erga hostes licitum esse putabant; neque inconsulto se ipsa peccandi periculo exposuit, quum fervida precatione sese ad expeditionem praeparasset. Eius vero pietas, castitas, fortitudo omni laude profecto sunt dignae. Quae ultima verissime sunt dicta; de aliis iudicium ferre nolumus; censemus enim ad obiectionem illam refutandam plene sufficere ea, quae iam monuit *S. Thomas* : « Quidam commendantur in Scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quaedam indebita facienda [quae tamen pro licitis habebant]; et hoc modo Iudith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis sese exposuit »[4]. Ceterum omnia, quae in Iuditha vituperantur, si iure vituperarentur, non magis obessent libri inspirationi, quam similia, quae in libris protocanonicis leguntur; sicuti enim in illis ea, quae revera mala sunt, auctor simpliciter refert nullo iudicio expresso (ex. gr. de Iacobi mendacio, quo sese Esau esse fingens a patre primogeniti benedictionem aucupatus est), ita auctor noster Iudithae historiam narrat, eius pietatem, castitatem, fortitudinem celebrat, sed de singulis eius actionibus non iudicat; laudes vero, quas sive summus sacerdos, sive Achior, sive populus exprimunt, velut fidelis testis refert. Ipsius Iudithae verbis « non omnibus tribuendum esse pondus et auctoritatem Scripturae sacrae » optime iam monuit Estius; multo magis autem idem sentiendum est de aliarum personarum verbis ab auctore relatis[5]. Verae tamen semper manebunt laudes a Patribus omnibus Iudithae attributae (135. 136. p. 396. 398).

1. Afferuntur ex. gr. verba Elisabethae ad B. V. (*Luc.* 1,42) : « *Benedicta tu inter mulieres* » et verba Oziae ad Iudith (13,24. *Vulg.*) : « *Benedicta tu* filia a Domino Deo excelso *prae omnibus mulieribus* super terram »; quibus verbis respondere videntur in *Graec.* 14,7 verba Achioris : εὐλογημένη σὺ ἐν παντὶ σκηνώματι Ἰσραήλ. — Etiam confer

1 *Cor.* 10,9. 10. Neque *tentemus* Christum, sicut quidam eorum *tentaverunt et a serpentibus perierunt.* Neque murmuraveritis, sicut quidam eorum *murmuraverunt, et perierunt ab exterminatore.*

Iudith 8,24. 25. Illi autem qui *tentationes* non susceperunt cum timore Dei et impatientiam suam et improperium *murmurationis* suae contra Deum protulerunt, *exterminati sunt ab exterminatore et a serpentibus perierunt.*

Quae verba etiam in textu graeco non ita leguntur. Quoniam vero S. Hieronymus ipse asserit se in hoc libro « non verbum e verbo, sed *sensum e sensu* » expressisse, ex *vocabulis* textus latini idoneum argumentum non deducitur; fieri enim potuit, ut S. Doctor in exprimendo simili sensu sumeret vocabula, quae ex Novo T. memoria tenebat. Alii allegant *Math.* 13,42. 50 et *Iudith* 16,21 *Gr.* et *Vulg.*; *Act.* 4,24 et *Iudith* 9,12. *Gr.* et 9,17. *Vulg.*

2. Cfr *supra* n. 136 *nn.* 2. 3. p. 399 et *Introd. gener.* Ed. 2. n. 40 p. 92 sqq.

3. Cfr *supra* n. 135 et *Introd. general.* Ed. 2. n. 36. *nn.* 2. 6. 12. 14. (p. 81 sq.); n. 40. 1 (p. 89 sq.); 42 *n.* 6 (p. 102) etc.

4. *S. Thom. Aq.* Summ. theol. II. 2. qu. 110 a. 3. ad 3. — Cfr *Goldagen* Introd. II. p. 161 sqq.

5. Cfr *Est.* in *Iudith* 9,2 et *Introd. general.* Ed. 2. n. 219. p. 595.

CAPUT X.

DE LIBRO ESTHER.

§ 38. — *De libri Esther textibus, argumento, fine.*

142. — Quemadmodum ante exsilium babylonicum sancta vidua Iudith fortitudine sua Assyriorum ducem devicit et populum suum sanctamque civitatem in ultimo summoque discrimine servavit, ita post exsilium alia pia mulier Esther regem Persarum pietate sua lenivit et devicto eius primo ministro Aman Israelitas a praesentissimo internecionis periculo liberavit. Quod praeclarum Dei beneficium liber ille narrat, cui nomen inditum est *Esther,* quia eius praecipuae in tota historia partes sunt.

Duabus nobis in recensionibus conservatus est, in breviore hebraica et in longiore graeca. « Librum Esther, inquit *S. Hieronymus*, variis translatoribus constat esse vitiatum, quem ego de archivis Hebraeorum relevans verbum e verbo pressius transtuli. Quem librum editio vulgata (sc. textus graecus eo tempore in Oriente vulgatus et latina versio in Occidente ante S. Hieronymum adhibita) laciniosis hinc inde verborum sinibus trahit addens ea, quae ex tempore dici poterant et audiri, sicut solitum est scholaribus disciplinis sumto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui iniuriam passus est, vel ille, qui iniuriam intulit. Vos autem, o Paula et Eustochium,... per singula verba nostram translationem aspicite, ut possitis cognoscere me nihil etiam argumentasse addendo, sed fideli testimonio simpliciter, sicut in hebraeo habetur, historiam hebraicam latinae linguae tradidisse »[1]. Iudaeorum igitur suae aetatis palaestinensium sententiam secutus S. Doctor breviorem textum hebraicum solum habuit genuinum ideoque particulas illas, quas longior textus graecus aptis locis inserit, editioni suae pro appendice adiecit praemonens : « Quae habentur in hebraeo, plena fide expressi. Haec autem (additamenta), quae sequuntur, scripta reperi in editione vulgata, quae Graecorum lingua et literis continentur » (*Vulg.* ante 10,4). Attamen Tridentini Patres testimoniis integrae antiquitatis nixi etiam additamenta ista declararunt canonica; quocirca in enarrando argumento librique divisione indicanda illa, licet in Vulgata velut disiecta membra iaceant, omittere non licet. Infra quidem

(147) de utriusque libri, hebraici et graeci, origine dicemus atque antiqua testimonia, quibus eorum canonicitas demonstratur, afferemus (148); hoc tamen loco nonnulla de additamentorum antiquitate et indole praemonebimus, quibus ea ad opus nostrum omnino pertinere demonstratur.

Septem sunt numero et totius libri tertiam circiter partem constituunt; continent autem *a.*) libri prologum, in quo Mardochaei symbolicum somnium narratur, quod integri operis summum argumentum insinuat (11,2-12,6 *Vulg.*); *b.*) regis Assueri edictum, quo instigante Aman caedes Iudaeorum in toto regno persico praescribitur (ad 3,14; — 13,1-7 *Vulg.*); *c.*) verba, quibus Mardochaeus Estherem exhortatur, ut regem adeat consilium eius mutatura (ad 4,8; — 15,1-3 *Vulg.*); *d.*) preces, quibus Mardochaeus et Esther a Deo flagitant, ut periculum a populo suo avertat (ad 4,17; — 13,8-14,19 *Vulg.*); *e.*) descriptionem ingressus Estheris ad regem (ad 5,1.2; — 15,4-19 *Vulg.*); *f.*) alterum regis decretum, quo Persis, ut prius decretum non observent, et Iudaeis, ut se defendant et hostes suos ulciscantur, permittitur (ad 8,13; — 16,1-24 *Vulg.*); *g.*) epilogum, qui somnii Mardochaei explicationem exhibet et notam de libro in Aegyptum allato (post 10,3; — 10,4-11,1 *Vulg.*). Reliqua non obstantibus multis variis lectionibus cum hebraico libro fere consentiunt. Alter habetur in nonnullis codicibus graecus textus, qui additamenta quidem etiam (excepta subscriptione) continet, sed longius a textu hebraico recedit, quoniam satis multa contrahit et constringit, pauca fusius exponit[2].

Iam vero antiquissima esse graeci libri additamenta atque ex hebraico textu translata, certum est. Quod ut demonstremus, Gorionidis, scriptoris iudaici saec. 8., testimonio non indigemus, qui somnium Mardochaei, eius et Estheris preces, aditumque Estheris ad regem eodem fere modo retulit, quo in additamentis referuntur; neque chaldaicam additamentorum paraphrasin, quae satis propagata inter Iudaeos fuit, aut Theodotionis graecam versionem, in qua teste Origene additamenta omnia aderant, aut Fl. Iosephi Antiquitates, in quibus etiam adhibita sunt[3], pro argumentis afferemus; sed sola nobis sufficit graeci libri subscriptio. Qua teste « anno 4. regnantibus Ptolemaeo et Cleopatra attulerunt Dositheus, qui se sacerdotem et levitici generis ferebat, et Ptolemaeus filius eius hanc epistolam phurim, quam dixerunt interpretatum esse Lysimachum filium Ptolemaei in Ierusalem » (11,1.). Quis ille Ptolemaeus fuerit, omnimoda cum certitudine quidem non constat; quatuor enim fuerunt Ptolemaei, quorum uxores nomen gerebant Cleopatrae[4]; omnes autem ante Domini N. nativitatem regnarunt, quare libri nostri graecam recensionem antiquissimam esse iam satis constat. At probabilitate non caret eorum sententia,

qui Philometorem intelligunt. Nam eius aetate Dositheum quendam Iudaeum aegyptiaci exercitus ducem fuisse scribit Fl. Iosephus, et eadem aetate Onias sacerdos, quem una cum Dositheo exercitus ducem nominat Iosephus, templum leontopolitanum Iudaeis exstruxit[5]. Quare coniicere licet, ab iisdem allatum esse libellum nostrum, ut a Iudaeis ad novum templum confluentibus adhiberetur et inter eos festi Purim, cuius institutionem refert, celebrationem propagaret. Circa a. 177. igitur liber noster graece iam videtur exstitisse idemque cum omnibus suis additamentis. Nam non tantum recentioris additamentorum insertionis nullum invenitur vestigium (siquidem brevioris textus graeci, qui additamentis careat, nulla usquam fit mentio), sed in subscriptione quoque verba « *haec epistola Purim* » non possunt nisi integrum librum praecedentem designare. Subscriptio ipsa enim proxime sequitur unum ex additamentis, explicationem somnii Mardochaei, quae non intelligitur, nisi in exordio somnium iam erat relatum. Insolentius igitur et ad arbitrium sibi textum componunt protestantici interpretes, qui subscriptionem ad solam protocanonicam libri partem restringunt[6]. Atque etiam sine sufficiente ratione hebraicam additamentorum originem negant, propterea quod purior eorum sit lingua minorque hebraismorum frequentia. Etenim si duo decreta regia exceperis, quae puriore lingua conscripta esse concedimus, non pauciores in additamentis, quam in reliquo libro inveniuntur hebraismi, qui, quamvis per se soli non sufficiant hebraicae origini demonstrandae, subscriptionis tamen testimonium non parum confirmant[7]. Neque purior decretorum regiorum sermo obiiciatur. Nam, pro Persarum more variis in linguis erant promulgata (3,12; 8,9), atque interpres graecus illam formam, qua ad Graecos Asiae Min. erant transmissa, in suam translationem videtur recepisse. Non immerito igitur concludere nobis videmur, Palaestinenses quoque ineunte saec. 2. additamenta illa in suis exemplaribus hebraicis possedisse (nam Ierosolymis factam esse versionem graecam testatur subscriptio), neque quidquam obstat, quominus ea in primitivo libro adfuisse dicamus.

Quae sententia non parum ipsa hebraici textus indole confirmatur, qui additamentis illis demtis mancus quodam modo est et imperfectus. Urgere nolumus, quod symbolico Mardochaei somnio, quo liber graecus inchoatur, eiusque explicatione, qua terminatur, totum opus ad unitatem redigitur; nam gravius est, quod solis additamentis accipiat characterem vere religiosum. Ex hebraica quippe narratione procul dubio lector etiam discit, in magno periculo populo suo Deum singulari providentia adfuisse; attamen Deus ipse in integro textu hebraico ne semel quidem nominatur, providentia eius diserte non commemoratur, in maximo illo discrimine ne semel quidem Mardochaeus aut

Esther aut populus precibus divinum auxilium implorasse nec de obtenta salute Deo gratias egisse leguntur[8]. Quae profecto alienissima sunt ab omnium aliorum librorum V. T. indole, in quibus aperte semper se prodit character religiosus, dum in nostri operis textu hebraico prorsus est tectus et occultus. Insere autem additamenta graeca, atque statim eadem apparebit indoles religiosa, qua reliqui libri insigniuntur. Quae quum ita sint, additamenta ad opus genuinum pertinere pro certo licet asserere[9].

1. *S. Hieron.* Praef. in l. Esth.

2. Alterum hunc textum graecum ediderunt *Usser.* Syntagma de graeca LXX interpretum versione. Londini 1655. p. 111-147; *Fritzsche* Esther. Duplex libri textus etc. Turici 1848; *de Lagarde* Librorum V. T. canonicorum pars prior graece. Gottingae 1883. — De relatione inter duos textus graecos egit *Langen* in Tüb. Quartalschr. 1860 p. 244 sqq., qui secundum textum censet esse prioris retractationem, in qua tamen adornanda interpres etiam textum primitivum prae oculis habuerit.

3. *Iosephus Gorion.* ed. Breithaupt. Gotha 1707. p. 74 sqq.; — *de Rossi* Specimen var. lect. et chaldaica Estheris additamenta. Romae 1782. p. 138-168; — de Theodotionis versione cfr *Orig.* ad Afric. 3. (M. 11,53. Fateor tamen non omnino certum mihi esse, utrum verba Origenis : « παρὰ δὲ τοῖς ὁ καὶ Θεοδοτίωνι τὰ ἰσοδυναμοῦντα » etiam ad nostra additamenta se extendant, id quod tenent *Welte*, *Kaulen*, alii, an ad solum additamentum l. Iobi sit referendum.); — *Fl. Iosephi* Antiqu. XI. 6.

4. Nimirum Epiphanes (205-181.), Philometor (181-146.), Physcon s. Euergetes II. (170-164. et 146-117.), Auletes (75-51.). — Quo cum iure *Nickes* De Estherae libro. Romae 1856. I. p. 20 sq. intelligat Ptolemaeum Philopatorem I. (221-205), ignoro.

5. Teste *Iosepho* c. App. II. 5 « Ptolemaeus Philometor et uxor eius Cleopatra omne regnum commiserunt Iudaeis factique sunt totius militiae duces Onias et Dositheus Iudaei »; et Antiqu. XIII. 3,1 « Onias, qui profugus ad Ptolemaeum Philometorem se contulerat... missis ad Ptolemaeum regem et Cleopatram reginam literis ab illis petiit, ut sibi liceret in Aegypto templum aedificare Ierosolymitano simile » etc.; et 3,3 « invenit etiam Onias Iudaeos quosdam sui similes et sacerdotes et levitas, qui Dei cultum illuc instaurarent ». Cfr subscriptionis verba : « Dositheus, qui se sacerdotem et levitici generis *ferebat* ».

6. *Fritzsche* Handbuch zu den Apocr. I. p. 71 « Die Unterschrift hat *im Allgemeinen* Recht, da *das Meiste* Uebersetzung ist »; *Keil* Einl. p. 732 etc.

7. Hebraismorum haud parvum numerum exhibent *Langen* l. c. p. 205 sq., *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 272 sq. Ex. gr. cfr 1,1 (11,2 τῇ μιᾷ τοῦ Νισᾶν) I, — 1,18 (12,3) ἔνδοξος ἐνώπιον τοῦ βασιλέως (לִפְנֵי) cfr. etiam 4,26 (14,6); — frequens καὶ ἰδού (וְהִנֵּה) 1,5. 6. 8 (11, 5. 6. 8) vel καὶ νῦν (וְעַתָּה) 4,20. 26. 27 etc. (13,15; 14,6. 8) et continuus usus coniunctionis καὶ (cfr 4,22. 23 [14,1. 2] septies); 4,24 (14,4) ὁ κίνδυνός μου ἐν χειρί μου (לְפָנַי = בְּיָדִי); αἰνεῖν et προσκυνεῖν construuntur cum dat. aut cum accus. sicut hebr. הִלֵּל et הִשְׁתַּחֲוָה et alia similia.

8. *Vulg.* quidem in *Est.* 4,16 legit : *et orate pro me*, sed haec verba in textu hebr. et graeco desunt (solus *Gr.* B. ea habet), sermo dumtaxat est de ieiunio, quod cui celebretur vel quem in finem non indicatur. Festus etiam dies utique in memoriam liberationis instituitur; at nihil religiosi habet; est « dies *epularum* et laetitiae, in quibus mitterent sibi invicem munera ».

9. Contradictiones inter additamenta et breviorem textum non adesse, *infra* (147) ostendemus.

143. — Integrum librum in tres partes praeter prologum et epilogum ita dividimus, ut in prima parte narretur, quomodo periculum sit exortum, in altera quomodo Mardochaeus et Esther ad illud avertendum sese praeparaverint, in tertia quomodo in hostes ipsos malum, quod Iudaeis inferre volebant, sit conversum [1]. Totum *argumentum libri eiusque divisionem* exhibet haec ANALYSIS.

PROLOGUS (11,2-12,6). Somnium Mardochaei.

1. Anno 2. Assueri [a] (484.) Mardochaeus Beniaminita, qui Susis, in regni persici capite habitabat (11,2-4), vidit somnium symbolicum, duos sc. dracones de parvo populo colluctantes, qui servatus est per parvum fontem in magnum flumen excrescentem (11,5-11).
2. Quae symbola Mardochaeus non intellexit (11,12). Paucis autem annis postea detexit coniurationem duorum eunuchorum contra vitam regis (12,1. 2.), quae (per Estherem cfr 2,21. 22) regi manifestata annalibus regni inscripta quidem est, sed odium Amanis, qui eunuchorum amicus fuerat, contra Mardochaeum excitavit (12,3-6).

PARS PRIMA narrat, *quomodo exortum sit periculum, quod Iudaeis imminebat* (1,1-3,15 et 13,1-7).

1. *Esther, uxor regis facta, ei manifestat coniurationem a Mardochaeo detectam* (1,1-2,23).
   a.) Anno 3. regni sui (483.) Assuerus magnum convivium fecit principibus suis (1,1-3) eoque finito per septem dies omnibus incolis civitatis (1,4-8), ultimo autem die, quum ebrius esset, reginam Vasthi, ut eam populo ostenderet, ad se venire iussit (1,9-11); quae quum venire renuisset, rex iratus consilio habito cum ministris suis eam repudiavit et edictum promulgavit, ut uxores maritis obedirent (1,1-22).
   b.) (Ex bello contra Graecos redux a. 6. regni i. e. 479.) Assuerus locum Vasthi repudiatae explere voluit; ideo adductae sunt ad eum ex toto regno puellae speciosae, inter quas Edissa (myrtus), quae persico nomine appellabatur Esther (ἀστήρ, stella), neptis Mardochaei (2,1-8). Quae a patruo Mardochaeo genus et patriam suam celare iussa, tantopere regi (a. 7. regni i. e. 478.) placuit, ut eam regnare faceret in loco Vasthi (2,9-18).
   c.) Mardochaeus vero, ut illi semper invigilaret, ad ianuam regis morabatur atque ita occasionem habuit coniurationis eunuchorum (quae in prooemio commemoratur) detegendae et per Estherem regi denuntiandae, qui eunuchos occidi iussit (2,19-23).

(a) S. Hieronymus in priore parte libri, quam e textu hebr. vertit, transcripsit hebraicum nomen אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ *Assuerus*, in altera reliquit nomen ab alexandrinis interpretibus adoptatum *Artaxerxes*; infra (145 p. 427 sq.) ostendemus Assuerum esse Xerxem; in analysi retinebimus nomen *Assueri* etiam in additamentis.

2. *Aman contra Mardochaeum iratus regem permovet, ut integrum populum Iudaeorum destruat* (3,1-15; 13,1-7).

a.) Eo tempore Aman Medus ab Assuero super omnes principes elevatus est, ita ut omnes regii servi coram eo genuflecterent solo Mardochaeo excepto. Quod quum ei delatum esset, Aman non solum Mardochaeum, sed totum eius populum perdere statuit (3,1-6).

b.) Itaque primo mense a. 12. Assueri (474.) Aman, postquam sortem (phurim) miserat de die, quo perire deberent Iudaei, regi persuasit, ut populum Iudaeorum destrueret (3,7-9). Annuens rex decretum edidit, ut die 13. ultimi mensis anni istius Iudaei in toto regno occiderentur et bona eorum diriperentur; misitque illud per omnes provincias (3,10-15; 13,1-7).

PARS SECUNDA (4,1-17; 15,1-3; 13,8-14,19) narrat, *quomodo Mardochaeus et Esther ad avertendum populi sui interitum sese praeparaverint.*

1. *Mardochaeus persuadet Estheri, ut apud regem pro populo suo intercederet* (4,1-16; 15,1-3).

a.) Edictum regis Mardochaeum totumque populum consternavit; Esther autem per eunuchum suum a Mardochaeo causam consternationis sciscitata accepto edicti exemplari monita est, ut regem pro populo suo deprecaretur (4,1-8; 15,1-3);

b.) quae primum quidem abnuit, quia nemini non vocato ad regem accedere licuit (4,9-11), instante autem Mardochaeo pollicita est se regem aditurum, simul rogans, ut Iudaei omnes triduano ieiunio Deum placarent (4,12-16).

2. *Precibus fusis Mardochaeus et Esther Dei misericordiam implorant* (4,17; 13,8-14,19).

a.) Indicto Iudaeis ieiunio (4,17) Mardochaeus ad Deum se convertens eius omnipotentiam celebrat (13,8-11), causam explicat, cur coram Amane genuflectere noluerit (13,12-14), rogat ut populum illum, quem sibi elegerit, tueatur (13,15-17); atque similiter oraverunt reliqui Israelitae (13,18).

b.) Esther quoque in spiritu humilitatis (14,1. 2) Deum solum esse suum refugium professa et pristinam exsilii poenam iustam fuisse confessa (14,3-6) maius quod nunc imminet periculum deprecatur (14,7-11) rogatque Deum, ut se adiuvet coram rege monens, se ipsam immunem esse ab omni legis violatione (14,12-19).

TERTIA PARS (15,4-19; 5,1-8,12; 16,1-24; 8,13-10,3) narrat, *quomodo malum, quod hostes populo electo inferre voluerant, in eos ipsos reciderit.*

1. *Esther precibus suis a rege Amanis supplicium obtinet* (15,4-19; 5,1-8,2).

a.) Tertio die Esther pulcherrimis vestibus ornata ad regem intravit, sed ad primum eius aspectum exterrita est (5,1; 15,4-10); verum Deus cor regis ad mansuetudinem inclinavit, ut eam bene reciperet (5,2; 15,11-19). Interrogata, quid peteret, rogavit regem, ut cum Aman apud se coenaret (5,3-5); coena autem finita, ut postridie iterum apud se coenarent petiit (5,6-8).

b.) Qua invitatione laetatus Aman abiit, sed quum iterum Mardochaeum sibi non assurgentem videret, ira abreptus uxoris amicorumque consilium secutus altissimam parari iussit trabem, in qua postridie suspenderetur Mardochaeus (5,9-14). At eadem nocte coram rege ex regni annalibus lectum est, quomodo aliquot ante annis coniuratione eunuchorum detecta a Mardochaeo servatus fuerit; quapropter postridie Amani iussit, ut Mardochaeo regios honores deferret (6,1-12); unde maiorem cladem ei praesagiverunt uxor et amici (6,13. 14).

c.) Quod vaticinium mox est impletum. Ad reginae enim coenam vocatus (6,14) ab Esthere, quae regi genus suum patefecit, accusatus est, quod se et gentem suam perdere vellet (7,1-6), atque rex eum in ea trabe suspendi iussit, quam Mardochaeo paraverat (7,7-10), Mardochaeus vero super domum reginae constitutus est (8,1. 2).

2. *Esther completam victoriam populo suo obtinet* (8,3-10,3; 16,1-24).

a.) Priore victoria non contenta Esther rogavit regem, ut novo decreto edictum ab Amane promulgatum corrigeret Iudaeisque salutem concederet (8,3-6). Quibus precibus obsecutus rex novum decretum promulgari iussit, quo declaravit sibi placere, si prius non observetur, et Iudaeis facultatem concessit, ut 13. die Adar ab hostibus sese defenderent eorumque bona diriperent (8,7-12; 16,1-24). Quod decretum magnam ubique Iudaeorum excitavit laetitiam (8,13-17).

b.) Die statuto igitur Susis et in provinciis hostes suos aggressi sunt et interfecerunt, inter quos etiam decem fuerunt filii Aman (9,1-12); regina vero obtinuit, ut etiam insequente die Iudaeis liceret Susis hostes suos occidere et ut filii Aman in patibulo suspenderentur (9,13-16).

c.) Magno deinde festo celebrato statuerunt, ut quotannis hic dies 14. Adar, in quo a caede desierunt, magna cum laetitia perageretur (9,17-19), atque Mardochaeus epistola scripta omnibus Iudaeis novum hoc festum Phurim (sortium) indixit (9,20-32).

d.) Assuerus autem feliciter regnavit et Mardochaeus fuit secundus in regno eius (10,1-3).

Epilogus (10,4-13) somnio Mardochaei de duobus draconibus colluctantibus (Mardochaeo et Amane) et de parvo fonte, qui in magnum fluvium excrevit et populum salvavit (Esthere) explicato narrationem aptissime terminat.

Subscriptio (11,1) docet, quo tempore liber in Aegyptum allatus sit.

1. Integra narratio, quum dramaticae actioni non sit absimilis, a nonnullis velut drama distribuitur: *Kilber* (Analysis biblica I. p. 313 sqq.) praeter prologum (11,2-12) et epilogum (10,4-12) distinguit *parasceven* (1,1-2,22 et 12,3), *protasin* (3,1-4, 17 et 13,1-14,19), *epitasin* (15,4-18 et 5,3-6,14), *catastrophen* (7,1-10,3 et 16,1-25). Utpote simpliciorem, clariorem, accuratiorem praeferimus eam fere divisionem, quam iam insinuavit *Lyranus*, secuti sunt *Serarius* (Comment. in Tob., Iudith, Esth. Machab. p. 429), *Goldhagen* (Introd. II. p. 180 sq.), *Vigouroux* (Manuel bibl. II. p. 154 sq.) alii.

144. — Finem libri Esther moderni interpretes protestantici eum esse arbitrantur, ut originem et causam festi Purim explicet[1]; neque negari potest alium auctoris finem non detegi, si quis solum librum hebraicum neglectis additamentis considerat. Attamen creditu est difficillimum, Spiritum S. auctorem impulisse, ut integrum librum de origine et causa festi alicuius conderet, quod non tantum, si illa quae in textu hebraico describitur ratione celebratur, nihil religiosi habet nec religiosis adnumerari meretur, sed etiam cessante synagoga ipsum cessare debuit. Quapropter antiquiores protestantici interpretes statuerunt : « scopus libri non tantum in demonstranda Dei erga ecclesiam suam providentia prorsus singulari versatur, qua interire illam rebus iam conclamatis non sinit, sed memorabili quoque historia denuo signat et illustrat populum, ex quo oriundus aliquando erat Messias, ut cognitione et fide eius... imbuerentur quoque gentiles, inter quos haec gerebantur »[2]. Quae etsi de hebraico libro, quem solum canonicum agnoscunt heterodoxi, parum recte sint dicta[3], de integro libro haud incongrue statuuntur. In hebraico enim textu singularis illa providentia Dei omnino tecta est et occultata, siquidem nec unquam Deus aut eius providentia nominatur, nec eius auxilium invocatur, nec Iudaeorum privilegium prae reliquis nationibus ullo modo innuitur; in additamentis autem non semel disertis verbis asseritur. In ipso exordio « iustorum gens » a reliquis populis iam secernitur et singularis cura, qua Deus illi invigilat, indicatur (11,9 sqq.); quando summum erat discrimen, Mardochaeus precatur, ut Deus, qui pro voluntate sua omnia dirigat, populi *sui*, quem *sibi* de Aegypto redemerit, misereatur, ut « sorti et funiculo *suo* » propitius sit (13,15 sqq.); atque clarius Esther, postquam iustitiam agnovit Dei, qui populum, quem de cunctis gentibus *in haereditatem sempiternam* elegisset, propter eius idololatriam in manus hostium tradidisset, eundem precatur, ut confundat hostes, qui haereditatem *suam* delere, gloriam templi et altaris exstinguere, ora laudantium verum Deum claudere conentur, atque enixe rogat, ne tradat Dominus sceptrum *suum* illis, qui nihil sint, neve hostibus occasionem det laudandae idolorum suorum fortitudinis et praedicandi regis sui carnalis (14,5 sqq.). Totum autem finem suum indicare auctor videtur, si librum explicato Mardochaei somnio terminat his verbis : « Recordatus est Dominus populi sui et misertus est haereditatis suae et erunt eis dies isti (celebrabunt dies istos) cum sacris conventibus (μετὰ συναγωγῆς) et gaudio et laetitia *coram Deo* per cunctas generationes in populo Israel » (10,12. 13). Eundem igitur finem sibi proposuit auctor noster, quem prosecutum esse auctorem libri Iudith diximus (135 p. 396); neque certe mirum est, quod Deus populum suum, qui post exsilium semper sub ethnicarum gentium iugo vixit, duobus istis libris consolari

eique animum addere voluerit, ut pristinarum promissionum Deum immemorem non esse certius cognoscens Legem acceptam fidelius observaret.

At « Esther, inquit *S. Hieronymus*, in Ecclesiae typo populum liberat »; quae verba explicans optime *P. Goldhagen* : « quod in ecclesia iudaica ὡς ἐν τύπῳ semel gestum legimus, renovatum atque multoties completum videmus in Ecclesia catholica e praesentissimis periculis saepe liberata et ad hunc usque diem fremente licet infidelitate et haeresi mirabiliter conservata »[4]. Nos igitur quoque S. Spiritus hoc libro quotidie docet, Deum fidelibus suis nunquam defuturum nec unquam eos, licet rebus fere iam conclamatis, interire permissurum, dummodo ad ipsum confugerint.

1. *Keil* Einl. p. 488; *Rawlinson* The book of Esther (The Speaker's Commentary III. p. 471) « The main scope of Esther is simply to give an account of the circumstances under which the Feast of Purim was instituted »; *Bertheau* Esra, Nehemia, Esther p. 273; *Schultz* die BB. Esra, Neh. Esther p. 220; *Orelli* in Herzog P. R. E. Ed. 2. IV p. 344; *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 139; *Staack* Einl. Ed. 4. 1895 p. 141 etc.

2. *Carpzov*. Introductio ad libr. can. V. T. Ed. 4. (1757) I. p. 364.

3. Quare etiam Carpzovius a Keil l. c. vituperatur et impugnatur : « Dem Buch fremd ist die Zweckbestimmung von Carpzov.; denn wenn sich auch in der Rettung der Juden das Walten der göttl. Vorschung herrlich erweist, so ist doch in der Erzählung selbst (sc. in textu hebr.) dieser Gesichtspunkt nicht hervorgehoben ».

4. *S. Hier.* ad Paulin. ep. 53,7 (M. 22,547); *Goldhagen* Introd. II. p. 185.

§ 39. — *De libri Esther auctoritate et origine.*

145. — Eodem modo, quo de Tobiae et Iudithae, etiam de nostri libri FIDE HISTORICA a non paucis hodie dubitatur. Primus historicum eius characterem impugnavit rationalismi parens Semler impudentissime asserens « confictam esse universam parabolam, fastus et arrogantiae Iudaeorum locupletissimum testimonium ». Quem secuti hodierni rationalistae cuncti eum aut « fabulam romanensem haud inepte conscriptam » esse dicunt, aut narrationem difficultatibus historicis scatere et saepius contra mores persicos peccare asserunt, aut factum aliquod poetice exornatum esse putant[1], contradicentibus utique reliquis protestanticis interpretibus, qui contra Iudithae quidem historiam insurgunt, quia rei narratae in aliis libris sacris mentio nulla inveniatur, Estheris autem historiam pro vera admittunt, etsi revera nulla eius mentio fiat in aliis libris, quos sacros habent[2]. — Ex catholicis *Ant. Scholz* in hoc libro idem thema, quod in ll. Tobiae et Iudith tractari tenet; apocalypsis enim ei est, in qua Ezechielis vaticinium de Gog (*Ezech.* 38) ita repetatur et evolvatur, ut ultima Antichristi pugna contra regnum Messiae accuratius describatur[3].

Auctorem nostrum veram historiam narrare *voluisse* tota libri indoles satis demonstrat. Mira enim simplicitate splendet narratio atque accuratissima est etiam in minoribus rebus referendis. Non tantum personarum, quae primas partes agunt, Assueri, Estheris, Mardochaei, Aman, nomina affert, sed etiam eunuchorum regiorum (1,10), septem principum persicorum (1,14), reginae repudiatae (1,11), praefectorum gynaecei regii (2,8. 14), ianitorum coniuratorum (2,21), uxoris et filiorum Aman (5,10; 9,7 sq.) etc. Num omnia temere conficta dicemus, quia omnia ex persico idiomate non amplius explicare possumus [42]. Si vero auctor confingere voluit, cur ad annales Medorum et Persarum provocavit, in quibus Assueri et Mardochaei res gestas referri asserit (10,2)? Annon ex iis fraudis convinci potuit, si tam accurate rerum gestarum annos indicavit (1,3; 2,16; 3,7), ut de mensibus et diebus taceamus (3,13; 8,12; 9,1 etc.)? Sed haec persequi opus non est; siquidem vere historicam esse libri indolem tam clarum est, ut ab eius origine usque ad medium saeculum praecedens, i. e. per plus duo millia annorum, nemo librum istum legens se fabulam romanensem legere sit suspicatus.

At veram quoque *esse* rem narratam, satis clare docet continua festi Purim celebratio, cuius causam et originem narrat. Hodie adhuc Iudaei illud celebrant, sicut eo tempore, quo templum secundum destructum est, ac machabaica aetate illud celebrarunt. « Mardochaei dies » appellatur in 2 *Mach.* (15,37) eiusque institutionem *Fl. Iosephus* (Ant. XI. 6) nostrum librum secutus accurate refert. Ut aliquid novi dicerent, moderni interpretes nonnulli Iudaeos hoc festum a Persis esse mutuatos, auctorem autem nostrum, ut illud explicaret, narrationem suam confinxisse coniecerunt [3]; sed nullo argumento, quod speciem quandam veri habeat, coniecturas suas munire conati sunt. Profecto quis sibi persuadebit, Iudaeos in toto orbe dispersos eo tempore, quo accuratius diligentiusque, quam unquam antea, Legem observare coeperant ardentiusque omne idololatrarum consortium aversabantur, festum ethnicum introduxisse?

Porro tota narratio cum Persarum historia, quam profani scriptores tradiderunt, ita conspirat, ut eam veram esse non sit ambigendum. Olim quidem dubitatum est, quis esset ille Assuerus, quo regnante Esther Iudaeos a Persarum persecutione esset tuita. Atque alii unum ex Medorum regibus Astyagen (*Gerard. Merc.*) vel Darium Medum i. e. Cyaxarem (*Cedren.*, *Goldhagen*, *Nickes*) intelligere voluerunt, sed de Medorum regno sermonem non fieri certum est. Alii inter Persarum reges praetulerunt Cambysen, qui septem tantum annis regnavit (*Lyran.*), alii Darium Hystaspin (*Usser.*), alii Artaxerxem Longim. (*Joseph.*; *Bellarm.* etc.), alii Artaxerxem Mnemonem (*Euseb.*, *Hieron.*

etc.), alii Darium Nothum (*Serar.*). Sed hodie tantum non omnes, qui historicam libri auctoritatem admittunt, Assuerum nostrum esse Xerxem consentiunt, idque rectissime.

1. *Semler* Apparatus ad liberalem V. T. interpretationem. Halae 1773. p. 152. — Inter recentiores rationalistas cfr *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 299 « Treffend bezeichnet *Noeldeke* (Alttestam. Literatur. p. 83 sqq.) das von Unwahrscheinlichkeiten (!!) und Unmöglichkeiten (!!) wimmelnde Buch als einen nicht ungeschickt geschriebenen Roman »; *De Wette Schrader* Einl. p. 397; *Reuss* in Schenkel's Bibellex. II. p. 200 « Das Buch Esther enthält die *Legende* des Purimfestes. Mit diesem Wort... ist alles gesagt »; *Davidson* Introd. II. p. 162 : « We cannot regard the book as containing only true history. Neither can it be accounted pure fiction. Rather does true history lie at its foundation, dressed out with a number of imaginary details and circumstances » etc.

2. Cfr inter alios *Haevernick* Einl. II. 1 p. 334 sqq.; *Keil* Einl. p. 489 sqq. et Comment. p. 605 sqq.; *Rawlinson* in the Speaker's Commentary II. p. 471 sqq. alii. — Catholicos interpretes enumerare opus non est, quum omnes usque ad nostram aetatem veram historiam historico narrari admiserint atque ipse *Iahn* (Einl. II. p. 298 sqq.) historicam libri indolem vindicet.

3. *Ant. Scholz* Tüb. Quartalschr. 1890; *eiusdem* Comm. z. B. Esther. 1892.

4. Mirum est, quod protestantici interpretes nomina, ut ea explicent, in textu hebr. per librarios corrupta esse contendant (cfr *Rawlinson* l. c. p. 477. 479 etc.); etenim in ll. Tobiae et Iudith ea esse corrupta negant, ut ex eis contra historicam eorum indolem argumentari valeant (cfr *Rawlinson* p. 472).

5. *Bleek Wellhausen* l. c. p. 301; *Hitzig* Gesch. Israel's I. p. 280; *Zunz* Zeitsch. der deutschen morgenl. Ges. XXVII. p. 684 sq. — *De Lagarde* (Ges. Abhandlungen. p. 164 sqq.) censet Iudaeos imitatos esse festum illud, quod ultimis anni diebus Persae in defunctorum memoriam magnis epulis celebrant atque *Fordigan* vel *Pordigan* nominant. Monet enim in codicibus graecis iudaicum festum interdum nominari φουρδια vel φουρμαια (aut etiam φρουραιηνα etc.); sed num lapsus calami pro argumentis adhibere licet? Et quo argumento demonstratur, Iudaeos unquam in hoc festo defunctorum memoriam celebrasse?

Namque nomen *Assueri* (Achaschverosch אֲחַשְׁוֵרוֹשׁ) si sustuleris Aleph prostheticum, ad amussim consonat persicae formae nominis Xerxis (*Chsy-ârschâ* vel *Chsay-ârschâ*), quae ex cuneiformibus inscriptionibus nobis innotuit. Quare omnino reiicienda est alexandrinae versionis transcriptio, qua multi interpretes in errorem sunt inducti; *Artaxerxes* enim correspondet hebraico *Arthach*schaschtha (אַרְתַּחְשַׁשְׂתָּא) et cuneiformi *Artachschathra*[6].

Uti autem Assueri nomen, ita etiam eius indoles ea est, quam Xerxis fuisse profani scriptores docent; eadem in utroque crudelitas atque ulciscendi cupido, eadem luxuria et libido, eadem in agendo inconstantia et dementia, ut homini deliro quam sano interdum sit similior. Profecto si omnia illa vera sunt, quae de Xerxe narrant Herodotus aliique, nihil in nostro libro legitur, quod peragere non potuerit. Qui artifices occidit, quia pontem, quem Hellesponto iniecerant, tempestas

abstulerat, immo ipsum Hellespontum flagellis caedi et catenis vinciri iussit, satis erat stultus, ut integram Iudaeorum gentem sine ullo iudicio occidi permitteret; et qui immediate postquam flevit, propterea quod post centum annos nullus ex innumerabili suo exercitu superfuturus esset, eandem infinitam multitudinem certae morti obiecit, satis erat inconstans, ut decreto vix lato aliud contrarium opponeret[7].

Sed accuratius rem pertractemus. Assuerus dicitur regnasse « ab India usque ad Aethiopiam super centum viginti septem provincias »; teste autem Herodoto Indi et Aethiopes Xerxi tributarii erant in eiusque exercitu stipendia merebantur. Darius Medus regnum suum iam in centum viginti provincias distribuerat, quibus postea accesserant Aegyptus aliaeque terrae a Cyro eiusque primis successoribus expugnatae[8]. Xerxes, postquam 2. regni anno (483.) felicem expeditionem in Aegyptum fecerat, anno insequente omnes regni sui principes Susis congregavit, ut cum iis longam de bello Graecis inferendo deliberationem haberet[9]. Festa, quae eo tempore celebrata sunt, commemorat sacer auctor, quia in illis regina Vasthi repudiata est, atque ita remota fuerunt causa, cur Esther in eius locum succederet; deliberationem autem de bello graeco praetermittit, quia ad rem suam non pertinebat. Quoniam vero non omnes omnium provinciarum duces eodem tempore provincias suas relinquere potuerunt, sed alii post alios arcessebantur, facile intelligitur, quomodo festa illa per sex menses integros duraverint. Post belli praeparationem ineunte anno 5. regni (480.) Xerxes in Graeciam profectus et re infeliciter gesta anno insequente (479.) reversus est. Eo demum tempore puellae congregatae sunt, ex quibus eligeret reginam in locum repudiatae; bello enim graeco intercedente aptissime explicatur, cur a 2. anno usque ad 7. exspectaverit, antequam de nova eligenda cogitaret[10]. Tota igitur chronologia vitae Xerxis optime cum narratione nostra consentit. Quod autem res a nostro auctore relatae in profanis libris non commemorentur, id difficultatem non creare manifestum est; uti enim Medorum et Persarum annales, in quibus scriptae erant, etiam opera Ctesiae, Dinonis, Dionysii Mil. aliorumque interierunt, qui ex annalibus hauserant.

Ea demum, quae de persicis rebus in nostro libro traduntur, confirmantur aliis descriptionibus, quas profani aut sacri scriptores nobis reliquerunt. Septem fuisse Persarum principes septenariumque numerum in singulari honore fuisse apud Persas docent Herodotus et inscriptiones; eosdem septem principes, sed etiam septem eunuchos regios, septem servos reginae etc. commemorat auctor noster[11]. Solis septem principibus licuit non vocatis ad regem accedere secundum Herodotum, et secundum librum nostrum quicunque non vocatus interius atrium regis intraverat, absque ulla cunctatione statim interficie-

batur[12]. Persarum reges decreta sua variis in linguis promulgasse demonstrant eorum inscriptiones adhuc superstites; eos habuisse suos cursores, per quos decreta in provincias transmitterent, tradit iterum Herodotus[13]; decreta ipsa non potuisse revocari aut irritari etiam Daniel tradit[14]. Satis magnus quoque numerus persicorum vocabulorum adhibetur, atque nomina personarum multa, etsi non omnia, ex persica lingua apte explicantur[15]. Iam vero si liber noster (id quod volunt adversarii) recentiore aetate, Seleucidarum sc. tempore post regni persici interitum, esset confictus, quomodo factum est, ut eius auctor tam accuratam rerum omnium persicarum scientiam haberet?

6. Secundum *Herodot.* VI. 98 Xerxes idem est quod ἀρήϊος, hodie ab aliis explicatur *rex potens*, ab aliis *rex oculus* (Cfr *Spiegel* Eranische Alterthumskunde II. p. 377; *Rawlinson* in The Speaker's Commentary III. p. 422); Artaxerxes secundum Herodotum est μέγας ἀρήϊος, secundum hodiernos philologos *excelsum regnum* vel magnum regnum.

7. *Herod.* VII. 35; *S. Hieron.* ad Heliod. ep. 60,18 (M. 22,601). Alia exempla crudelitatis non desunt, inter quae praecipuum, quod de Pythio Lydo, qui Xerxi ditissima dona obtulerat, fuse narrat *Herod.* VII. 27. 38. 39, paucis comprehendit *Seneca* De ira III. 17 : « Xerxes Pythio, quinque filiorum patri, unius vacationem petenti, quem vellet, eligere permisit; deinde quem elegerat in partes duas distractum ab utroque viae latere posuit, et hac victima lustravit exercitum ». Auctore Herodoto VII. 238 Leonidae, qui tam fortiter Thermopylos defenderat, occisi caput amputari et truncum cruci affigi iussit etc. — Quae fuerit eius luxuria, ex eo solo iam satis elucet, quod praemium magnum promisit ei, qui inventurus esset novum voluptatum genus. *Athen.* Deiphosob. VIII.

8. *Esth.* 1,1 cfr *Herod.* VII. 9 « Σάκας καὶ Ἰνδοὺς καὶ Αἰθίοπας καὶ Ἀσσυρίους ἄλλα τε ἔθνεα πολλὰ καὶ μεγάλα... καταστρεψάμενοι δούλους ἔχομεν. Indiam expugnavit Darius Hyst. (*Herod.* IV. 44-94), Aegyptum subiicere inceperat iam Cambyses (*Herod.* III. 26), sed eam devicit Xerxes (*Herod.* VII. 7 Αἴγυπτον πᾶσαν πολλὸν δουλοτέρην ποιήσας, ἢ ἐπὶ Δαρείου ἦν). — Ceterum cave ne provincias, de quo loquitur *Esth.* 1,1. cum satrapiis confundas, in quas Darius Hyst. tributi imponendi causa integrum imperium suum distribuerat; secundum inscriptiones enim suas primum viginti, postea aliis subiectis terris viginti tres, ac demum undetriginta satrapias fecerat. In nostro autem textu provinciae illae vocantur מְדִינוֹת, quarum in singulis satrapiis multae erant; secundum *Herod.* III. 91 enim quinta satrapia, quae trecenta quinquaginta talenta quotannis solvebat, complectebatur « totam Phoeniciam et Syriam, quae vocatur Palaestina, et Cyprum »; plures complectebantur aliae satrapiae. In Xerxis exercitu plus quam sexaginta diversi populi enumerantur ab *Herod.* VII. 61-95.

9. *Herod.* VII. 8 sqq.

10. Non satis tamen liquet, annon iam ante bellum prima vice puellae sint congregatae; id enim videtur indicare *Esth.* 2,19 « quum *secundo* quaererentur virgines ».

11. *Herod.* III. 70 etc.; *Esth.* 1,14. 10; 2,9.

12. *Herod.* III. 84. 118 ὁ νόμος οὕτω εἶχε, τοῖσι ἐπαναστᾶσι τῷ μάγῳ (sc. Dario et sex sociis eius eorumque successoribus) ἔσοδον εἶναι παρὰ βασιλέα ἄνευ ἀγγέλου cfr *Esth.* 4,11.

13. *Herod.* V. 14; *Esth.* 8,9. 14.

14. *Dan.* 6,3; *Esth.* 8,8; quare etiam in secundo decreto 16,17 : καλῶς οὖν ποιεῖτε, μὴ προσχρησάμενοι τοῖς ὑπὸ Ἀμὰν ἀποσταλεῖσι γράμμασι, pro quibus parum recte *Vulg.* « eas literas... sciatis esse irritas ».

15. Cfr de persicis libri nostri vocabulis *Rawlinson* l. c. p. 498 sq. — De voce פור, a qua festum nomen suum accepit, haec tradit : « *Pûr, the lot*, as used in Esther, is evidently a Persian word, for it is twice (3,7; 9,24) accompanied by its Hebrew equivalent *gôrâl*. The word has not been found in old Persian, but modern Persian has a term *pâreh*, with the meaning of *part*, *portion*, which is undoubtedly cognate, though scarcely the direct representative of *pûr* ». Praeter nomina propria satis multa, quae persicae originis sunt, decem persica vocabula adhibentur in parvo libello hebraico.

146. — Veram igitur in libro Esther historiam narrari certum est, eoque certius, quo leviora sunt omnia, quae magna cum operositate adversarii ad hanc infirmandam sententiam congesserunt. Septemdecim argumenta collegit Davidson, reliqui paucioribus sunt contenti; praecipua sola proponemus, quum omnia afferre operae pretium non sit; velut difficultatem enim proponunt, quidquid eis creditu videtur esse difficile.

Si *de Wette Schrader* fidem meretur maxima narrationis difficultas (die Hauptschwæche der Erzæhlung) in eo est sita, quod Esther iudaicam suam originem usque ad catastrophen celare potuerit quodque eius cum Mardochaeo, qui quotidie in aula adfuit, consanguinitas regi et Aman prorsus fuerit incognita[1]. Qua vero ratione in hac re vel minima lateat difficultas, equidem non intelligo. Concubinarum enim suarum originem investigare etiam hodie non solent viri polygamiae addicti, nec quidquam permovit Xerxem, ut Estheris genus exquireret. Multo minus autem Aman, cuius curae regium gynaeceum non erat commissum, uxorum regiarum genus aut familiam cognoscere potuit.

Quatuor difficultates invenit *Bleek Wellhausen*[2] : a.) « Credi non potest, inquit, tyrannum illum, si a familiari incitatus omnes regni sui Iudaeos interimere voluisset, iam undecim mensibus ante diem caedi destinatam decretum hac de re edidisse et omnibus suis populis promulgasse. Nonne enim hac ratione Iudaeis tempus concessit, ut sive ad vitam suam defendendam sese praepararent, sive fugam arriperent? In provinciarum autem numero etiam fuit Palaestina, quae integra fere eo tempore a Iudaeis erat occupata; quomodo hos omnes ad necem condemnare potuit? » — At creditu facilia haec omnia videbuntur consideranti Amanem ex Persarum more[3] *sorte* diem caedis Iudaeorum exquisivisse ideoque superstitione sua seductum non dubitasse, quin hic dies sorte assignatus, quidquid antea ageret non obstante, sibi faustus esset futurus. Neque enim ei erat timendum, ne Iudaei in vastissimo regno dispersi atque undique ab hostibus circumdati aut fugerent aut rebellionem praepararent. Immo forte etiam contentus fuisset, si multi fugissent; divitias enim opesque suas relinquere debuissent, atque facilius Aman decem millia talentorum, quae regi promiserat, invenisset. In Palaestinam demum ante Xerxis aetatem Zorobabele duce quadraginta tria millia Iudaeorum dumtaxat erant reversi, qui quam parum apti fuerint ad hostes, quibus cingebantur, repellendos docet 1. *Esdr.*

b.) Neque magis credi posse censent adversarii, Iudaeos, quum altero decreto a Xerxe vitae defendendae permissionem accepissent, omnes suos hostes vicisse atque uno die septuaginta quinque millia virorum occidisse. — Sed quamquam prius decretum, quo Iudaeorum caedes praescribebatur, altero non erat irritatum, optime tamen intelligebant satrapae et provinciarum praefecti, se alteri potius, quod Mardochaeus regis amicus miserat, obtemperare debere, quam priori Amanis, quem a rege interfectum audierant. Ut regis autem regiique ministri gratiam sibi conciliarent, optimates quoque ubique a Iudaeorum caede abstinuisse verisimillimum est. Quare ex infima plebe haud dubie erant aggressores, quos satrapis aut aperte aut occulte adiuvantibus Iudaei sine ullo negotio devicerunt. Neque exaggeratus videtur esse numerus occisorum in regno, quod ab India usque ad Aethiopiam sese extendebat[5]. Multos quoque Iudaeos in hac pugna cecidisse probabile est, licet sacer textus de Iudaeis occisis nihil dicat. Quodsi Iudaeis, qui Susis degebant, rex idem, quod priore die fecerant, etiam altero facere concessit (4,13 sq.), id facile explicari arbitramur, dummodo supponatur plebem susanam altero die priorem cladem ulcisci voluisse.

c.) Difficile creditu esse aiunt, integram civitatem, cuius maior incolarum numerus Persis aliisque ethnicis constabat, priore decreto esse afflictam (3, 15), de altero autem, quod Iudaeis favebat, esse gavisam (8,15). — Sed textum hebraicum in neutro loco de *integra* civitate loqui respondemus; secundum Vulg. nostram de priore decreto « *cuncti Iudaei*, qui in urbe erant, fleverunt » et secundum textum graecum priore decreto ἐταράσσετο ἡ πόλις, id quod facile concipitur. In altero autem loco (8,15) Vulgata omnem quidem civitatem gavisam esse dicit, sed de Mardochaei exaltatione, quae magnam saltem periculi partem avertebat, non de decreto lato. Ita etiam 8,17 secundum textum hebraicum in omnibus provinciis et civitatibus, in quibus alterum decretum promulgabatur, *Iudaeis* fuit gaudium et laetitia; S. Hieronymus autem, si vocabulum *Iudaeis* omisit, lectores illud, utpote a contextu postulatum, sua sponte suppleturos recte censuit.

d.) Demum parum verisimile esse arbitrantur, Assuerum decreto in omnes provincias misso viros omnes dominium in suis domibus tenere iussisse (1,22). — Sed quo cum iure omnia a nostrae aetatis moribus aliena dicemus veri similitudine carere, aut antiquos reges unquam stulta decreta promulgasse negabimus, atque sacrum auctorem potius declarabimus mendacii reum, quam antiquum regem stulte egisse fatebimur? Rationalistae, opinor, si in nostro libro legerent Xerxem literis scriptis prohibuisse, ne Athos mons lapides in exercitum suum deiiceret, id fieri non potuisse uno ore clamarent: verum quia Plutarchus decretum illud affert[5], caeca fide illud admittunt. At, ni fallor, rex ille qui a. 480. Atho monti epistolam stultam scripsit et Hellespontum flagellis cecidit, etiam iam a. 483. legem ferre potuit, qua omnes mariti dominium in domibus suis exercerent suaque sola patria lingua (id quod addit textus hebraicus) in familiis suis uti iubebantur. Immo etiam, licet verisimile id esse negent adversarii, perpetuam prioris uxoris repudiationem inter alia regni decreta referre potuit talis rex (1,19). Sed diutius hisce immorari superfluum est; quid quod veri similitudine carere

dicant, trabem, in qua Aman Mardochaeum, ut poena eius universae civitati innotesceret, appendere voluit, « quinquaginta cubitos altitudinis » habuisse (5,14), aut Assuerum eo die, quo Esther ad eum accessit, in throno suo sedisse (5,1) etc. etc? Multa profecto, quae in nostro libro Assuerus et Aman fecisse narrantur, stulta sunt et mala; sed num ideo auctori est denegandа fides, quia ab hominibus stultis et perversis stulta et perversa gesta esse narrat? Quid de Mardochaei et Estheris agendi ratione sit sentiendum, statim dicemus.

1. *Davidson* Introduction II. p. 157-162. Duas primas eius obiectiones de festo sex mensium, quod Assuerus cum satrapis suis celebravit, et de quatuor annis, qui a repudiatione Vasthi usque ad Estheris electionem effluxerunt, supra (145 p. 428), iam attigimus; reliquae eaedem fere sunt, quas statim afferemus. — *De Wette Schrader* Einleitung p. 398; *Reuss* Geschichte des A. T. p. 584 sq. et in Schenkel's Bibellexicon II. p. 199 sq.

2. *Bleek Wellhausen* Einleitung. p. 299-301; eaedem apud reliquos leguntur.

3. *Herod.* III. 128. Quanta apud antiquos fuerit (et apud multos incredulos hodie sit) dierum fastorum et nefastorum superstitio, nemo ignorat. Obiicit quidem *Davidson* (l. c.) « Surely a man bent on the destruction of two millions of people, would not have permitted a superstition to stand in the way of its fulfilment »; sed minoris quam par est aestimat vires et effectus superstitionis. Annon ethnici antiqui in omnibus suis rebus, etiam gravissimis, omnino dependebant ab auguriorum, auspiciorum, oraculorum etc. superstitione? Quot hodie viri graves inter nostros incredulos inveniuntur, qui feria sexta, utpote die infausto, rem gravem agere nolint? etc.

4. Mithridates in imperio suo multo minore octoginta millia Romanorum uno die interfecit.

5. *Plutarch.* de cohibenda ira 5.

147. — De LIBRI NOSTRI ORIGINE antiqui testes non consentiunt. A viris magnae synagogae illum esse conscriptum tradunt *Thalmudistae*; *SS. Augustinus et Isidorus Hisp.* Esdrae auctori illum attribuunt, sed multo recentiorem illum esse insinuat *Eusebius;* velut sententiam sua aetate communem tradit *Clemens Alex.* a Mardochaeo illum esse exaratum eamque adoptaverunt *Lyranus*, *Dionysius Carth.*, *Genebrardus*, *Serarius*, *Sanctius* multique alii [1]. Hodie plerique interpretes catholici censent non diu postquam res sunt gestae Iudaeum quendam in persico imperio degentem ex commentariis ab ipso Mardochaeo exaratis librum nostrum composuisse [2]. A qua sententia non longe recedit altera, quae maiorem libri partem Mardochaeo, eius vero clausulam Esdrae vel magnae synagogae attribuit [3]. Quam velut veri similiorem nos quoque reliquis praeferimus.

Certum enim praeprimis est, haud pauca in nostro opere legi, quorum eo tempore, quo scribebantur, recentissima erat memoria. Spectatorem enim tibi videris audire, si accuratam et dilucidam legeris descriptionem atrii illius omni luxu et opulentia instructi, in quo Assuerus incolis susanis convivium paraverat (1,5 sqq.); ea quoque, quae de

Esthere in regiam aulam ingrediente (15,1 sqq.), in coena a rege liberationem populi sui postulante (7,1 sqq.), de Mardochaei exaltatione (6,3 sqq.; 8,15 sqq.) etc. narrantur, ab alio quam a teste coaevo narrari vix potuerunt. Atque ipse modus, quo singularum personarum nomina recensentur, mores describuntur, referuntur colloquia, omnino videtur prodere auctorem, qui rebus gestis praesens adfuit. Vix enim fieri potuit, ut sola traditione orali ista omnia diu conservarentur. Adde, nonnulla narrari, quae soli Mardochaeus et Esther scire et tradere potuerunt (11,3 sqq. et 10,4 sqq.; 13,9 sqq. et 14,1 sqq. etc.), alia, quae ex Medorum et Persarum archivis (10,2) hausta sunt, ad quae primo cuilibet aditus profecto non patebat. Quare rectissime nonnulli coniecerunt, auctorem eo tempore vixisse, quo res sunt gestae, eumque virum fuisse in alta dignitate imperii persici constitutum. Iam vero liber ipse testatur « Mardochaeum scripsisse haec omnia et literis comprehensa ad Iudaeos misisse » (9,20). Quae verba, etsi de alia quadam epistola a Mardochaeo conscripta aut de aliis Mardochaei commentariis intelligi per se possint, rectius tamen de nostro libro ipso explicari manifestum est, quia usque ad 9,20 ne verbulum quidem legitur, quod a Mardochaeo conscribi non potuerit.

Aliter autem se res habet, si ea examini subiciuntur, quae inde a 9,23 habentur; certum enim tempus ab institutione festi Purim iam effluxisse supponunt. Duabus partibus constant, quarum prior (9,23-28) praemisso praecedentis narrationis ieiuno quodam compendio refert, Iudaeos festum illud, quod continuo celebrari iubebantur, recepisse. Impuriore suo sermone et toto narrationis genere appendix haec a reliquo libro aperte sese distinguit nec etiam apparet ratio, cur narrationi suae epitomen istam addiderit ipse auctor. Altera appendix (9,29-32) continet praeceptum Estheris et Mardochaei, ut cum festo Purim ieiunium coniungatur, eodem prorsus stylo impuriore conscriptum, atque in fine additur « praeceptum hoc נִכְתָּב בַּסֵּפֶר scriptum est in libro » scilicet illo, in quo reliqua de festo celebrando iam continebantur, i. e. in libro hoc nostro. Duae illae igitur appendices a primitivo libro apte distinguuntur. Quapropter Clementis Alex. et S. Augustini sententias ita conciliandas existimamus, ut integram quidem rerum gestarum narrationem (1,1-9,22 et 10,1-16,24) a Mardochaeo conscriptam esse dicamus, operi autem ab Esdra, quando festum a Iudaeis palaestinensibus receptum est, duabus appendicibus, quibus institutio approbabatur, insertis ultimam manum esse impositam.

Quae autem a rationalistis afferuntur, ut recentiorem esse libri originem demonstrent, haec fere sunt. Post regni persici interitum opus esse conscriptum ex eo concludunt, quod nonnulla ad Persarum mores et historiam

spectantia ab auctore explicentur (1,1. 13; 8,8). Seleucidarum vero et Ptolemaeorum aetati librum attribuere volunt « propter ulciscendi cupidinem et sanguinis sitim, quibus originem suam debeat » et propter impuriorem linguam hebraicam, qua integer conscriptus sit[4]. Sed ut ab hac ultima obiectione incipiamus, linguam libelli nostri impuram quidem esse et iuniorem prodere aetatem ultro concedimus; certus enim numerus vocabulorum persicorum invenitur neque desunt chaldaicae formae et voces; impuriorem autem operis nostri quam librorum Esdrae linguam esse negamus; immo vero stylum et dicendi modum simpliciorem esse atque clariorem putamus; quare nulla est ratio, cur libris Esdrae noster recentior dicatur. — Altera obiectio erroneae innititur textuum interpretationi; in Mardochaei enim et Estheris agendi ratione nulla apparet ulciscendi libido nec ulla sanguinis sitis. Quum regi secundum persicam legem prius decretum, quo omnes Iudaei interfici iubebantur, irritum facere non liceret, salvandis Iudaeis alia via non patuit, nisi ut iis ius liberae defensionis concederetur. Quam ob causam in secundo decreto iis permittitur, « ut stent pro animabus suis et deleant et occidant et interficiant omnes hostes (proprie; *omnem exercitum* » חיל) aggredientes se una cum parvulis et mulieribus et diripiant bona eorum » (8,11). Belligerantium igitur ius, ut ita dicamus, Iudaeis uno isto die concedebatur, qui eorum caedi erat destinatus, neque iustae defensionis limites transgressi sunt Mardochaeus et Esther hoc decreto postulato, quia uti diximus alia via salutis patere non videbatur. Esther vero, si postea a rege obtinebat, ut Iudaeis daretur « potestas faciendi cras in Susan, sicut hodie fecerunt » et « ut decem filii Aman (qui iam occisi erant) suspenderentur in patibulo » (9,13), id unum intendit, ut Susanis, inter quos Aman procul dubio suos asseclas eosque non paucos habuit, maior terror incuteretur, ne iterum Iudaeos aggredi auderent[5]. Singularis ergo saevitiae indicium ista petitio non est. — Demum erronee asseritur, ex modo, quo de rebus persicis in libro nostro sermo sit, omnino sequi, regnum persicum ante operis nostri originem iam interisse. Pleraeque enim res persicae lectoribus supponuntur notissimae; tria autem illa, quae afferre solent adversarii, ut assertum suum demonstrent, ab auctore lectoribus aptissime in memoriam revocantur. Nam si 1,1 imperii magnitudinem, quod ab India usque Aethiopiam sese extendit, indicatam viderunt, clarius periculi gravitatem, quod populo imminebat, perspexerunt : integra gens iudaica interitui erat destinata. Si 1,13 legerunt reges Persarum ex maiorum institutione semper secum habere sapientes suos, secundum quorum consilium leges essent ferendae, iniustitiam perspexerunt decreti Amanis, quod nullo in consilium adhibito est latum (3,8-10). In versu 8,8 autem totius narrationis cardo est (ideoque dolendum, quod S. Hieronymus eum parum accurate reddiderit); nam quia « decretum scriptum nomine regis et obsignatum sigillo regis non potuit *irritum fieri* », ideo opus erat novo decreto, quo Iudaeis belligerantium ius isto die concederetur.

1. *Thalm.* Baba bathra 14. — *S. August.* de civ. Dei XVIII. 36 (M. 41,596); *S. Isid. Hisp.* Etymol. VI. 29 (M. 82,233), sed non plane sibi constans De eccles.

offic. I. 12 (M. 83,747) « viros magnae synagogae » dicit librum scripsisse. *Euseb.* Chron. ad Olymp. 79,1 (M. 19,475). — *Clem. Alex.* Strom. I. 21 (M. 8,852) *Lyran.* et reliqui in Comment.

2. *Scholz* Einleitung II. p. 527; *Herbst-Welte* Einl. II. p. 259 sqq.; *Reusch* Einl. p. 128 sq.; *Vigouroux* Manuel II. p. 153; *Zschokke* Hist. revelat. p. 323; *Gillet* Tobie, Iudith, Esther p. 160 sq.; *Schenz* Einleitung p. 355.

3. Similiter *Kaulen* Einleitung. Ed. 3. 1890 p. 273 sq.

4. Cfr *De Wette Schrader* Einleitung p. 399; *Bleek-Wellhausen* Einl. p. 302; *Reuss* Geschichte des A. T. p. 582 sqq. etc.

5. Nemo unquam iniquius et iniustius de Mardochaeo et Esthere scripsit, quam *Reuss* in Schenkel Bibellexicon II. p. 200 et Gesch. des A. T. p. 585. Quod si Mardochaeum *stulta sua superbia* (provocirenden Trotz), qua coram Amane genu flectere renuit, totam illam periculi causam fuisse asserit, non attendit Mardochaeum illam adorationem Amanis utpote actum religiosum respuisse nec certe ullum vestigium superbiae in agendi eius ratione apparere (13,12-14); revera apud Persas ille actus non erat mere civilis. Praeterea non attendit, primam inimicitiarum Amanis et Mardochaei causam fuisse manifestationem coniurationis eunuchorum (12,6). Nobiscum igitur admittat additamentorum authentiam et praecipua eius difficultas disparebit.

148. — Quae de libri auctore diximus, ea de *integro* libro intelligi volumus; etenim in primitivo libro etiam additamenta, quae hodie in hebraico textu desiderantur, adfuisse pro certo tenemus. Illa olim hebraice exstitisse atque ab eodem interprete, a quo reliquas partes, graece esse reddita, *supra* (**142** p. **418** sq.) iam ostendimus. Non ignoramus quidem, protestanticos interpretes inter additamenta et librum hebraicum contradictiones invenisse[1]; at quin erroneis interpretationibus extorqueantur dubium non est. Mardochaeum enim iam anno 2. Assueri praemium propter detectam et manifestatam eunuchorum coniurationem recepisse, nequaquam asserit primum additamentum (11,2; 12,1 sqq.), sed integrum prooemium duabus particulis plane distinctis constat et somnii narrationi (11,2-12) sine ulla temporis indicatione[2] auctor adnectit narrationem coniurationis (12,1-6), ut duobus draconibus, de quibus somnium agit, cognitis lector ad eorum luctam attentionem suam dirigat. Neque profecto ulla in eo reperitur pugna, quod additamentum in coniurationis manifestatione primam inimicitiarum Amanis originem detegit (12,6), sequens autem narratio in negata genuflexione occasionem patefacit, qua Aman inimicitiae suae morem gerens mortem amicorum vindicare incipit (3,4. 5.). Immo Amanis iram non satis explicari opinor, nisi duae illae rationes coniungantur. Una autem discrepantia revera adest; in additamento dies 14. mensis Adar ab Amane caedi Iudaeorum destinatur (13,6), in libro hebraico dies 13. (3,13; 9,1); at hanc differentiam lapsui librarii deberi facile concedent omnes[3]. Optime igitur omnia consonant, atque verum est, quod supra (144. p. 424) diximus librum nostrum demtis illis additamentis mancum videri et mutilum.

Illa sola remanet difficultas, quomodo factum sit, ut opus mutilum in suum canonem Iudaei receperint. Supra autem iam diximus illo tempore, quo graece translatum est, i. e. ineunte saec. 2. a. Chr., integrum librum in usu synagogae ierosolymitanae fuisse, atque etiam 1. saec. p. Chr. Iosephus sacerdos ierosolymitanus integrum adhibuit, integrumque inter viginti duos libros, quos canonicos esse apud Iudaeos palaestinenses asserit, procul dubio retulit [4]. Moderni autem Iudaei librum hebraicum Esther reliquis omnibus libris sacris, solo Pentateucho excepto, praeferunt eumque solum cum Pentateucho diebus Messiae remansurum credunt [5]. Nihilominus rabbinos inde a saec. 2. p. Chr. de eius canonicitate dubitasse et nonnullos eum ex canone eiecisse certo constat quum ex canone illo, quem S. Melito Sard. medio saec. 2. secundum rabbinorum palaestinensium doctrinam composuit omisso libro nostro, tum ex satis multis testimoniis thalmudicis [6]. Quae traditionis iudaicae inconstantia et variatio indicio nobis est et argumento, synagogam palaestinensem circa finem saec. 1. librum nostrum primitivum funditus mutasse; omnibus scilicet iis, quibus character eius vere religiosus constituebatur, excisis ex libro sacro fecerunt librum profanum, in quo nuda retinebatur historia, Dei autem divinaeque providentiae nulla relinquebatur mentio. Neque deest probabilis ratio, qua haec libri sacri mutilatio et profanatio apte explicatur. Festum enim Purim, in quo quotannis in omnibus synagogis liber hic praelegitur, ab initio quidem iam fuerat festum laetitiae et epularum, decurrente autem tempore degeneravit, ut integro fere charactere suo religioso amisso vix quidquam esset nisi mera saturnalia, in quibus unusquisque bibere iubebatur, donec Mardochaeum ab Amane non amplius distinguere posset. Atque is quoque mos invaluit, ut in ipsa synagogali libri nostri lectione nomina Mardochaei et Amanis a toto coetu inconditis acclamationibus aut benedictionis aut maledictionis exciperentur. Eiusmodi autem festo et tali lectioni synagogali parum adaptatum fuisse primitivum librum evidens est. Quapropter synedrium, ne nomen Dei inhonoraretur, libri compendium, breviorem sc. textum hebraicum hodiernum, videtur adornasse, praeter partes vere religiosas (uti preces Mardochaei et Estheris) etiam illas, quae ad historiam non necessario pertinebant (somnium Mardochaei eiusque explicationem) omittens, alias (duo decreta Assueri, longiorem descriptionem Estheris ad regem ingredientis [praesertim propter 15,11. 16. 17]) in epitomen cogens [7]. Unde postea dubitari coeptum est, num hoc compendium in canone retinere liceret; qua quaestione definita primitivus textus longior negligebatur neque nisi in chaldaicis nonnullis paraphrasibus partes omissae apud Iudaeos conservabantur. At Ecclesia primitivi libri versionem graecam iam adoptaverat et velut fidelis custos inte-

grae revelationis integrum librum conservavit. Haec difficultatis solutio, quam primus innuit *De Rossi* atque paucis mutatis plerique interpretes catholici moderni receperunt atque diligentius explanarunt [8], originem duplicis textus optime explicat; quare omnino praeferenda videtur Bellarmini aliorumque interpretum antiquiorum sententiae, qui duos hodiernos textus, hebraicum et graecum (qui ex chaldaico translatus sit), duobus diversis auctoribus attribuerunt [9].

1. Cfr ex. gr. *Keil* Einleitung. p. 732; *De Wette Schrader* Einl. p. 400; *Rawlinson* l. c. III. p. 473 etc.

2. In Vulgata nostra (12,1) inserta quidem sunt verba « *eo tempore* », at ab utraque recensione graeca exsulant.

3. Librariis quoque, uti patet, attribuenda est corruptio nominum Γαβαθὰ καὶ Θαῤῥά pro Βαγαθὰν καὶ Θαῤῥάς, aut Ἀμὰν ὁ Βουγαῖος vel ὁ Μακεδών pro hebr. הָמָן הָאֲגָגִי et similia.

4. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XI. 6; c. App. II. 8; cfr *Introd. gener.* 22. p. 45 sq.

5. *Carpzov.* Introd. I. p. 366 affert ex *Maimonid.* Iad Chas. haec verba : « omnes libri prophetici et hagiographi abolebuntur diebus Messiae, excepto libro Esther, qui aeque stabilis est atque Pentateuchus et lex oralis, quae nunquam cessabunt ». Cfr similia de libri auctoritate *ibid.*

6. De S. Melitonis canone cfr *Introd. gener.* 37. p. 76 sq.; thalmudica testimonia congessit *I. Fürst* Der Kanon des A. T. nach den Uberlieferungen des Thalm. p. 106 sq.; cfr etiam *Movers* Loci quidam histor. canonis V. T. illustrati. p. 28.

7. Origenis Hexaplis et Luciani M. editione videntur nonnulla ex novo isto hebraico textu in nostras editiones transisse. Iudaei enim, quum somnium Mardochaei omitterent, genealogiam eius in c. 2,5 sq. transtulerunt, atque ita eodem in loco per eos, qui graecum textum ad hebraicum revocarunt, alexandrinae versioni inserta est, quamvis illam iam 1,1 (11,2) haberet. Similiter summum duorum decretorum argumentum, quod receperant rabbini, quum decreta ipsa omitterent, postea transiit in graecam editionem (3,13 sq.; 8,13).

8. *I. B. de Rossi* Specimen variarum lect. etc. Romae 1782. p. 128 sqq. — Cfr *Welte* Einl. in die deuterokan. BB. p. 270 sqq.; *Neteler* die BB. Esdras, Nehemias, Esther. p. 138 sqq.; *Gillet* Tob. Iud. Esth. p. 161 sqq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 277; *Schenz* Einl. p. 356; *Fl. de Moor* Le livre d'Esther 1896. p. 81 etc.

9. *Bellarmini* Controv. De verbo Dei I. 7,10; *Huet.* Demonstr. evangel. Prop. IV. (Ed. Venet. 1765. p. 238) etc.

148. — *De libri Esther eiusque integri* DIVINA ORIGINE ET AUCTORITATE primis fidei temporibus non est dubitatum. Exeunte 1. saec. *S. Clemens Rom.* illas libri partes, quae in hodierno textu hebraico desiderantur, eodem modo quo reliquas Scripturas sacras adhibuit; ineunte 3. saec., quum Iulius Africanus Susannae historiam, quia apud Iudaeos non inveniretur, in dubium vocasset, *Origenes* ex additamentorum libri nostri canonicitate, velut e re ab omnibus concessa, argumentum desumsit, ut a Iudaeorum recentiorum canone ad canonem Christianorum non valere illationem demonstraret; *S. Melitonem Sard.* autem, qui saec. 2. medio in V. T. libris recensendis nostrum omisit, non Ecclesiae

sed palaestinensis synagogae canonem recensere alibi ostendimus[1]. Tria igitur prima saecula unanimia sunt in libri integri Esther divinitate agnoscenda; neque dissentiunt Patres iuniores paucissimis exceptis. Dissentientibus enim non adnumeramus *S. Athanasium M.*, quippe qui, quamvis in priore canonicorum librorum classe librum Esther praetereat, in altera tamen eum catechumenis commendet, « qui discere velint pietatis doctrinam »[2]. Accensendi autem illis sunt duo doctores cappadoces, S. Gregorius Naz. et Amphilochius, quibus ex occidentali ecclesia accedit S. Hieronymus. Etenim *S. Gregorius Naz.* librum Esther in suo canone silentio praetermittit, eiusque amicus *Amphilochius* illum « ab aliquibus » dumtaxat agnosci vult; *S. Hieronymus* demum nimio « hebraicae veritatis » studio seductus breviorem quidem textum hebraicum inter sacros libros admittit, additamenta autem graeca velut spuria reiicit[3]. Trium autem istorum testium, quamvis magna statuatur eorum auctoritas, dissensus nulla ratione aliorum testimonium infirmat, nedum destruat. Ac profecto in Occidente et in Oriente inter iuniores neminem invenimus, qui integrum librum reiecerit, paucissimos in Occidente, qui S. Hieronymum secuti additamentis canonicam auctoritatem negaverint[4]. Saeculo demum 16. Lutherus primus fuit, qui integri libri divinam originem in dubium vocavit; etenim se ei tam infensum esse asseruit, ut eum non exstare optaret, quum nimium iudaizaret atque etiam ethnicam superstitionem saperet; quapropter eum dignum dixit, qui extra canonem haberetur[5]. Quae sententia parum placuit primis eius sequacibus, qui additamenta quidem reiicere, sed breviorem textum hebraicum inter canonicos libros retinere maluerunt non perspicientes iisdem antiquitatis christianae testimoniis, quibus hebraicam illam partem defendi et vindicari arbitrabantur, additamenta etiam graeca vindicari; si enim S. Hieronymum exceperis, ne unum quidem habes antiquitatis testem, qui additamenta a reliquo libro separaverit. Exorto rationalismo Lutheri sententia quam plurimos invenit asseclas; spretis enim historicis testimoniis ex solis rationibus internis libros diiudicantes librum nostrum plane indignum declararunt, qui inter sacros numeraretur; caedem enim eum spirare et sanguinem, superbiam et odium, nihil sacri, nihil divini in eo reperiri, quum ne semel quidem Deus nominetur etc.[6]. Quae immerito et iniustissime obiici supra iam diximus. Licet enim in breviore textu hebraico character vere religiosus tectus sit et occultatus, nihil tamen in eo legitur, quod libro sacro sit indignum; integer autem liber, prout illum Ecclesia ab antiqua synagoga recepit, omnibus illis, quibus reliqui libri historici V. T., conspicuus est virtutibus.

1. *S. Clem. Rom.* 1 Cor. 55. « Non minori periculo (quam Iudith) etiam perfecta in fide Esther, ut duodecim tribus Israel ab instanti exitio liberaret, se ipsam obiecit.

Nam cum ieiunio et humiliatione *precata est rerum omnium spectatorem Dominum, saeculorum Deum* » (Cfr *Esth.* 14,3 sqq.). — *Orig.* ad Afric. 3 (M. 11,52) « In multis quoque aliis libris sanctis invenimus plura esse apud nos quam apud Hebraeos. Exempli causa... in libro Esther neque Mardochaei neque Estheris preces, quae legentem possunt aedificare, apud Hebraeos habentur, neque etiam epistola Aman ad eversionem gentis Iudaeorum scripta, nec altera Mardochaei ex Artaxerxis nomine gentem a morte liberans ».

2. *De S. Athanasii M.* sententia cfr *Introd. gen.* n. 42 Ed. 2. p. 99 sqq.

3. *S. Greg. Naz.* De veris Scripturis et *S. Amphiloch.* ad Sel. 288 (M. 37,473. 1596; cfr *Introd. gen.* Ed. 2. n. 42. p. 105 sq.); *S. Hieron.* Praef. in l. Esth.; at additamenta frequenter adhibuit (cfr *Introd. gen.* Ed. 2. n. 43. n. 23. p. 116).

4. Inter quos praecipui sunt *Lyranus* (cfr *Introd. gen.* Ed. 2. n. 20. p. 140 sq.) et *Caietanus* (cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 51. p. 144).

5. *Lutherus* in Tischreden (Ed. Erlangen. 62,131) : « Und da der Doctor das andere Buch der Makkabäer corrigirte, sprach er : Ich bin *dem* Buche und *Esther* so feind, dass ich wollte sie wären gar nicht vorhanden; denn sie judenzen zu sehr und haben viele heidnische Unart ». De servo arbitr. (Opp. lat. Ed. Erlangen 7,195) : « Liber Esther, quamvis hunc habeat in canone, dignior omnibus, me iudice, qui extra canonem haberetur ». Cfr quomodo impudentia haec verba mitigare et explicare conetur *Carpzov.* Introd. I. p. 370 sq.

6. Cfr *Bertheau* Esra, Nehemia, Esther. Leipzig 1862. p. 287 : « Luthers harte Urtheile über unser Buch sind vielfach getadelt worden; wer aber nicht durch eigene Voraussetzungen und willkürliche Vorstellungen von der Heiligkeit eines kanonischen Buches sich leiten lässt, wird seinem Urtheil über den sittlichen Werth des Buches beistimmen. Es steht dem Geiste der alttestamentl. Offenbarung und des Evangeliums ferner, als irgend ein anderes Buch des A. T.; Esther und Mordechai sind erfüllt von dem Geiste der Rache, der Feindschaft nicht gegen heidnisches Wesen sondern gegen die Heiden, der Grausamkeit und des gottlosen Vertrauens auf den Sieg über die Welt durch weltliche Mächte » etc. Simili modo *Davidson* Introduction II. p. 169 : « We believe there is no book in the O. T. so far removed from the tenor of the gospel as that of Esther. The narrow, national spirit of the Iews appears troughout it in a most unamiable point of view. Revenge and persecution characterise the choosen people » etc. Multo iniquius iudicat *Reuss* (Schenkel Bibellexicon II. p. 200 et Gesch. des A. T. p. 584) : « Dieser Geist des Hasses und des Rachedurstes kömmt in dem Buch so ausschliesslich zum Ausdruck, dass kein Raum bleibt für die Schilderung etwa vorausgegangener und denselben erklärenden und entschuldigenden Misshandlungen, ja nicht einmal zur Bezeugung des Glaubens, um dessen willen diese mochten erlitten sein » etc.

CAPUT XI.

DE DUOBUS MACHABAEORUM LIBRIS.

§ 40. — *De utriusque Machabaeorum libri argumento et fine.*

150. — Ultimum locum in nostro V. T. canone occupant *duo Machabaeorum libri* (Μακκαβαίων α' et β'), qui licet nec ab eodem auctore nec eundem in finem eodemve modo sint conscripti, simul tamen tractentur oportet, quia in iisdem fere rebus gestis narrandis versantur et alter alterum complet. *Machabaeus* cognomen est Iudae, tertio Mathathiae sacerdotis filio, ob virtutem fortitudinemque ut videtur inditum, qua Seleucidas populi sui persecutores et oppressores debellabat[1]. Ab eo autem nomen non tantum in totam eius familiam transiit[2], sed etiam in omnes eius asseclas, qui cum eo fratribusque eius tyrannidem Seleucidarum vi armisque impugnabant, aut avitam fidem in Seleucidarum persecutione tormentis et martyrio profitebantur[3]. Unde etiam libri nostri idem sortiti sunt nomen, quoniam Mathathiae filiorumque eius res gestas narrant, quibus contra Seleucidas patriam religionemque defendebant populoque suo libertatem recuperabant[4].

Etenim Iudaei ex exsilio babylonico reversi, postquam regnante Artaxerxe I. Esdrae et Nehemiae conatu studioque rempublicam suam restituerant, a regibus persicis dependebant quidem, toto tamen persici imperii tempore secundum suas leges et instituta sub magni synedrii summique sacerdotis regimine quieti degebant. Sub iugo satis duro procul dubio semper erant, magnis oneribus a regibus persicis premebantur, inde ab Esdrae tempore cessaverat prophetia; sed Scribae, qui plerique (uti Esdras ipse) erant ex sacerdotibus, una cum libris sacris antiquam religionem conservabant, atque istis temporibus, etsi infelicior esset externus populi status, accuratior videtur fuisse legis observantia. Qui rerum status in peiorem mutatus est, quando Persarum regnum per Alexandrum M. destructum et inter duces eius divisum est. Palaestina enim media inter aegyptiacum Ptolemaeorum regnum et inter Seleucidarum imperium asiaticum sita frequens fuit certaminum et bellorum causa et ab utrisque opprimebatur. Quod autem peius fuit, Iudaei, quum in continuo commercio cum duobus istis regnis essent, haud pauci Graecorum institutionibus magis minusve delectabantur,

atque satis multae familiae, praesertim nobiliores, ut ethnicorum irrisiones et oppressiones effugerent, eorum mores cultumque exteriorem imitatae patriamque religionem placitis ethnicorum philosophorum adaptare conatae cum gentibus « commiscebantur »[5], dum multo plures avitae religioni traditisque ritibus moribusque fideles inhaerentes longius sese a Graecorum consortio retrahebant. Priores « iniqui » et « peccatores » ab Iudaeis fidelibus appellabantur, qui ipsi Asidaeorum nomine sese ab infidelibus distinguebant[6].

Alexandro M. mortuo Palaestina primum in Ptolemaeorum potestatem venerat, qui saltem non aperta vi Iudaeorum religionem persecuti sunt. Atque primus quoque Seleucida, qui Ptolemaeos a. 200. ex Asia expulit, Antiochus III. Magnus Iudaeis favebat eisque et eorum templo magna privilegia concessit[7]. Cuius successor Seleucus IV. Philopator, qui primo regni tempore patris exemplum secutus omnes templi ierosolymitani cultusque divini sumtus ex reditibus suis solverat (2 Mach. 3,3), ultimo vitae anno templum spoliare iam est conatus. Verum gravissimam persecutionem excitavit Antiochus IV. Epiphanes (*Vulg.* Illustris), qua in desperationem coniecti Asidaei ducibus Mathathia sacerdote filiisque eius contra Syros insurrexerunt et continuis quadraginta annorum bellis patriae suae libertatem recuperarunt. Quae bella ARGUMENTUM sunt librorum Machabaeorum [8].

Integrum eorum conspectum exhibet prior liber, qui ab initio regni Antiochi Epiphanis persecutionis historiam enarrare incipit narrationemque usque ad annum 136., quo mortuus est Simon, ultimus Mathathiae filius, quem libertate recuperata Iudaei sibi praefecerant « summum sacerdotem et ducem in aeternum, donec veniret propheta fidelis » (2 *Mach.* 3,3). Paullo altius narrationis suae initium repetens alter Machabaeorum liber citius eam abrumpit; ab ultimo enim Seleuci IV. anno exorsus eam terminat magna victoria illa, qua Iudas Machabaeus a. 161. Nicanore devicto sanctam civitatem liberavit. Prior igitur liber quadraginta, alter sedecim tantum annorum historiam continet, ita ut maior eius pars (2 Mach. 4,7-15,38) paucis prioris libri capitibus (1 *Mach.* 1,11-7,50) respondeat[9]. Quare si ad temporis rationem attendimus, alter priori aptius praemittitur, ideoque eius analysin priore loco trademus.

1. Plerique interpretes moderni nomen *Machabaei* derivant ab hebr. מַקֶּבֶת (*malleus*), unde volunt מַקַּבִּי (Μακκαβαῖος) esse idem, quod *malleator*, *miles strenuus* (cfr. Carolus Martellus). Alii vero ad *Is.* 43,17 provocantes illamque scriptionem praeferentes, quam adoptavit *Gorionides* (מכבי), cui magis respondet latina forma *Machabaeus* (gr. Μαχαβαῖος), nomen ad rad. כָּבָה (*exstinctum est*) referunt, illudque designare volunt *exstinctorem*. Fuerunt quoque, qui nomen ex literis initialibus sententiae, quam

Iudas Machab. in signis vexillisque habuisse dicitur (*Exod.* 15,11 : מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָֹה « Quis similis tui in fortibus [inter deos], Domine »?) vel ex literis initialibus nominis Mathathiae (מַתִּתְיָה כֹּהֵן בֶּן יוֹחָנָן) parum recte derivarent.

2. *Fl. Ioseph.* Antiqu. 16,4 familiam vocat *Hasmonaeorum* (ἡ Ἀσαμωναίων ἀρχή, ἡ Ἀσαμωναίων γενεά cfr Antiqu. XX. 8,11; 10,3 etc.) nomine, ut videtur, derivato a cognomine avi Mathathiae הַשְׁמַן (pinguis, *dives*, *potens*); cfr Antiqu. XII. 6,1 Ματταθίας υἱὸς Ἰωάννου τοῦ Συμεῶνος τοῦ Ἀσαμωναίου.

3. Hinc factum est, ut septem fratres, qui cum matre sua gloriosum martyrium tempore Antiochi Epiphanis subierunt (2 *Mach.* 7.), vulgo *fratres Machabaei* appellentur, quamvis ad Asmonaeorum familiam non pertinuerint.

4. Quo cum iure 3 et 4 *Mach.* libri hoc nomine insigniantur et quid de iis sit sentiendum, diximus in *Introd. gener.* Ed. 2. n. 75. p. 220 sq.

5. Cfr 2 *Mach.* 14,3; 1 *Mach.* 1,12 sqq.

6. « Iniqui » vel « peccatores » 1 *Mach.* 1,12. 36; 2,44; 6,21; 7,5. 9 etc. — Assidaei Ἀσιδαῖοι est hebr. חֲסִידִים *pii* Cfr 1 *Mach.* 2,42; 7,13; 2 *Mach.* 14,6.

7. *Fl. Ioseph.* Antiqu. XII. 3,3.

8. Ut facilius intelligatur Machabaeorum historia, adscribimus genealogiam Seleucidarum, de quibus in libris nostris agitur. Duo enim post Antiochum M. fuerunt familiae rami, inter quos multae de throno disceptationes.

Antiochus III. Magnus
(223 - 187).

Seleucus IV. Philopator (187 - 176). — Antiochus IV. Epiphanes (176 - 163).

Demetrius I. Soter (162 - 150). — Antiochus V. Eupator (163 - 162). — Alexander Balas (152 - 145).

Antiochus VII Sidetes (139 - 130). — Demetrius II. Nicator. (146 - 140 et 130 - 126). — Antiochus VI (144 - 143). — Alexander Zebina (126 - 122).

9. Utriusque libri partes parallelas apte composuit iam *Serarius* (Libri Tobiae, Iudith, Esther, Machab. Moguntiae 1599. p. 548 sqq.), multo accuratius *Patrizi* De consensu utriusque libri Mach. Romae 1856. p. 175 - 246.

151. — « *Liber secundus Machabaeorum*, inquit P. Goldhagen, variis ex partibus hinc inde conflatus est »[1]. Quae assertio aliquid veri continet; duabus enim partibus prorsus distinctis constat, quae solo auctoris fine ad unitatem quandam rediguntur. Narrationi enim suae de persecutione a Seleucidis excitata et de bellis a Iuda Machabaeo contra eos gestis auctor duas epistolas praemittit, quibus Iudaei ierosolymitani aegyptiacos invitaverunt, ut secum encaeniorum festum mense Caslev celebrandum peragerent. Quarum prior (1,1-10) scripta est a. 188. aer. Seleuc. (a. 124. a. Chr.)[2]; altera (1,10-2,19) anni quidem indicatione caret; quoniam vero « Aristobulum magistrum regis Ptolemaei » (VII. Philometoris 181-146) et Iudam (haud dubie Machabaeum, qui a. 161. occisus est) in inscriptione nominat et recentem

Antiochi Epiphanis mortem (a. 163) commemorat, circa a. 162. data est. Narrationem ipsam, quae verum libri argumentum constituit, ex quinque Iasonis Cyrenaei libris se excerpsisse testatur auctor, sed illam non sine arte disposuit. In duas enim sectiones ita eam distribuit, ut singulae novi festi instituti relatione terminentur (10,1-9 et 15,36. 37), et singulae, quum etiam de binorum regum syriacorum rebus gestis agant, in bina membra dividantur; unde concinnitas quaedam partium non iniucunda[3]. Quarum conspectum exhibet haec 2 MACH. ANALYSIS, in qua accuratior quoque *argumenti* descriptio proponitur.

1. *Goldhagen* Introductio II. p. 551.

2. Non satis apta versuum divisione annum, quo data prior epistola significatur, ad alteram trahi iam monuit *Bellarminus* (De verbo Dei I. 15); Graeci enim, id quod etiam ex epistolis in nostro libro relatis (II. 11,21. 33. 38) apparet, annum et diem epistolae scriptae postponere solebant. Mensis Caslev autem non de data epistola est intelligendus, quia eadem exempla docent mensis indicationem poni post annum, sed addito mense auctor « scenopegiam *mensis Caslev* » i. e. encaeniorum festum mense nono (Decembre) celebrandum a vera « scenopegia » mense Tischri (Octobre) celebranda distinguit.

3. *Card. Hugo* narrationem in tres partes distribuit : a.) causae malorum cc. 3-5, b.)descriptio malorum cc. 5-8, c.) liberatio a malis cc. 9-15; — *Lyran.* eam in duas partes dividit : a.) liberatio templi sub summo sacerdote Onia (3,1-4,6) b.) liberatio templi et populi tempore Iudae Mach. (4,7-15,40), sed hanc alteram in tres particulas secundum reges syriacos disponit : res gestae sub Antiocho Epiphane (4,7-10,9), sub Eupatore (10,10-13,26), sub Demetrio (14,1-15,38); — *Goldhagen* l. c. p. 553 eadem fere ratione, qua Card. Hugo, *Vigouroux* Manuel bibl. II. p. 182 sq. eadem fere qua nos, narrationem dividunt; plerique moderni solum argumentum describunt.

Pro INTRODUCTIONE praemittit auctor duas Iudaeorum ierosolymitanorum epistolas, quibus aegyptiacos ad encaeniorum festum ob templi lustrationem institutum invitant (1,1-2,19).

1. In *priore brevissima* (1,1-10 a.) post inscriptionem et salutis apprecationem (1,1-6) alludentes ad priores literas de eodem tempore persecutionis Demetrii (a. 144.) conscriptas exhortantur contribules suos, ut secum celebrent « scenopegiam mensis Caslev » i. e. encaenia (1, 7-10 a.).
2. *Longior altera epistola* (1,10 b.-2,19) post inscriptionem (1,10 b.)
   a.) incipit a morte Antiochi Epiphanis narranda, qua a magno periculo liberatus sit populus (1,11-17),
   b.) transit ad invitationem, ut dedicationis templi et ignis coelitus post captivitatem dati diem secum celebrent (1,18),
   c.) atque pro motivo historiam ignis tempore Nehemiae miraculose dati affert. Quem in finem
      α.) miraculum satis fuse narrat (1,19-36),
      β.) indicat rationem, cur arca, tabernaculum, altare incensi per Ieremiam ex priore templo ablata in altero nondum adsint (2,1-8),
      γ.) atque ad ignem sacrum revertens simile miraculum etiam in pri-

morum sacerdotum consecratione et in prioris templi dedicatione accidisse monet (9,1-12).

d.) Nehemiae deinde sollicitudinem in colligendis libris sacris (2,13) imitatum esse refert Iudam Machabaeum, Aegyptios igitur ab Ierosolymitanis libros sacros, qui forte desint, accipere posse (2,14. 15).

e.) Terminat exhortatione ad festum celebrandum repetita (2,16-19).

SEQUITUR AUCTORIS NARRATIO (2,20-15,40).

PROLOGUS indicat auctoris fontem (2,20-24) et consilium (2,25-33).

PARS PRIOR (3,1-10,9) *persecutionis historiam narrat usque ad templi purificationem.*

I. *Persecutionis praeludium ultimo anno Seleuci IV.*[a] (3,1-4,6).

1. Persecutionis tentatae occasio (3,1-8). Post longam pacem (3,1-3) Simon, templi praepositus, per Apollonium Seleuco IV. denuntiavit multos thesauros in templo conservari (3,4-6), quare rex Heliodorum misit, qui eos auferret (3,9. 10).

2. Luctus populi de imminente periculo (3,9-22). Heliodorus urbem ingressus ab Onia summo sacerdote edocetur falsam esse Simonis delationem (3,9-12). Illo autem mandatum regis exsequi volente (3,13. 14) integer populus ieiuniis et precibus Deum rogavit, ut templi sui spoliationem averteret (3,15-22).

3. Divino auxilio periculum aversum (3,23-34). Heliodorus templum ingressus ab apparentibus angelis flagellatus (3,23-28) sed Oniae precibus servatus est (3,29-34).

4. Rex Oniae precibus a proposito suo destitit (3,35-4,6). Heliodorus reversus regem monuit, ut a spoliando templo abstineret (3,35-40); quum vero Simon et Apollonius regem ad novum conatum excitarent, Onias Antiochiam profectus eorum calumnias refutavit (4,1-6).

II. *Persecutio ab Antiocho Epiphane excitata*[b] (4,7-10,9).

1. Persecutioni occasionem (4,7-5,10) dederunt Iasonis, qui summum sacerdotium magnis pecuniae summis emerat (4,7-9) gentilesque ritus in sanctam civitatem invexerat (4,10-22), cum Menelao, qui templum spoliaverat (4,23-32) Oniamque occiderat (4,33), continuae de pontificatu disceptationes (4,34-50), quae prima fuerunt causa, cur Ierusalem a Iasone diriperetur (5,1-7), qui ipse apud exteras gentes miser interiit (5,8-10).

2. Persecutionis descriptio (5,11-7,42).

a.) Interea Epiphanes timens, ne Iudaei a se deficerent, ex expeditione aegyptiaca reversus civitatem sanctam aggreditur, quam plurimos occidit, templum spoliat, Deo id permittente ob populi peccata (5,11-20). Quibus non contentus, postquam abiit, exercitum misit, qui etiam duce Apollonio multos Iudaeos interemit (5,21-26); Iudas Machabaeus vero cum novem sociis se in deserta loca recepit (5,27).

(a) A. 177. a. Chr.

(b) An. 176-163.

b.) Senem quoque misit Epiphanes antiochenum (atheniensem), qui legitimum cultum abrogare idololatriamque introducere (6,1-7) vi conabatur, dum proximae civitates, ut eadem violentia uterentur, sunt adductae (6,8-11).

c.) Ad singularia facta autem transiturus praemonet auctor Deum haec ad populi correptionem permisisse (6,12-17) atque deinde narrat

α.) Eleazari senis constantiam et fortitudinem (6,18-31)

β.) et crudelia tormenta, quae septem fratres cum matre sua coram Epiphane (Antiochiae) perpessi sunt (7,1-42).

3. Iudaeorum defensio crudelitate regis provocata eorumque victoria (8, 1-10,10).

a.) Iudas Machabaeus interea parva fidelium manu collecta hostes debellare coeperat (8,1-7), quare Philippus Palaestinae praefectus auxilium a Coelesyriae duce petiit, qui Nicanorem cum magno exercitu misit (8,8-11); Iudas autem socios suos, qui fideles ei adhaeserunt, fervida concione exhortatus (8,12-20) Nicanorem devicit (8,21-29) eiusque duces Bacchidem et Timotheum (8,30-33), ita ut Nicanor fugiens Deum esse Iudaeorum protectorem profiteri sit coactus (8,34-36).

b.) Epiphanes vero, qui infelicem expeditionem in Elymaida susceperat, quum prope Ecbatana cladem Nicanori illatam audisset, Iudaeos perdere meditabatur (9,1-4), sed gravissimo morbo a Deo afflictus (9,5-10) de iniustitia sua dolens optima quaeque promisit (9,11-17), immo Iudaeis deprecatoriam epistolam misit (9,18-27), at misera morte in itinere periit (9,28. 29).

c.) Interea Iudas Machabaeus templo et sancta civitate lustratis (10,1-5) per octo dies encaenia ad modum scenopegiae cum populo celebravit (10,6-10).

Pars altera (10,10-15,35) *narrat bella a Iudaeis contra Eupatorem et Demetrium Sot. gesta.*

I. *Res gestae sub Antiocho V. Eupatore*[a] (10,10-13,26).

1. Iudae Machabaei victoriae de Eupatoris ducibus usque ad pacem cum Lysia initam (10,10-11,38).

a.) Ptolemaeo, qui Iudaeos aeque tractaverat, veneno exstincto (10, 10-13) Eupator ducem constituit Gorgiam, qui una cum vicinis Idumaeis Iudaeos continuo lacessivit (10,14. 15), sed Iudas prius Idumaeorum devictorum munitiones occupavit (10,16-23), deinde etiam Timotheo, uni ex Syrorum ducibus acerbam cladem intulit eumque oppido Gazara capto interfecit (10,24-38),

b.) Quibus victoriis exacerbatus Lysias, Eupatoris procurator, novum exercitum contra Iudam duxit, sed ipse quoque cladem accepit Deo Iudaeos miraculose adiuvante (11,1-12), quare pacem cum Iudaeis inire consultius duxit (11,13-15).

Affert autem auctor quatuor epistolas, quas de hac pace dederunt

(a) An. 163-162. a. Chr.

Lysias Iudaeis (11,16-21), Eupator Lysiae (11,22-26) et Iudaeis (11, 27-33) et Romani Iudaeis (11,34-38).

2. Novae pugnae Iudaeorum cum vicinis gentibus et novum bellum cum Eupatore (21,1-13,26).

a.) Iudaei, quum pace frui vellent, continuo lacessebantur a vicinis gentibus (12,1. 2) et primum felix bellum eis erat cum incolis Ioppe (12,3-9), alterum cum Arabibus (12,10-12), tertium cum civitate Casphin (12,13-16), quartum cum (altero) Timotheo (12,17-25), contra oppida Carnion et Ephron (12,26-31) demum contra Gorgiam (12,32-38). Iudas vero dona misit Ierosolyma, ut pro iis sacrificia offerrentur, qui in ultimo proelio ceciderant (12,39-46).

b.) Tum Eupator ipse Iudaeis novum bellum inferre statuit (13,1. 2.). Menelaum quidem, qui iterum ab eo summum sacerdotium se obtenturum speravit, velut omnium malorum causam occidit (13, 3-8), sed postquam varia cum fortuna utrimque pugnatum est, rex (vel potius Lysias) reditu Philippi (qui ab Epiphane procurator Eupatoris nominatus erat) Iudaeis pacem concedere et Iudam ducem Palaestinae constituere est coactus (13,9-26).

II. Res gestae sub Demetrio Sotere[b] (14,1-15,38).

1. Nicanoris expeditio contra Iudaeos (14,1-46).

a.) Demetrius occiso Eupatore throno potitus (14,1. 2) ab Alcimo, quem propter ethnicos mores summo sacerdotio privaverant Iudaei, incitatus Nicanorem in Iudaeam misit, ut Iudam Mach. caperet et Alcimum summum sacerdotem restitueret (14,3-15.).

b.) Ab initio quidem Nicanor cum Iuda amice egit (14,16-25), sed a rege, quem Alcimus iterum incitaverat, Iudam vinctum Antiochiam mittere iussus (14,26-28) dolo eum capere conatus est; quum vero Iudas eius insidias effugisset, summa ira correptus templi minatus est eversionem (14,29-36) et Raziam, unum ex senioribus capere voluit, qui ne ab hostibus indigne tractaretur sibi ipse mortem intulit (14,37-46).

2. Nicanoris clades et mors (15,1-35).

a.) Nicanor, quum Iudam copias suas in Samaria collegisse audivisset, eum sabbatho aggredi voluit, sed non potuit (15,1-6); Iudas vero Deo confisus animos militum suorum manifestatione somnii, quod habuerat, erexit (15,7-26), et humili precatione sese ad pugnam praeparavit (15,22-24).

b.) Deinde cum hoste congressus Nicanoris exercitui acerbissimam cladem intulit (15,25-27); Nicanoris ipsius cadaver inter caesos repertum, caput eius et brachium abscissa Ierosolyma deportata sunt (15,28-35).

3. In victoriae memoriam institutum est festum pridie Mardochaei diei (13. Adar) celebrandum (15,36. 37).

(b) An. 162-150; sed res, quae narrantur, ad solum primum annum pertinent (162-161.)

In EPILOGO (15,38-40) auctor lectoris veniam precatur, si forte libri forma sit displicitura.

152. — PRIOR MACHABAEORUM LIBER post historicam introductionem (1,1-2,70), quae mala ab Antiocho Epiphane populo illata recensens occasionem indicat, qua Mathathias filiique eius ad bellum cum Seleucidis gerendum sunt permoti, tribus partibus res gestas Iudae Machabaei (3,1-9,22) fratrumque eius Ionathanis (9,23-12,51) et Simonis (13, 1-16,16) narrat.

In INTRODUCTIONE (1,1-2,70) auctor

1. ab alto historiam repetens novum rerum statum post Alexandri M. mortem exortum indicat (1,1-10);
2. a quo ad Seleucidarum regnum transiens mala describit ab Epiphane Iudaeis illata (1,11-67).
   a.) Quibus occasionem dederunt nonnulli Iudaei, qui potestate a rege accepta ethnicos mores Ierosolymis invexerunt (1,11-16).
   b.) Antiochus victor ex Aegypto revertens (1,17-21) templum ierosolymitanum spoliavit et magnam stragem populi edidit (1,22-29); duobus annis post princeps tributorum ab eo missus iterum civitatem invasit vastavitque et arcem in ea aedificavit, ut Iudaei fugere sint coacti (1,30-42).
   c.) Quibus nondum contentus Epiphanes edicto edito omnes suos subditos idolis servire iussit, in templo idola posuit, omnes qui patriam legem observabant persecutus est (1,43-67).
3. Qua persecutione provocati Mathathias filiique eius vim vi repulerunt (2,1-70).
   a.) Nam Mathathias cum quinque suis filiis non tantum ipse regis mandatum observare recusavit (2,1-22), sed etiam Iudaeum quendam, qui idolis sacrificare volebat, et legatum regis occidit (2,23-26).
   b.) Quibus peractis in montem fugientes, quum audissent hostes sabbathis Iudaeos aggredi, ut non pugnantes facilius vincerent, sabbathis quoque pugnare statuerunt. Collecto igitur exercitu (2,27-43) in magna terrae parte antiquum cultum restituerunt (2,44-48).
   c.) Mathathias moriens filios propositis patrum exemplis, ut eadem in via pergerent, exhortatus (2,49-64) Simonem, utpote virum consilii, eis praefecit, sed Iudam voluit esse belli ducem (2,65-70).

PARS PRIMA (3,1-9,22) IUDAE MACHABAEI [a] *res gestas narrat.*

I. *Tempore Antiochi IV. Epiphanis* (3,1-6,16).

1. Devictis Epiphanis ducibus civitatem sanctam liberavit (3,1-4,61).
   a.) Bella felici cum successu gessit contra Apollonium (3,1-12), Seronem (3,13-24), Gorgiam (3,25-4,25), Lysiam (4,26-36).
   b.) Quibus devictis ascendit in Ierusalem (4,37-41) et deleto priore altari, utpote contaminato, exstruxit novum (4,42-48) et lustrato templo encaenia populus magno cum gaudio celebravit (4,49-58),

(a) An. 166-161 a. Chr.

quae in posterum quotannis celebranda statuerunt (4,59-61).

2. Felicia eius bella contra finitimas gentes (5,1-68).

a.) Primum devicit Idumaeos et Ammonitas (5,1-8). Eodem tempore a Galaaditis et a Galilaeis, ut eis succurreret, rogatus misit Simonem in Galilaeam, Iosephum et Azariam reliquit Ierosolymis, ipse abiit in Galaad (5,9-19).

b.) Simon devicit hostes Galilaeorum (5,20-23), neque minore cum successu pugnaverunt Iudas et frater eius Ionathan contra Galaaditas (5,24-54), sed Iosephus et Azarias, quia sua sponte Iamniam aggressi erant, devicti sunt a Gorgia (5,55-62). Iudas autem Idumaeos meridionales impugnavit, cepit Hebron et Azotum subversis eorum idolis (5,63-68).

3. Interea Epiphanes re infeliciter in Elymaide gesta (6,1-4), quum audisset Iudae victorias, in mortis languorem incidit et suam erga Iudaeos iniustitiam confessus morte obiit (6,5-16).

II. *Tempore Antiochi V. Eupatoris* (6,17-63).

1. Postquam Lysias Epiphanis filium Eupatorem regem constituit (6,17), novi belli occasionem dedit praesidium regium in arce ierosolymitana, quam Iudas oppugnare conatus est (6,18-27).

2. Magno cum exercitu Syri in Palaestinam irruperunt (6,28-31) et post proelium non infelix apud Bethzachariam (6,32-47) obsederunt montem Sion. Sed rex a Lysia revocatus, quia Philippus thronum occupare conabatur, pacem iniit cum Iuda, quam non servavit (6,48-63).

III. *Tempore Demetrii I. Soteris* (7,1-9,18).

1. Prius bellum usque ad victoriam de Nicanore relatam (7,1-50).

a.) Demetrius, qui devicti Eupatoris thronum occupavit (7,1-4), incitatus ab Alcimo summum sacerdotium ambiente (7,5-7) Bacchidem misit, ut Palaestinam expugnaret, qui Iudam vincere non potuit (7,8-25).

b.) Quare eius in loco missus est Nicanor, qui duobus proeliis victus ipse interiit (8,26-47), in cuius victoriae memoriam institutum est festum (7,48-50).

2. Foedus initum cum Romanis (8,1-32). Quietis tempus, quod secutum est, Iudas, qui multa de Romanorum fortitudine eorumque administrandi modo audierat (8,1-16), adhibuit, ut per legatos foedus cum eis iniret (8,17-32).

3. Mors Iudae Machabaei (9,1-22). Interea Demetrius Bacchidem et Alcimum cum novo exercitu in Palaestinam misit; Iudas vero, quamvis eius exercitus repellendis hostibus impar esset (9,1-9), tamen fugere noluit, at devictus et occisus est (9,10-18). Totus autem populus eum deflevit (9,19-22).

PARS ALTERA (9,23-12,34) *Ionathanis*[b] *res gestas narrat.*

I. *Usque ad pacem initam cum Syris* (9,23-73).

1. Initia principatus Ionathanis usque ad impii Alcimi mortem (9,23-57).

(b) An. 161-143 a. Chr.

a.) Mortuo Iuda Machabaeo desperatis fere rebus Iudaei Ionathanem sibi elegerunt ducem (9,23-31).

b.) Quem, quum ex deserto Thecuae ad vindicandam fratris sui Ioannis mortem felicem expeditionem contra filios Iambri suscepisset (9, 32-42), Bacchides ad ripam Iordanis aggressus est sed infelici cum successu (9,43-49).

c.) Bacchides Ierosolyma reversus civitates Iudaeae munivit et Alcimus templum destruere coepit; sed quum impius pontifex subita morte abreptus esset, Bacchides Antiochiam reversus est et terra duobus annis quievit (9,50-57).

2. Infelix bellum Bacchidis contra Ionathanem (9,58-73).

a.) Ab infidelibus Iudaeis incitatus Bacchides Ionathanem inopinatum capere conatus est, sed Ionathan cum suis in Bethbessen sese recepit (9,58-62).

b.) Quem insecutus Bacchides sed devictus pacem cum Iudaeis inire coactus est (9,63-72).

II. *Ionathanis res gestae tempore Alexandri Balae* (10,1-89).

1. De Syriae throno concertantibus Alexandro Epiphanis filio et Demetrio atque utroque Iudaeos ad suas partes trahere conante Ionathan contribulibus persuasit, ut Alexandro sese adiungerent (10,1-47).

2. Ab Iudaeis adiutus Alexander Demetrium vicit et throno occupato ipse et socer eius Ptolemaeus Philometor Ionathanem summum sacerdotem agnoverunt magnisque honoribus exornarunt (10,48-66).

3. Demetrio (Nicatore) conante thronum Alexandri occupare Ionathan fidelis regi adhaesit et Apollonium Demetrii ducem proelio vicit, quare maiores honores ab Alexandro consecutus est (10,67-89).

III. *Eius res gestae tempore Demetrii II. Nicatoris et Antiochi VI* (11,1-74).

1. Interea Philometor Alexandro regnum Syriae eripere conatus est, ut illud Demetrio II. traderet (11,1-16), qui Philometore et Alexandro mortuis revera thronum occupavit (11,19-19) et ab initio Ionathani favit eique Palaestinam concessit (11,20-37).

2. Quare etiam novis exortis de throno litigationibus Ionathan Demetrium adiuvit (11,38-51), qui promissis suis non stetit (11,52. 53).

3. Itaque ad Antiochi VI. partes transiit Ionathan ab eoque in summo sacerdotio confirmatus una cum fratre suo Simon Demetrium debellavit (11,54-74).

IV. *Ionathanis foedera cum Romanis et Spartiatis renovata et finis* (12,1-54).

1. Ut potestatem suam confirmaret, Ionathan legatis missis foedus cum Romanis et Spartiatis renovavit (12,1-23).

2. Nova deinde bella gessit contra Demetrii II. duces et oppida Iudaeae munivit (12,24-38), a Tryphone autem, qui ipse quoque thronum Asiae ambiebat, dolo captus est (12,39-54).

TERTIA PARS (13,1-16,17) *Simonis*[a] *res gestas narrat.*

I. *Initia principatus Simonis* (13,1-14,49).

a) An. 143-136 a. Chr.

1. In Ionathanis locum suffectus est Simon frater eius (13,1-9), qui frustra fratrem suum liberare conatus est; nam Tryphon non obstantibus donis receptis Ionathanem et filios eius occidit (13,10-24), quibus Simon exstruxit sepulcrum magnificum in Modin (13,25-30).
2. Deinde ad Demetrii II. partes transiens ab eo literas foederis et amicitiae accepit (13,31-41), expugnatis quoque Gaza et arce ierosolymitana laetum egit festum quotannis celebrandum fecitque filium suum Ioannem (Hyrcanum) summum exercituum ducem (13,42-54).
3. Demetrio II. a Persis devicto Simon cum populo magna fruitus est pace (14,1-15). Qua usus foedus cum Spartiatis renovavit (14,16-23) et legatos Romam misit, qui suam electionem in summum sacerdotem et ducem haereditarium annuntiarent et foedus renovarent (14,24-49).

II. *Simonis res gestae tempore Antiochi VII.* (15,1-16,10).
1. Demetrii I. alter filius Antiochus (Sidetes) throno occupato omnia, quae praedecessores Iudaeis promiserant, literis amicitiae ad Simonem datis confirmavit (15,1-14), Simonis autem legati Roma revertentes attulerunt Romanorum decretum, quo Iudaeos velut socios suos finitimis gentibus commendabant (15,15-24).
2. Verum Antiochus, postquam adversarium Tryphonem a Simone adiutus devicit, promissionum suarum immemor (15,25-37) Cendebaeum ducem suum contra Iudaeos misit (15,38-41), qui a Simonis filiis Ioanne et Iuda devictus est (16,1-10).

III. *Simonis mors et successor* (16,11-24).
1. Simon, quum omnes Iudaeae civitates magna cum sollicitudine visitaret, a genero suo Ptolemaeo, Abobi filio, qui summum sacerdotium ambivit, occisus est cum filiis Iuda et Mathathia (16,11-17);
2. sed spe sua frustratus est Ptolemaeus; nam alius ex Simonis filiis, Ioannes Hyrcanus, patri successit (16,18-24).

153. — Quam diversus fuerit FINIS, quem librorum nostrorum auctores prae oculis habuerunt, facile videbimus, si ad utriusque modum narrandi attentionem nostram converterimus. Auctor enim prioris libri, quamvis interdum poetico dicendi genere atque satis frequenter parallelismo poetico utatur[1], in genere tamen simplici modo singula facta secundum ordinem eorum chronologicum affert, nec aliud sibi videtur proposuisse, nisi ut memoriam eorum, quae magni illi viri, Iudas Ionathan Simon, pro avita religione defendenda populique libertate politica vindicanda gesserant, fideli narratione posteris traderet. Admodum raro, quid ipse de rebus gestis sentiat, innuit potius quam exprimit[2]; rarissime (vel nunquam) propria Dei nomina (*Deus* vel *Dominus*) adhibet[3]; nihilominus integer liber fervorem quendam spirat religiosum, et si auctor suos ipse sensus pios tacet, in orationibus et precationibus, quas refert, frequentissime reperitur memoria magnorum miraculorum, quibus Deus olim populum adiuvit, atque sincera ubique cernitur fiducia, eundem Deum suos non esse derelicturum, dum-

modo ipse ab eis non derelinquatur[4]. Etsi igitur cum hebraico libro Esther eatenus conveniat, quod nomen Dei raro adhibeat, longissime tamen ab eo differt, quia multo frequentius et disertius ad Deum omnia reducat. Quibus non obstantibus fatendum est, inter reliquos V. T. libros historicos vix reperiri alium, qui propius ad historicos profanos accedat; at illud quoque est agnoscendum, simplici sua rerum gestarum narratione auctorem in legentium animis pios ciere affectus eosque efficacissime ad veram fiduciam adducere.

A quo narrandi modo omnino discedit alterius libri auctor. Qui ipse quoque summa quidem cum fide historica res gestas ordine etiam chronologico plerumque servato refert, sed continuo quid ipse de rebus narratis sentiat diserte exprimit. Frequenter enim monet lectores suos, Iudaeos utpote populum a Deo electum speciali eius providentia regi, ita ut tribulationes, quibus ab ethnicis afficiantur, poenae sint legis violatae[5]; quare templum magno miraculo a Deo esse protectum, quamdiu lex sit observata; quam primum autem templum ab ipsis sacerdotibus sit profanatum, populum ab ethnicis esse afflictum, quorum institutiones moresque sit aemulatus[6]; hostibus Deum potestatem nocendi non concedere, nisi ut populus ad Legis observantiam reducatur; poenitenti populo Dominum semper concurrere atque inimicos populi fidelis tantis afficere poenis, ut ipsi magnitudinem et potestatem veri Dei, contra cuius sanctuarium et populum impie ac proterve egerint, ante mortem suam confiteri cogantur[7]. Eadem igitur ratione, qua plerorumque librorum historicorum V. T. auctores, etiam noster didacticum et paraeneticum finem sibi proposuit; quem accuratius definiemus, si ad modum attenderimus, quo de templo loquitur.

Templum enim ierosolymitanum est velut centrum totius narrationis; a templo inchoatur, templo terminatur, vix ulla invenitur pericope, in qua templum non celebretur. Etenim epistolae duae, quae narrationi sunt praemissae, ad dedicationem templi celebrandam invitant, atque altera praesertim narratione sua de igne Nehemiae tempore coelitus dato videtur demonstrare voluisse, secundum templum, etsi arca foederis in eo nondum adsit, tamen non minus placere Deo, quam prius templum et mosaicum tabernaculum, quae igni coelesti sunt dedicata[8]. Narrationis prior pars inchoatur a templo miraculose conservato, et altera a periculo, quod iterum templo imminebat; ambae autem terminantur relatione de festis propter templum purificatum et conservatum perenniter institutis[9]. Hostes puniuntur, quia templum violaverant vel blasphemaverant; nam templum non solis Iudaeis est sacrum, sed est « famosissimum in toto orbe », « sanctissimum universae terrae » (τὸ πάσης τῆς γῆς ἁγιώτατον ἱερόν), quod « ipsi reges et principes (ethnici) summo honore dignum duxerunt et maximis

muneribus illustrarunt »[10]. Quibus omnibus procul dubio auctor contribulibus suis templum velut centrum unitatis religiosae et politicae commendare sibi proposuit, ut non solos Iudaeos palaestinenses ad illud honorandum et visitandum incitaret, sed multo magis Iudaeos illos, qui in dispersione degebant, commonefaceret, ne unquam sanctae civitatis et templi ierosolymitani obliviscerentur. Quam ob causam narrationi suae praemittit duas illas epistolas, quibus Iudaei aegyptiaci, qui eo tempore Heliopoli sibi templum exstruxerant[11], ad unici et veri templi consecrationem celebrandam invitantur, atque eandem ob causam commemorationem lustrati per Iudam Mach. templi monet ex « communi praecepto et decreto *universae genti Iudaeorum* » quotannis peragendam esse (2 *Mach.* 10,8). Quapropter iure concludimus, auctorem librum suum proxime Iudaeis Hellenistis destinasse, id quod etiam iam ex graeca lingua, qua usus est, satis apparet, dum prioris libri auctor, qui hebraice scripsit, Iudaeos palaestinenses maxime prae oculis habuit.

1. Cfr ex. gr. 1 *Mach.* 1,23-28. 38 sqq.; 2,7-13; 3,3-9. 35 sqq.; 4,38 etc. 14, 4-15 etc.

2. 1 *Mach.* 1,66. 67; 3,8.

4. *Vulgata* nostra saepe quidem nomina *Deus* vel *Dominus* exhibet (1,55. 57. 59. 66; 2,15. 21. 51; 3,18. 22. 53; 4,10. 24. 42 etc. etc.), sed in textu correspondente *graeco* non leguntur. In *graeco textu* non legitur nisi semel θεός (3,18) et ter ὁ κύριος (4,24; 7,37. 41), at iis quoque in locis meliores codices (*Alex.* et *Sin.*) nomina omittunt. Saepissime tamen de Deo sermo est (et sub hoc respectu 1 Mach. omnino differt ab hebr. textu Esther), nominatur etiam ὁ σωτὴρ τοῦ Ἰσραήλ (4,30), aut intelligitur sub vocabulo ὁ οὐρανός (ἐβόησαν εἰς τὸν οὐρανόν 4,40; εὐλόγησαν εἰς τὸν οὐρανὸν τὸν εὐοδώσαντα αὐτοῖς 4,55 etc.), aut subintelligitur sub solo pronomine 2. vel 3. pers. (cfr 2,50-53: « Quid faciemus istis [Naziraeos] et quo ducemus eos? Et sancta *tua* conculcata sunt et contaminata sunt, et sacerdotes *tui* in luctu et humilitate. Et ecce nationes convenerunt adversum nos ut nos disperdant; *tu* scis, quae cogitant in nos. Quomodo poterimus resistere ante faciem eorum, nisi *tu* adiuves nos »; 2,21 « Propitius sit nobis [sc. Deus i. e. avertat Deus] ne relinquamus legem et praecepta » etc.). Quomodo haec proprietas sit explicanda, difficile est dictu. Iudaeis omnibus nefas fuisse pronuntiationem nominis יהוה satis clarum est ex eo, quod Alexandrini quoque nomen istud semper reddiderunt ὁ κύριος. At num inter Iudaeos *palaestinenses* usus invaluerit, ut ab ipso usurpando nomine אלהים abstinerent, non satis liquet; certum est a rabbinis haud infrequenter שׁמא (*nomen*) aut שְׁמַיָּא vel שָׁמַיִם (*coelum, coeli*) aut alias circumlocutiones pro nomine Dei adhiberi. *Hellenistas* vero a nomine ὁ θεός non abstinuisse, 2 *Mach.* liber et versio alexandrina etc. abunde demonstrant.

4. 1 *Mach.* 2,20-22. 50-61; 3,18-22. 50 sqq.; 4,8-12. 24. 30-33. 38 sqq. etc.

5. 2 *Mach.* 4,17; 5,17 sq.; 7,32. 38 etc.

6. 2 *Mach.* 3,1 sqq.; 6,12-17; 7,15 sqq. 33; 8,5 etc.

7. 2 *Mach.* 3,37-39; 8,36; 9,12-17.

8. 2 *Mach.* 1,20 sqq. cfr 2,10.

9. 2 *Mach.* 3,1 sqq. et 11,3; 10,1-10 et 15,36. 37.

10. 2 *Mach.* 2,23; 5,15; 3,2 cfr 9,16; 13,23.

11. Templum heliopolitanum permittente Ptolemaeo Philometore exstructum est paullo post Iudae Machabaei mortem circa a. 160. per Oniae III. summi pontificis, quem Antiochus Epiphanes per Menelaum occiderat (2 *Mach*. 4,34), filium homonymum Oniam IV.

§ 41. — *De utriusque Machabaeorum libri origine et auctoritate.*

154. — « *Machabaeorum libros* qui auctores scripserint, minime constare » olim iam monuit *S. Isidorus Hisp.*[1]. PRIOREM summo pontifici Ioanni Hyrcano, Simonis Machabaei filio et successori, deberi haud pauci cum Bellarmino suspicati sunt. Quam sententiam, quatenus Ioannem ipsum dicit esse auctorem, « tuto credi et sine periculo negari posse » neque nisi « futilibus inniti coniecturis », recte observarunt *Huetius* et *Calmetus*[2]; pro verisimili autem recte admittitur, quatenus librum a Iudaeo palaestinensi tempore Ioannis Hyrcani compositum esse dicit.

Etenim praeprimis constat libri nostri textum primigenium fuisse hebraicum. Etsi enim hodie illum non amplius possidemus, *S. Hieronymus* tamen « Machabaeorum primum librum hebraicum se reperisse » testatur, atque *Origenes* « Machabaicorum » titulum hebraicum nobis conservavit, qui priori libro adaptatus certo argumento nobis est, eum primitus hebraice exstitisse[3]. Quae historica testimonia dictione graeca operis non parum confirmantur. Nam quum satis multis in locis auctor textus graeci se graecum sermonem optime calluisse demonstret, multi, quos recepit, hebraismi apte non explicantur, nisi hebraicum exemplar vertisse dicatur[4]. Accedit quod non desunt lectiones, quas erroneae vocum aut phrasium hebraicarum interpretationi deberi manifestum est[5]. Neque ullo modo sententiae nostrae obstat, quod liber noster graecus in nonnullis expressionibus cum alexandrina aliorum librorum versione consentiat[6]; nam graeco interpreti procul dubio versio illa ita fuit familiaris, ut mirum non sit, quod hebraicum suum exemplar vertens ex alexandrina versione nonnullas phrases desumserit. Multo minore autem cum iure obiicitur Iosephum solo textu graeco esse usum atque syriacam versionem etiam a graeco textu dependere[7]; aliarum enim Scripturarum quoque graecam versionem plerumque a Iosepho esse adhibitam nemo ignorat, syriaca autem versio librorum satis recens est nec ab eodem interprete, a quo libri protocanonici, est adornata.

Si quis autem ex hebraica primitivi libri lingua demonstrari censeat, Iudaeum palaestinensem eius esse auctorem, conclusio haec confirmatur accurata, quam prodit, topographiae palaestinensis scientia; etiam minimae civitates ei erant cognitae et multarum situm tam clare in-

dicat, ut eas de visu cognovisse videatur. Tempore autem Ioannis Hyrcani eum degisse ultima libri verba suadent : « Et cetera sermonum Ioannis et bellorum eius et bonarum virtutum, quibus fortiter gessit,... ecce haec scripta sunt in libro dierum sacerdotii eius, *ex quo factus est princeps sacerdotum* post patrem suum » (16,23. 24). Quibus verbis indicatur quidem *terminus a quo* res gestae Ioannis conscribi sint coeptae in annalibus sacerdotii eius, tacetur autem *terminus ad quem*. Quapropter multi interpretes ante eius mortem verba ista esse scripta non temere videntur conclusisse; si enim iam mortuus fuisset, aut uterque terminus positus esset aut neuter; neque enim recte obiicitur *terminum ad quem*, utpote superfluum, esse omissum; magis enim superfluus quam *terminus a quo* non erat. Ceterum illis quoque, quibus haec conclusio non arridet, omnino persuasum est, saltem non diu post Hyrcani mortem (a. 106.) librum esse conscriptum [8].

Neque diu postea hebraicus textus graece videtur esse translatus. Nam Iudaei Hellenistae eum in canonem suum receperunt, Fl. Iosephum autem graecam versionem iam adhibuisse supra monuimus. Ex graeco textu, qui hebraico deperdito nunc nobis est pro primigenio, adornatae sunt antiqua latina versio, quam S. Hieronymus non correxit, et syriaca aliaeque iuniores. Etsi latina et syriaca ab hodierno textu in nonnullis dissentiant paucis quibusdam additis aut omissis aut mutatis, tamen omnino fideles sunt dicendae, atque pleraeque varietates librariorum sive graecorum sive latinorum vel syriacorum incuriae aut corrigendi libidini debentur [9].

1. *S. Isidor. Hisp.* Etymol. VI. 2; de Offic. eccles. I. 12. (M. 82,233; 83,749).

2. *Bellarm.* Controv. de verbo Dei I. 15; *Cornel. a Lap.* in Mach. Argum. etc. — *Huetii* Demonstr. evang. Prop. IV. (Edit. Venet. 1765. p. 334); *Calmet.* in II. Mach. Prol.

3. *S. Hieron.* Prol. galeat.; *Orig.* in Ps. 1. (M. 12,1084; cfr Euseb. H. E. VI. 25. M. 20,581). Titulus, quem indicat Origenes (Σαρβὴθ Σαρβανὲ ἔλ) quid significet, non liquet. Probabilior transcriptio hebraica est שַׁרְבִיט שַׂר בְּנֵי אֵל, *sceptrum ducis filiorum Dei*, vel rectius *sceptrum ducale populi Dei*; minus placet altera transcriptio שַׁרְבַת שָׂרֵי בְּנֵי אֵל, *historia principum filiorum Dei*, nam שרבא (*res gesta, historia*) syriacum quidem, sed non hebraicum est vocabulum. Origenes hunc titulum indicat τῶν Μακκαβαϊκῶν, ut duobus libris nostris communis fuisse videatur; quia tamen in 2 *Mach.* de principatu proprie dicto non agitur, ab initio ad solum 1 *Mach.* pertinuisse dicendus est, in quo Iudas Mach. a patre suo « *princeps* (שַׂר) militiae » designatur (2,66), Ionathan a populo *princeps* eligitur (9,30), Simon demum haereditarium *principatum* obtinet (13,8; 14,41). Sceptri igitur ducalis vel regii Iudaeorum historia revera in libro nostro contexitur. Cfr *Keil* Comm. über die BB. der Makkabäer. Leipzig 1875. p. 22.

4. Graeci sermonis eum fuisse peritum demonstrat vel sola attractio relativi (10,12; 11,31. 38; 12,19) et copia verborum praesertim iis in locis, in quibus adest paralle-

lismus (supra 153. n. 4.). Hebraismi satis duri frequentes sunt : γίγνεσθαι εἰς φόβον (היה לפם 1,4); ἑτοιμάζειν τὴν βασιλείαν (הכין 1,16); διάβολος πονηρός (שטן רע 1,38); οἶκος τῆς βασιλείας τοῦ βασιλέως (= integrum regnum, בית הממלכה 2,19); δυνάμενος δυνήσεται πρὸς ἡμᾶς, יכל יוכל לנו 5,40) etc.; frequens usus infinitivi final. et consecut. (2,22. 29. 34; 3,10. 15 etc.). Alia hebraismorum exempla afferunt *Welte* (Einl. in die deuterokanon. BB. p. 13), ***Kaulen*** (Einl. Ed. 3. p. 284) etc.

5. Parum rectae vocabulorum et phrasium hebr. interpretationes; βιβλία *Vulg. libri* pro *epistola*, ספרים 1,14. V. 46; cfr 4 *Reg.* 19,14; *Is.* 37. 14); τοὺς ἀπολλυμένους *Vulg. pereuntes* pro *dispersos* (האבדים 3,9. cfr אבד *oberravit Is.* 27,13; *Deut.* 26,5); ἀρχαί *Vulg. ordines* pro *catervae* (ראשים, agmina *Iudic.* 7,16. 20 etc). In melioribus codd. legitur 4.19 ἔτι πληροῦντος Ἰούδα ταῦτα pro λαλοῦντος (legit interpres בכלא pro בכלל); 4,24 εὐλόγουν εἰς τὸν οὐρανὸν τὸν κύριον, ὅτι καλόν (כי טוב) pro ὅτι ἀγαθός; 2,8 ἐγένετο ὁ ναὸς αὐτῆς ὡς ἀνὴρ ἄδοξος (ביתה כאיש נבזה elliptice pro ביתה כבית איש נבזה. ὡς ἀνδρὸς ἀδόξου; *Vulg.* etiam « ***sicut vir ignobilis*** »). Alia exempla ll. cc.

6. Cfr ex. g. 7,17 et ***Ps.*** 78 (79),3; 9,23 et ***Ps.*** 91 (92) 8; 14,9 et *Zach.* 8,4 etc.

7. Ita ***Hengstenberg*** Die Authentie des Daniel. Berlin 1831. p. 292 sq.

8. Argumentum tamen praecipuum, quo sententiam suam stabilire conantur, infirmum est. « The way in which the Romans are spoken of (8,1 sqq.) shews that their power and oppression had not been felt. The Jews had only *heard of their fame* at the time, and the author praises their noble acts. Such pleasing illusions were afterward dissipated; Pompey plundered Ierusalem 64 B.C. » Ita ***Davidson*** Introd. III. p. 442, ut librum circa 80. a. Chr. scriptum demonstret. At ***auctor*** l. c. utpote fidelis testis ***refert*** tantum ea, quae ***Iudae tempore*** Iudaei de Romanis audierant; quid ***sua aetate*** contribules sui de Romanis sciverint, non indicat. — Validius autem est argumentum, quod ***Goldhagen*** Introd. II. p. 549 ex ***recenti*** rerum, quae narrantur, memoria deducit; at argumentum hoc sententiam nostram potius confirmat; revera de rebus Simonis loquitur auctor velut testis, qui praesens adfuit.

9. ***Goldhagen*** l. c. p. 550 incertum esse putat, utrum « latina versio proxime ex hebraico exemplari petita, an per graecae interpretationis fistulas derivata fuerit »; sed dubitationi non esse locum satis iam demonstrant menda illa in n. 5. allata, in quibus Latinus cum Graeco erravit. Idem elucet ex graecis vocabulis retentis : pentacotarchus 3,55; pastophorium 4,38; scenopegia 10,21 etc. cfr ***Kaulen*** l. c. p. 284. — Syriacam quoque versionem exortam esse ex graeco textu fuse demonstravit ***Trendelenburg*** (in Eichhorn Repertorium für bibl. u. morgenl. Literatur. Leipzig 1784. XV. p. 60 sqq.) ex graecis vocabulis retentis aut male versis aut etymologice redditis.

155. — « Secundus liber Machabaeorum, inquit *S. Hieronymus*, graecus est, quod ex ipsa quoque phrasi probari potest » (Prolog. gal.). Quibus verbis S. Doctor procul dubio integri libri, non solum narrationis ipsius, sed etiam epistolarum praemissarum, graecam originem asserere voluit, idque rectissime. Quamquam enim moderni quidam critici ob nonnullos hebraismos aut prioris aut alterius aut utriusque epistolae textum primigenium fuisse hebraicum suspicantur [1], dubitari tamen vix potest, quin ambae, utpote Iudaeis aegyptiacis destinatae, graeco sermone sint compositae. Iudaeos enim aegyptiacos ignorasse

linguam hebraicam diserte testatur *S. Iustinus M.;* sed eius testimonio non indigemus, quoniam Philo, doctissimus Iudaeorum alexandrinorum, sua hebraicorum nominum interpretatione satis demonstrat, sibi linguam illam fuisse ignotam, et Iudaei alexandrini, si hebraicas Scripturas intellexissent, graeca versione non indiguissent[2]. Inter Iudaeos autem palaestinenses ea aetate non defuisse, qui graecam linguam callebant, et temporum ratio ipsa docet, quum in continuo commercio cum regibus Seleucidis et Ptolemaeis essent, et eorum legationes ad Spartiatas et Romanos comprobant, et graeca vel graecata nomina multorum Iudaeorum confirmant[3]. *Pauci* autem epistolarum hebraismi non magis hebraicam earum originem probant, quam similes dicendi modi libros N. T. hebraice esse conscriptos docent. Quod ad narrationem ipsam attinet, auctor asserit se opus Iasonis Cyrenaei, qui certe graece conscripserat[4], abbreviasse; nec tacuisset, si opus suum ex altera lingua transtulisset. Ceterum non tantum prologus et epilogus, qui soli auctori debentur, sed ipsa quoque narratio stylo suo, uti recte monuit S. Hieronymus, graecam originem produnt[5].

Ut tempus, quo liber hic compositus est, definiamus, inter epistolas praemissas et inter auctoris historiam distinguamus oportet. Priori epistolae annus est adscriptus; data est a. 188. aer. Seleuc. i. e. 124. a. Chr.; nec ulla redditur probabilis ratio, cur illa temporis significatio erronea dicatur. Obiicientibus enim mirum videri, quod quadraginta dumtaxat annis post templi purificationem Hellenistae ad encaenia celebranda sint invitati, iam antiquitus responsum est, in ipsa epistola priorem a. 143. datam commemorari, qua Aegyptii, qui aliquot annis antea (c. a. 160.) sibi templum suum heliopolitanum exstruxerant, monebantur, ne ierosolymitanum sanctuarium negligerent[6]. Alteri epistolae annus quidam adscriptus non est, sed supra (151 p. 442) iam ostendimus eam datam esse intra a. 163. et 161., atque vix non est certum, eam ad primum a festi institutione diem anniversarium recurrentem Iudeos aegyptiacos invitasse; scripta igitur est a. 162. a. Chr.

Duplex quoque est de narratione quaestio, quando scilicet Iason Cyrenaeus quinque suos libros de rebus machabaicis ediderit et quando epitomator ex eis compendium suum confecerit. De Iasone autem nihil prorsus nobis est traditum. Sola nominis similitudine nixi nonnulli Iasonem Eleazari filium, quem Iudas Machabaeus legatum Romam misit (1 *Mach.* 8,17), auctorem maioris operis fuisse suspicati sunt. Quae sententia incerta quidem semper manebit deficientibus historicis documentis; omni tamen probabilitate eam non carere facile fatebitur, quicunque duo haec perpenderit. Iasonem enim, Iudae legatum, graecarum literarum nequaquam fuisse ignarum ipsa eius legatio romana abunde demonstrat et graecatum eius nomen confirmat. Le-

gatum autem, ut legationis suae finem certius obtineret, commentarios scripsisse de atrocissima persecutione, quam Antiochus Epiphanes contra Iudaeos excitaverat, et de rebus praeclare gestis, quibus Iudas Machabaeus populum suum et civitatem sanctam liberaverat, satis est verisimile; Romanis enim, qui eo usque de Iudaeis Iudaeorumque rebus vix quidquam audiverant, Iudaeorum causam aptiore modo commendare non potuit[7]. Quidquid autem de hac sententia est, illud extra prudentem dubitationem videtur esse positum, Iasonem Cyrenaeum brevi ante Iudae Machabaei mortem, ergo circa tempus istius legationis, opus suum absolvisse. Id enim non tantum ex eo eruitur, quod Iudae mortem auctor non commemoravit, quamvis maior operis pars de eius rebus gestis agat, sed multo clarius ex eo, quod post alteram victoriam a Iuda de Nicanore relatam auctor asserat civitatem sanctam semper in Iudaeorum potestate remansisse: atqui mortem Iudae secuta est « magna tribulatio in Israel, qualis non fuit ex die, qua non est visus propheta in Israel », atque Iudae successores, Ionathan et Simon, saepius ex civitate sancta a Syris sunt expulsi[8]. Ante annum 161. igitur Iasonis Cyrenaei opus conscriptum est.

Porro epitomator quoque quis fuerit et quando opus suum compilaverit, ignoramus. Quoniam Ierusalem saepius *civitas* (ἡ πόλις) et arx davidica acropolis (ἡ ἀκρόπολις) sine ullo alio epitheto in libro nostro nominatur et topographiae palaestinensis accurata scientia in integro opere sese prodit, epitomatorem fuisse Iudaeum palaestinensem nonnulli coniecerunt[9]; incertissima autem est coniectura, siquidem definire non possumus, annon epitomator haec ex maiore Iasonis opere hauserit[10]. Minore incertitudine gaudet altera coniectura de tempore, quo liber noster est compilatus. Etenim prior epistola, quae totius operis est prooemium, alexandrinos Iudaeos, ut cum ierosolymitanis encaeniorum festum celebrent, invitat, sed nullum exhibet motivum, quo invitatio haec urgeatur; quare non inepte admittimus, una cum illa epistola nostrum librum Alexandrinis esse transmissum, quippe qui totus in eo sit, ut templum ierosolymitanum commendet atque festi eius rationem historicam explicet, ideoque etiam alteram epistolam, quoniam de eodem festo agat, compendio esse additam. Circa a. 124. igitur integrum nostrum opus absolutum esse arbitramur[11].

1. *Bertholdt* (Einleitung p. 1072) utriusque epistolae, *Ewald* (Gesch. Israel's IV. p. 610) alterius, *Schlünkes* (Epistolae, quae 2 *Mach.* 1,1-9 legitur, explicatio. Coloniae 1844. p. 51) prioris hebraicam originem asserunt; sed plerique interpretes cath. (*Welte* Einl. p. 32; *Scholz* Einl. II. p. 654; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 285; *Vigouroux* Manuel II. p. 176, *Zschokke* l. c. p. 352 etc.) et protestantici (*Keil*. l. c. p. 275; *Grimm* Kurzgef. exeget. Handbuch zu den Apocr. IV. Leipzig 1857. p. 23 sq. etc.) graecam originem utriusque asserunt.

2. *S. Iustin. M.* Apolog. I. 31 (M. 6,376); de Philonis ignorantia linguae hebr. cfr

Martianay Comment. in S. Hieronymi librum nominum hebr. I. 1. (M. 23,1569 sqq.) et *Gesenius* Gesch. der hebr. Sprache p. 83 sq.

3. *Iason* (= Iosua) multi appellabantur : legatus Iudae I. 8,17; Cyrenaeus II. 2,24; summus sacerdos II. 4,7 etc.; *Menelaus* summus sacerdos II. 4,23 sqq.; *Alcimus* summus sacerdos II. 14,3 etc.

4. 2 *Mach.* 2,23; Iasonem Cyrenaeum « clarissima ratio suadet ea usum esse lingua, qua Callimachus itidem Cyrenaeus poemata sua conscripsit, graeca nimirum, quae inter Cyrenaeos graecae originis homines usurpabatur » (*Huet.* Demonstr. evang. Prop. IV. Ed. Venet. 1765. p. 335).

5. Efficax graecae originis argumentum praebent multae paronomasiae : ἄγειν ἀγῶνα 4,18; παραδεχθεὶς... εἰσεδέχθη 4,22; ὑπονοθεύσας ὑπονοθευθεὶς 4,26; δεξιασθεὶς... δεξιάν 4,34; βελῶν βολάς 5,3; εὐημερίαν δυσημερίαν 5,6; ἀποξενώσας... ξένης 5,9 etc., etc. Alia primitivae graecitatis exempla affert *Grimm* l. c. p. 7.

6. *Schlünkes* l. c. p. 24 sqq.

7. Obiecerit nonnemo, pium illum animum, quem integer liber spirat, frequentia illa iudicia, quae de personis et rebus omnibus feruntur, diligentiam illam, qua Dei singularis providentia in populo suo adiuvando et in eius hostibus puniendis demonstratur atque omnes res gestae ad Deum et ad templum eius referuntur, uno verbo totum τὸ πραγματικὸν libri vetare, ne illum *ethnicis* Romanis proximo destinatum dicamus. Quae verissime sunt dicta, si de canonico nostro libro agitur; illum enim *Iudaeis* alexandrinis proximo fuisse destinatum ipsi iam diximus. At quaestio est de Iasonis Cyrenaei opere, ad cuius *indolem* et *finem* ex nostro compendio non valet illatio; neque quidquam obstat, quominus religiosum illum pragmatismum integrum soli epitomatori deberi dicamus.

8. 2 *Mach.* 15,38 cfr 1 *Mach.* 9,27. 33. 53 sqq. etc. Auctor noster diserte quidem non asserit Iasonem Cyr. suam historiam ultra mortem Iudae Mach. non perduxisse, recte tamen id colligimus ex operis descriptione, quam tradit 2,20-24 (Animadverte in Vulgata nostra sensum totius phraseos vocabulo inserto [*itemque* 2,24] esse perturbatum). Immo vero dubitare aliquis poterit, annon iam inde a 14,1 epitomator librum Iasonis excerpere cessaverit, quia 2,21 soli Epiphanes et Eupator nominantur; sed 2,23 « liberatio civitatis » etiam pro argumento maioris operis indicatur, quae completa non fuit nisi post alteram Nicanoris cladem (15,38). Cfr *Scholz* Einleitung II. p. 662; *Kaulen* Einleitung. Ed. 3. p. 285.

9. *Kaulen* Einleitung. Ed. 3. p. 286.

10. Antiquiores interpretes nonnulli Fl. Iosepho librum nostrum attribuerunt, alii Philoni, alii Iudae Essaeo cuidam, de quo *Ioseph.* Antiqu. XIII. 19 et quem in inscriptione alterius epistolae 2 Mach. 1,10 nominatum viderunt. Quas coniecturas levissimis nixas argumentis iam diu ita refutavit *Huet.* (Demonstr. evang. Prop. IV. Ed. Venet. 1765. p. 334 sq.), ut hodie nemo amplius eas afferat.

11. Eandem sententiam tenet *Scholz* Einl. II. p. 662. — *Kaulen* (l. c.) intra a. 159. et 123.; *Vigouroux* (Manuel II. p. 177) intra a. 124. et 63., probabiliter circa a. 106.; *Reusch* (Einl. p. 136) circa a. 100.; *Welte* (Einl. p. 34) ineunte 1. saec. a. Chr. librum nostrum prodisse censent. — Protestantes plerique eum volunt esse recentiorem (*Keil* l. c. p. 277 ante exstinctionem dynastiae Hasmonaeorum i. e. ante 63. a. Chr., *Grimm* l. c. p. 20 ante destructionem Ierusalem a. 70. p. Chr. etc.); sed eorum argumentum, quod multi scilicet in eo inveniantur errores historici et mythi, quid valeat, ex sequentibus patebit.

156. — Summam esse HISTORICAM AUCTORITATEM 1. MACH. hodie omnes concedunt[1]; quocirca in ea demonstranda immorari super-

fluum est, postquam saeculo praecedente *PP. Er. Froehlich* et *Ios. Khell* ita eam vindicaverunt, ut eorum responsa hodie quoque omnibus obiectionibus refutandis plane sufficiant[2]. Quoniam 1 Mach. tempore Ioannis Hyrcani est scriptus et spatium quadraginta dumtaxat annorum complectitur, eius auctor multarum rerum, quas narrat, testis coaevus fuit aliasque ex fontibus fide dignissimis facile haurire potuit. Eodem enim modo, quo Hyrcani res gestas annalibus publicis insertas esse asserit, trium priorum ducum praeclara facinora publica cum auctoritate esse literis mandata insinuat; si « *cetera* verba bellorum Iudae et virtutum et magnitudinis eius non esse descripta » propter eorum multitudinem monet[3]. Praeterea liber noster non pauca continet documenta publica[4], quae ex archivis publicis desumta esse patet. Illa quidem omnia vel saltem aliqua ab auctore arbitrario esse conficta, olim multi et hodie nonnulli coniecerunt protestantici interpretes; at sinceriores deuterocanonicorum librorum adversarii fatentur, nullius documenti ab auctore allati authentiam argumentis idoneis esse refutatam[5].

Unica fere, quae contra libri nostri auctoritatem hodie adhuc fieri solet, obiectio ea est, quod eius auctor « valde miram et curiosam (hochst naïve) ignorantiam historiae exterarum gentium prodat », quam tribus potissimum exemplis probare conantur[6].

In primo loco, qui obiicitur, Alexander M. ante mortem suum regnum inter duces suos partitus esse asseritur. Quod assertum quomodo « valde miram historiae ignorantiam » prodat, nemo intelliget, qui consideraverit de Alexandri morte ultimisque rebus gestis nihil certi ab auctoribus profanis nobis esse traditum. Quapropter adversarii attendant oportet ad ea, quae iam *Drusius* ad h. l. adnotavit : « ceterum, inquiens, iniuriam faciunt huic scriptori, qui hinc illi calumniam struunt. Nam de Alexandro teste Arriano alii alia memoriae prodiderunt, neque ullus est, de quo aut plures exstent scriptores aut magis inter se dissentientes »[7]. *Arrianus* morte Alexandri narrata addit se scire multa alia de ea esse conscripta, atque *Qu. Curtius* nonnullos credidisse refert, « Alexandri testamento provincias inter duces eius esse distributas »[8]. Quamvis vero ipse hanc sententiam non admiserit, nihil impedit, quominus dissentientibus inter se profanis auctoribus, qui omnes nostro auctore multo sunt recentiores, libri nostri relationem solam pro vera admittamus, etsi ad inspirationem eius non attendamus.

In altero loco obiecto auctor ea, quae Iudas Machabaeus de Romanis audiverat quibusque permotus erat, ut legatos Romam mitteret, satis fuse exponit. Ultro fatemur inter ea, quae Iudas audisse refertur, nonnulla esse parum accurata atque etiam erronea; at profecto « mirae ignorantiae » accusandus non est *auctor*, qui ea, quae Iudas audierat, fideliter referens nobis explicat, cur Machabaeus societatem et foedus Romanorum quaesiverit. Auctor 1 Mach. in eo praesertim ab auctore 2 Mach. differt, quod velut testis

fidelis simplici modo historiam narrat nec suas sententias suaque iudicia operi unquam inserit, dum alter etiam fidelis quidem est testis, sed simul suam de rebus sententiam manifestat. Iam vero quam ob causam hac in occasione aliter agere debuerit auctor noster, etsi supponamus eius aetate Romanorum res Iudaeis melius fuisse cognitas, nemo dixerit. Immo vero consuetam suam narrandi rationem hoc in loco minus, quam in quocunque alio, relinquere potuit. Namque si pro erronea Iudae Machabaei opinione verum agendi modum retulisset, quem Romani erga exteras gentes sociosque suos tenere solebant, nemo intelligeret, cur Iudaei foedus romanum desiderassent. Tantum igitur abest, ut hoc loco *auctoris* ignorantia aut eius infidelitas demonstretur, ut vix alius inveniatur, quo eius fidelitas et auctoritas clarius adstruatur.

In tertio demum loco obiecto auctor epistolam Arii, regis Spartanorum, ad Oniam, summum sacerdotem, datam et summi sacerdotis Ionathan epistolam Spartiatis scriptam affert. Quid in his epistolis « miram ignorantiam » auctoris nostri prodat, iterum difficile est dictu. Arios I. (Ἀρεύς) rex Spartae fuit a. 309-265 et Onias I. summum sacerdotium tenuit a. 323-300[9]; Arios ergo Oniae procul dubio potuit scribere, et cur Ionathan circa a. 143. Spartiatis scribens prioris foederis Arii et Oniae memoriam revocare non potuerit, quis nobis dicet? — Sed in epistolis istis sermo est de Spartanorum et Iudaeorum communi origine et consanguinitate; Iudaeos vero et Lacedaemonios commune ab Abrahamo genus ducere vix non ridiculum est assertum. Esto; sed num inde etiam sequitur « mira ignorantia » *auctoris*, qui epistolas, quas in archivis invenerat, fidelis testis transcripsit et nobis conservavit nullo iudicio de earum assertis expresso? Equidem puto « valde miram et curiosam » (höchst naiv) esse adversariorum nostrorum artem « criticam », qui omnium documentorum, quae referuntur, sententias ipsi auctori, a quo transcribuntur, attribuere non dubitant[10].

1. Pauca *rationalistarum* iudicia de auctoritate historica 1 Mach. adscribere mihi liceat. *Grimm* Kurzgef. exeget. Handb. zu den Apocr. Leipzig 1853. III. p. XXI : « Unser Buch ist in historischer Beziehung eine Urkunde *von unschätzbarem Werthe* » ; *Fritzsche* in Schenkel's Bibellexicon. 1872. IV. p. 91 : « Unser 1. Buch zählt *unbedingt zu den werthvollsten geschichtlichen Darstellungen* alter Zeit » ; *Davidson* Introduction III. p. 438 : « The credibilty and value of the book have always been recognised » ; *Reuss* Gesch. des A. T. 1881. p. 625 : « Seinem historischen Werthe nach hält es die Vergleichung mit jedem älteren aus » ; *Cornill* Einl. Ed. 3. 1896. p. 265 (cfr Schürer in Herz. P. R. E. Ed. 2. I. 506) : « Ueber den historischen Werth von 1. Mach. ist nur eine Stimme; wir haben in in ihm eine Quelle allerersten Ranges, einen absolut zuversichtlichen Bericht über eine der bedeutendsten Epochen in der Geschichte des jüdischen Volkes ».

2. *Er. Froehlich* S. I. Annales compendiarii regum et rerum Syriae nummis veteribus illustrati. Viennae 1744. Quoniam Froehlich in hoc opere auctoritatem historicam librorum 1 2 Mach. asseruerat, professor lutheranus lipsiensis *E. Friedericus Wernsdorf* cum refutare conatus est (« Prolusio de fontibus historiae Syriae in libris Maccabaeorum. Lipsiae 1746. »). Cui respondit *Froehlich* altero opere « De fontibus historiae Syriae in II. Maccab. prolusio Lipsiae edita in examen vocata. Viennae 1746. » Friederici frater *Theophilus Wernsdorf* fratrem adiuvare conatus paullo post edidit :

« Commentat. histor. criticam de fide librorum Maccabaeorum. Vratislaviae 1747. » At Erasmi Froehlich discipulus *Ios. Khell* S. I. libro edito, cui titulus « Auctoritas utriusque libri Machab. canonico-historica asserta et Froehlichiani Annales Syriae defensi adversus commentationem G. Wernsdorfii. Viennae 1749. », adversarios ad silentium redegit.

3. 1 *Mach.* 16,24 et 9,22.

4. 1 *Mach.* 8,23-32; 10,18-20. 25-45; 12,6-18. 20-23; 13,36-40; 14,20-23. 27-49; 15,2-9. 16-21.

5. Omnia documenta ab auctore allata pro dubiis, nonnulla pro fictis habet *Grimm* (l. c. p. XX); etiam *Davidson* (l. c. p. 438) : « Not that the author has copied his sources literally, even where he applies the word in question (sc. ubi auctor ipse documenta sua ἀντίγραφα appellat); for he has occasionally used them freely (!), reproducing them from memory or according to his own taste », scilicet eodem fere modo, quo Davidson asserta sacrorum scriptorum « pro gustu suo » aut admittit, aut mutat, aut reiicit. *Fritzsche* (l. c. p. 91) distinguit saltem inter documenta illa, quae auctor ipse ἀντίγραφα appellat (8,23 sqq.; 12,6-18. 20-23; 14,20-23. 27-49), et inter reliqua, monetque priora in dubitationem non esse vocanda, quoniam auctorem sine ulla ratione mendacii accusare non liceat; in reliquis autem referendis censet auctorem liberiore modo egisse. Quae distinctio utcunque tolerari posset, *si auctoris infidelitas in uno alterove secundae classis documento referendo esset demonstrata*. At rectissime asserit *Keil* (etsi ipse quoque deuterocanonicorum adversarius strenuus) « von keiner einzigen (Urkunde) ist die Nichtauthentie bereits entschieden » (Comm. über die BB. der Maccab. 1875. p. 19). Leves dubitandi rationes, quae ab adversariis afferuntur, interpreti relinquimus explicandas.

6. 1 *Mach.* 1,6 sqq.; 8,1-16; 12,5-23. Quos textus unanimi consensu obiiciunt *Grimm* l. c. p. XIX; *De Wette Schrader* Einleitung p. 567; *Reuss* l. c. p. 626; *Keil* l. c. p. 18 aliique deuterocanonicorum adversarii. Quod si *Grimm* l. c. censet etiam conciones, precationes etc. libro insertas omnimodam fidem non mereri, quia nemo adfuerit, qui statim illas literis mandaret (« An Sterbelagern oder vor dem Beginn einer Schlacht ist schwerlich jemand zum buchstäblichen Nachschreiben einer Rede aufgelegt »), libentissime concedimus eas a stenographis vel notariis non statim esse literis exceptas; quemadmodum colloquio serpentis et Evae in paradiso non adfuit notarius, qui eorum verba exciperet, et reliqui sermones a primo usque ad ultimum, qui in sacris libris nobis sunt conservati, a stenographis non sunt literis mandati, ita quoque Machabaei stenographos et notarios secum habere non solebant. Sed quid inde? Num ideo iam licet omnia ista in dubium vocare? Equidem puto *eandem* fidem sibi vindicare sermones in Mach. libris contentos, quam sermones ab aliis auctoribus sacris V. et N. T. relatos. Neve obiiciantur conciones et orationes ab auctoribus *profanis* Graecorum et Latinorum confictae et libris eorum insertae. *Hebraicos* enim scriptores eadem ratione, qua *graecos* et *latinos*, egisse non asserendum dumtaxat, sed probandum est. Atque probe attendatur ad magnam illam differentiam, quae inter profanos Graecorum et Latinorum historicos intercedit et inter sacros nostros auctores. Priores operibus suis artificiose et eleganter conscriptis laudem gloriamque sibi comparare studebant, alteri arte postposita solam veritatem sequebantur.

7. *Drusius* i. h. l. Cfr etiam *Patrizi* De consensu utriusque libri Mach. p. VIII., qui rectissime addit, secundum auctorem nostrum « Alexandrum singulis ducibus singulas provincias attribuisse, quibus *praeessent*, non in quibus regnarent », nam « non Alexandrum, sed *ipsos imposuisse omnes sibi diademata* post mortem eius ». Cfr 1 *Mach.* 1,10.

8. *Arriani* De exped. Alexandri I. 1; VII. 27; *Qu. Curtii* De rebus gestis Alexan-

dri M. X. 10. Adverte ex praecipuis testibus de Alexandri M. rebus *Diodorum Sic.* scripsisse Augusti aetate, *Qu. Curtium* sub Tiberio, *Arrianum* sub Hadriano. Nostrum librum *ante a.* 106. *a. Chr.* scriptum esse ostendimus.

9. De Ario I. cfr *Diodor. Sic.* XX. 29; Iustin. XXIV. 1. De Onia I., filio et successore Ladduae summi pontificis Alexandri tempore, cfr *Fl. Ioseph.* Antiqu. XI. 8,7.

10. Etiam 2 *Mach.* 5,9 non auctor ipse consanguinitatem Lacedaemoniorum et Iudaeorum asserit, sed solam rationem indicat, qua permotus Iason Spartam confugit. Ceterum quid antiquiores interpretes de hac consanguinitate senserint, cfr penes *Serar.* in 1 Mach. 12 (Libri Tobia, Iudith, Esther Machab. p. 753 sq.) et *Huet.* Demonstr. evang. Propos. IV. 8,10 (Ed. Venet. 1765. p. 127 sq.). Ex protestanticis cfr *Grot.* in 1 Mach. 12,7 (Opp. Basileae. 1732. I. p. 753) et *Selden.* de Synedr. II. 3,5. (Amstelod. 1697. II. p. 68). — De relationibus inter Arium I. et Iudaeos cfr *Haneberg* Gesch. der Offenbarung. Ed. 4. 1876. p. 515 sq.

157. — Maior est controversia DE HISTORICA AUCTORITATE 2 MACH., neque id mirabitur, qui satis multa miracula in eo narrari animadverterit. Etenim ne illa quoque pro veris admittere cogantur, rationalistae integro libro fidem abiudicare malunt[1]. Quibus ut respondeamus, distinguemus narrationem inter et epistolas praemissas.

Narrationem non esse nisi operis Iasonis Cyr. epitomen iam vidimus; quicunque igitur eius auctoritatem convellere voluerit, aut Iasonem fide indignum testem esse demonstret oportet, aut epitomatorem opus Iasonis infideliter excerpsisse. Neutrum autem hucusque demonstratum est aut demonstrari poterit. Nam Iasonem, quicunque ille fuit, quinque suos libros ante Iudae Machabaei mortem composuisse veri simillimum esse ostendimus (155 p. 456 sq.); coaevus igitur fuit testis rerum, quas narrat, nam sedecim tantum annorum historiam complectitur, nec ulla affertur ratio, cur in rerum gestarum, quas vidit, narratione a veritate deflexerit. Epitomatorem autem munere suo infideliter esse functum nemo dixerit; nam si falsa pro veris obtrudere voluisset lectoribus suis, fontem suum non indicasset, ne fraus comparatione instituta detegeretur. Sed generali hoc argumento omisso ad singula veniamus.

Etenim inter duos Machabaeorum libros quam plurimas adesse contradictiones asserunt adversarii neque dubitationem exoriri posse, quin prioris libri narratio semper sit praeferenda. « Ea quidem, inquiunt, quae II. 4,7-7,42 leguntur, optime cum I. 1,10-64 consentiunt (si illud unum exceperis, quod Epiphanes Ierosolymis martyrio septem fratrum adstitisse dicatur) atque prioris libri narrationem eximie complent; verum inde a 2 Mach. 8. tanta est utriusque libri differentia quum in rebus gestis ipsis tum in earum nexu et chronologia, ut conciliari plane nequeant »[2]. Ne commentarium potius, quam introductionem scribere videamur, omnes et singulas contradictiones, quas rationalistici et protestantici interpretes invenisse sibi videntur, hoc

loco explicare nobis non licet, neque id necessarium esse arbitramur, postquam multi iam egregii interpretes catholici ad satietatem usque istas obiectiones refutarunt. Quare illas commentatori relinquimus atque de iis solis, quae praecipuae esse dicuntur[3], paucas notas subiicimus, quibus quid reliquae valeant clarius apparebit.

Atque 1. quidem relatio de martyrio septem fratrum verbis exasperata et in falsum aucta esse dicitur; Epiphanem tam crudelem non fuisse neque martyrio praesentem adfuisse; septem enim fratres passos esse Ierosolymis eo tempore, quo rex Antiochiae commoraretur. Quod si responderis, secundum communem orientalis et occidentalis ecclesiae traditionem septem fratres passos esse Antiochiae, clamant adversarii id arbitrarium esse effugium, propterea quod auctor noster ne verbulo quidem indicet, fratres istos ex Iudaea Antiochiam esse adductos[4]. — Sed auctor noster brevitati se studere disertissime asserit (2,32); atqui brevitati profecto non studuisset, si 5,21 Epiphanem « velociter Antiochiam regressum esse » et 7,1 martyrio adfuisse referens prudenti lectori non illa supplenda reliquisset, quae per se sunt manifesta. Eandem narrandi rationem ubique tenet; ex. gr. 7,1-42 Epiphanes martyrio adest, 8,1-36 de eo non fit sermo, sed de cladibus, quas Iudas Mach. ducibus eius in Palaestina intulit, 9,1 Epiphanes *revertitur ex Perside.* Quoniam secundum adversarios nostros martyrium locum habuit Ierosolymis et auctor 2 Mach. de itinere Epiphanis non loquitur, cogimur admittere, Iasonem vel eius epitomatorem credidisse Ierosolyma Persidis fuisse caput, nisi rectius supponamus eos prudentibus lectoribus libros suos destinasse. Quae de exaggeratione relationis dicuntur, refutatione vix videntur indigere; secundum 1 *Mach.* 1,52 Epiphanes mortis poenam statuit omnibus iis, qui legem iudaicam observarent, et quantopere exacerbatus fuerit contra Iudaeos, satis apparet ex mandatis, quae in Persas proficiscens duci suo Lysiae reliquit (1 *Mach.* 3,34-36); plenus igitur utriusque libri est consensus.

2. « Expeditio, quam secundum 1 *Mach.* 4,26-35 Lysias contra Iudaeos suscepit ultimo Epiphanis anno, secundum auctorem 2 *Mach.* 11 facta est tempore Antiochi V. Eupatoris; errat quoque auctor 2 *Mach.* in eo, quod expeditionem illam pace terminatam asserit, et quatuor documenta, quae de hac pace affert, ipse confinxit ». — Ita adversarius noster non animadvertens de diversis expeditionibus agere utriusque libri auctores. Nam 1 *Mach.* 4,35 legimus Lysiam clade accepta « abisse Antiochiam et elegisse milites, ut multiplicati rursus venirent in Iudaeam », atque de hac altera Lysiae expeditione agit 2 *Mach.* 11. In priore expeditione Lysias secum habuit 60,000 peditum et 5.000 equitum (I. 4,28), in altera autem, postquam exercitum suum, « multiplicavit », duxit 80,000 peditum, universum equitatum et octoginta elephantos (II. 11,2. 4); in priore amisit 5.000 virorum (I. 4,34), in altera 11,000 peditum et 1.600 equites (II. 11,11). Post hanc cladem Lysias certior factus de morte Antiochi IV. Epiphanis (I. 6,17) pacem cum Iudaeis fecit (II. 11,13). Iterum igitur plenum habemus utriusque libri consensum;

res autem gestae sunt eo tempore, quo Epiphanes ex infelici sua expeditione persica revertens in itinere morte abripiebatur[5]. Neque demonstrare opus est, quatuor illa documenta (II. 11,16 sqq.) non esse conficta; annus 148. aer. Seleuc., quo scripta est Lysiae epistola, est annus mortis Antiochi Epiphanis, si attendis in numerandis annis aerae Seleucidarum duos nostros Machabaeorum libros ita differre, ut prior liber (hebraice conscriptus) aeram incipiat ex Iudaeorum more a vere (mense Nisan), alter vero (graece conscriptus) ex more graecorum ab auctumno (mense Tischri)[6].

3. « Secundum II. 10,3 *biennium* intercessit inter templi profanationem et purificationem; sed secundum I. 4,44 *triennium* ». — Errat adversarius, si biennium istud a profanatione templi inchoare putat; illud inchoandum esse ab initio principatus Iudae Machabaei iam asseruerunt Serarius, Corn. a Lapide aliique, atque denuo optime demonstravit Patrizi[7].

4. « Bella, quae post templi purificationem et ante Epiphanis mortem Iudaei cum finitimis gentibus et civitatibus et cum duce syro Timotheo gesserunt (I *Mach.* 5), ab auctore secundi libri variis temporibus adscribuntur (II. 8,30; 10,15-38; 12,2-45); immo Timotheus, qui II. 10,37 occisus dicitur, iterum bellum gerit II. 12,10 sq. ». — Ultimam hanc obiectionem iam antiqui interpretes refutarunt monentes de duobus Timotheis agi, quorum alter *trans* Iordanem dux copiarum fuit (I. 5,6 sqq.; II. 12,2 sqq.), alter *cis* Iordanem bellum gerebat (II. 8,30 sqq.; 10,24 sqq.)[8]. Prior autem obiectio nulla est, nisi antea demonstratur utrumque auctorem de iisdem omnino expeditionibus loqui et utrumque voluisse ordinem chronologicum accurate servare[9].

5. « Erronea est relatio de loco et modo mortis Epiphanis et conficta eius epistola ad Iudaeos (II. 9,3 sqq.); errat quoque auctor, si Philippum immediate post Epiphanis mortem in Aegyptum fugisse asserit (II. 9,29) et ignorat Antiochum V. Eupatorem puerum fuisse novem annorum eo tempore, quo pater eius Epiphanes mortuus est (II. 10,11; 11,14. 18. 22 sqq.) ». — De Epiphanis morte statim dicemus (158); de reliquis haec adnotemus. Philippum *statim* in Aegyptum fugisse auctor noster non asserit; nihil igitur obstat, quominus in II. 9,29 ea inseramus, quae I. 6,55-63 referuntur; scilicet Philippum cum Epiphanis exercitu reversum Antiochiam primum occupasse, sed devictum esse a Lysia; devictum autem in Aegyptum fugisse noster addit. *Fl. Iosephus* (Antiqu. XII. 9,7) utique refert, Philippum capta Antiochia a Lysia esse interfectum; quaestio igitur est, uter maiore fide sit dignus, Iason Cyrenaeus testis coaevus, an Iosephus, qui in hac Antiquitatum parte unicum ducem sequitur 1 Mach. librum et quamplurima erronea tradit, ubi ex fonte illo non haurit; de Philippi autem occisione 1 Mach. nihil dicit et quia post captam Antiochiam de eo prorsus tacet, Iosephus ex communiter contingentibus conclusit eum esse occisum et coniecturam suam velut factum historicum lectoribus suis obtrusit. Ad tertiam obiectionis partem quod attinet, non animadvertit adversarius noster regum etiam *pupillorum* decreta eorum nomine promulgari; Lysias semper vocatur Eupatoris ἐπίτροπος (11,1; 13,2; 14,2); auctor igitur noster non ignoravit Eupatorem puerum fuisse eo tempore.

6. « In relatione de secunda Lysiae expeditione in Iudaeam (II. 13,1 sqq.) res gestae ita sunt deformatae et depravatae, ut vix aut ne vix quidem cognoscantur ». — Utique, si eaedem res gestae in nostro libro et in priore (I. 6,28 sqq.) narrari supponuntur; sed etsi de eadem expeditione sit sermo, de aliis tamen pugnis loquitur prior, de aliis alter, ita ut alter alterius narrationem suppleat. Egregie de hac duplici relatione *Patrizi* : « Considerandus apprime est simplex ille planeque liquidus ac nullo studio nullaque arte quaesitus utriusque scriptoris quasi concentus, certissimum veritatis indicium, ut quae uterque minus aperte dicit, ea si conferantur inter se, altera alteris lucem adhibeant »[10].

7. « Cum historia certo cognita pugnant ea, quae de Demetrio I. referuntur; neque enim cum magno exercitu magnaque classe Tripolim advenit (II. 14,1) neque in exercitu elephantos habebat (II. 14,12; 15,21) ». Teste scilicet 1 *Mach.* 7,1 Demetrius « cum paucis viris » advenit et teste *Polybio* (XXXI. 12) Cn. Octavius legatus Romanorum brevi ante Demetrii adventum omnes elephantos regios occiderat. — Ad priorem obiectionis partem solvendam sufficit adnotasse, secundum nostrum auctorem Demetrium *non advenisse* cum magno exercitu et classe in portum Tripoleos, sed *ex eo solvisse* cum magno exercitu[11]. Revera autem mirum est, quod adversarius noster putet Demetrium pro occisis elephantis non potuisse alios invenire.

8. « Omni demum verisimilitudine carent ea, quae de scelere a Ioppitis et Iamnitis contra Iudaeos commisso (II. 12,2 sqq.), de Nicanoris erga Iudam Mach. benevolentia et amicitia (II. 14,24 sqq.), de suicidio Raziae (II. 14,37) referuntur; exaggerati sunt numeri hostium occisorum (II. 8,24. 30; 10,23. 31; 11,11; 12,19. 26. 28; 15,27), et falsissimum est, arcem ierosolymitanam iam eo tempore, quo Nicanor devictus est, in Iudaeorum potestate fuisse (15,31. 35) ». — Ut ab ultima parte iterum incipiamus, auctorem nostrum negamus supposuisse, arcem ierosolymitanam tempore Iudae a Iudaeis fuisse occupatam; distinguit enim auctor noster disertissime inter « contribules suos » et inter « eos, qui in arce erant » (15,31), et caput Nicanoris ad murum acropoleos exteriorem affigi potuit (15,35), quamquam acropolim ipsam Iudas nondum expugnaverat. In numeris nonnullis exaggerationem quandam apparere fatemur, sed adversario demonstrandum est, numeros istos, qui hodie leguntur, auctori et non librariis somnolentis deberi; nam in libris Machab. idem, quod in reliquis libris sacris, accidisse atque genuinam numerorum et nominum propriorum lectionem interdum perisse, quis mirabitur? Quae demum primo in loco afferuntur, illa eiusmodi sunt, ut non intelligatur, cur eorum verisimilitudo negetur.

Quoniam igitur inter omnes, quae *praecipuae* (die vornehmsten) dicuntur, obiectiones ne una quidem invenitur, quae *seriam* difficultatem creet, narrationem dignam esse fide historica iure nostro asserimus.

1. Eadem cum unanimitate, qua historicam 1 *Mach.* auctoritatem agnoscunt, alteri fidem negant « critici »; cfr *Grimm.* Hbdbch. IV. p. 8 sqq.; *Fritzsche* in Schenkel Bibellex. IV. p. 93; *Schürer* in Herz. P. R. E. Ed. 2. I. p. 507; *Davidson* Introd. III. p. 447 sqq.; *Reuss* Gesch. d. A. R. p. 664 sq.; *Cornill* Einl. 1896. p. 267. — Ac-

quius de libro nostro iudicat *Keil* (Commentar p. 262 sqq.), qui multas « criticorum » obiectiones bene refutat, sed lutheranis imbutus praeiudiciis non toti narrationi fidem quam debet adhibet. Ceterum obiectiones omnes iam solverunt antiquiores et moderni interpretes cath.; praesertim cfr *Fr. X. Patrizi* De consensu utriusque libri Mach. p. 247 sqq.

2. *Grimm* l. c.

3. Transcribimus *omnes* obiectiones, quas velut praecipuas affert *Grimm* l. c. p. 8 sq.; reliqui rationalistae, qui eum secuti sunt, ex eo solo suas difficultates hauserunt.

4. *Grimm* l. c. p. 8. 130 sq. et III. p. 25.

5. Cfr quomodo utriusque libri narrationem componat *Patrizi* l. c. p. 204-218 et Adnot. p. 255 sqq.

6. Diversa initia aerae Seleucidarum ab auctoribus 1. et 2. Mach. librorum statui, communis est interpretum catholicorum (et plerorumque acatholicorum) sententia, magna autem eorum discordia in initiis illis definiendis. Secundum alios (*Ideler* Handb. der Chronologie I. p. 530 sq.; *Riess* S. I. Das Geburtsjahr Christi. Freiburg 1880. p. 233 sqq. etc.) 1. Mach. aeram cum Syro-Macedonibus inchoat ab a. 312. a. Chr., sed eius menses more iudaico numerat ab initio messis (mense Nisan 312); 2. Mach. autem cum Chaldaeo-Babyloniis aeram inchoat ab a. 311. et quidem ab auctumno (mense Tischri 311.), ita ut octodecim mensibus distent aerae initia. Secundum alios (*Petav.* Doctr. temp. X. 45, *Froelich* Annales etc. II. 2, *Patrizi* De consensu etc. p. 15 sqq. etc.) utrique auctori a. 312. fuit initium aerae, sed 1. Mach. eius menses numerat a vere (m. Nisan 312.), 2. Mach. ab auctumno (m. Tischri 312.), ut sex tantum mensibus differant aerae. Secundum alios demum (*Sanclemente* De aera vulg. II. 6, *Welte* Einl. in die deuterokan. BB. p. 58 etc.) integro anno differunt, quum 1. Mach. eam inchoet ab auctumno 312., 2. Mach. ab auctumno 311. Quibus immorari huius loci non est; sufficit enim viam indicasse, qua difficultas solvi potest.

7. *Patrizi* De consensu etc. p. 256.

8. Cfr *Welte* l. c. p. 38; *Patrizi* l. c. p. 259 sq. etc. Ipse *Grimm* III. p. 79 sq. duos Timotheos fuisse statuit, atque IV. p. 8 hanc sententiam *communem* (die gewöhnliche) vocat, nulla autem argumenta affert, cur illam relinquat. Ex antiquioribus Protestantibus eam tenuerunt Grotius, Calovius, Wernsdorf etc., ex recentibus Ewald. — Ceterum cave ne civitates *Gazara* (1 *Mach.* 7,45 etc. 2 *Mach.* 10,32) et *Gazer* (1 *Mach.* 5,8) unam eandemque esse putes; *Gazara* enim, in qua alter Timotheus occisus est (2 *Mach.* 10,32 sqq.), sita est in Iudaea prope Nicopolim, sed *Gazer* vel potius Ἰαζήρ, uti legit Alex. (1 *Mach.* 5,10) vel Iaiser (*Deut.* 32,1; *Is.* 16,8) in finibus Ammonitarum et Amorrhaeorum fuit trans Iordanem.

9. Quomodo haec disponenda sint, docet *Patrizi* l. c. p. 203 sqq.

10. *Patrizi* l. c. p. 287.

11. Recte monuit *Keil* l. c. p. 413 verba διὰ τοῦ λιμένος εἰσπλεῖν, quibus noster auctor utitur, non esse idem atque εἰσπλεῖν εἰς τὸν λιμένα.

158. — *Epistolarum 2. Mach. libro praemissarum* authentia et fides historica a plerisque rationalistis impugnantur, atque altera etiam a reliquis protestanticis interpretibus repudiari solet[1]; verum *pleraeque* difficultates, quae afferuntur, satis leves sunt.

« *Priorem epistolam* (II. 1,1-10, a.) breviorem esse, quam quae suppositicia certis indiciis teneri queat », unus quidem ex rationalistarum schola iam diu monuit[2]; nihilominus reliqui unam eandemque difficultatem recoquere non cessant. In eo nimirum auctor epistolae errasse dicitur, quod

Iudaei palaestinenses, quibus istam epistolam affingit, asserant se aegyptiacis scripsisse « regnante Demetrio anno 169. (aer. Seleuc.) in tribulatione maxima » (ἐν τῇ θλίψει καὶ τῇ ἀκμῇ II. 1,7). Nam isto anno, inquiunt, Iudaei iam ad Antiochi VI. partes, relicto Demetrio II., transierant (I. 11,54 sqq.), et maxima tribulatio, quae tempore Antiochi Epiphanis fuerat, dudum praeterierat; epistolae auctor igitur Demetrium I. et Demetrium II. confudit, id quod a. 188. aer. Seleuc., i. e. vix viginti annis post rem relatam, ipso Demetrio II. in vivis etiam tunc agente, fieri non potuit; ergo epistola recentiore tempore est conficta. — Sed a.) nullo idoneo argumento probatur, Antiochum VI. iam a 168. aer. Seleuc. thronum Syriae occupasse; quod si demonstraretur, demonstrandum etiam esset, eum eodem anno Iudaeos scripta epistola, ut ad suas partes transiret, invitasse. Longe probabilior vero, immo certa est eorum sententia, qui Antiochum VI. non ante a. 169. ad thronum accessisse et aliquot mensibus postea Iudaeos ad suas partes traxisse tenent. b.) In sua epistola Iudaei loquuntur de integra tribulatione, qua afflicti sunt « istis annis ex quo apostatae facti sunt Iason et socii eius »; Iason autem ab Epiphane emit summum sacerdotium et ethnicos mores introducere coepit (II. 4,7 sqq.). Porro persecutio tempore Epiphanis incepta perduravit usque ad Demetrium II., qui ἔθλιβεν αὐτόν (Ionathanem et populum) σφόδρα (I. 11,53); immo etiam postquam iam ad Antiochum VI. defecerunt, Iudaei a Demetrii ducibus premebantur (I. 11,67 sqq.)[3]. Nisi quis igitur epistolae verba perverse interpretetur, nihil in ea inveniet, quo eius authentiam et auctoritatem impugnet.

Altera epistola longior (II. 1,10 b.-2,19) vehementius impugnatur. Prima autem et gravissima difficultas invenitur in relatione de Antiochi IV. Epiphanis morte (II. 1,13-16), quae nec cum prioris libri (I. 6,8 sqq.) nec cum Iasonis Cyrenaei narratione (II. 9,1 sqq.) consentiat[4]. Triplici diverso mortis genere Epiphanem a duobus librorum nostrorum auctoribus interfici impudentissime asseruit olim Bayle, et similes calumnias repetunt omnes moderni rationalistae. Quibus ut respondeamus, ostendemus praeprimis in conciliandis prioris et alterius *librorum* relationibus (I. 6 et II. 9) seriam non inveniri difficultatem, atque deinde dicemus, quid de epistolae relatione (II. 1) probabilius videatur sentiendum.

Prior *auctor* cum altero pugnare dicitur de urbis nomine, cuius templum spoliare conatus sit Epiphanes, de loco, in quo cladis exercitui suo ab Iudaeis illatae nuncium acceperit, de morbo, quo sit mortuus. Immerito autem differentia nominum urbis, de cuius templo agitur, contra librorum auctores urgetur, quoniam tota difficultas erroneae lectioni innititur. Nam receptam lectionem prioris libri, quam etiam *Vulg.* sequitur (ἐστὶν Ἐλυμαΐς ἐν τῇ Περσίδι πόλις I. 6,1), pauci codices graeci iique fide indigni tuentur plerisque et melioribus, inter quos *Alex.* et *Sinait.*, nomini Ἐλυμαΐς praepositionem ἐν praemittentibus; atque eo minus dubitare licet genuinam lectionem fuisse : ἐστὶν ἐν Ἐλυμαΐδι ἐν τῇ Περσίδι πόλις ἔνδοξος κτλ., quia civitas, cuius nomen fuerit Elymais, est incognita. Eadem igitur ratione, qua Polybius et Appianus civitatis ipsius nomine tacito solam provinciam, in qua situm erat templum, sc. Elymaida, indicant, etiam auctor noster provinciam (Ely-

maida) et regnum, ad quod pertinuit (Persiam), nominavit. Quibus admissis soluta est difficultas; nam auctor alterius libri provinciae et regni nominibus omissis posuit nomen urbis ipsius *Persepolis* (II. 9,2)[5]. — Neque inter se pugnant duae relationes de loco, in quo Epiphanes de clade a Iudaeis accepta certior factus est (I. 6,5 et II. 9,3). Urgere nolumus, quod ex prioris auctoris verbis (καὶ ἦλθεν ἀπαγγέλλων τις αὐτῷ εἰς τὴν Περσίδα) non necessario colligatur, regem *in ipsa Perside* nuntium accepisse; aptissime enim eadem verba adhiberi potuerunt, si nuntius *in Persiam missus* regem ex Perside revertentem in itinere obviam habuit. Sed id praecipue monemus, nomen Persidis latiore sensu de tota *Ariana,* quae etiam *Mediam* complectebatur, quum ab alterius (II. 1,19), tum a prioris libri auctoribus adhiberi. Prior enim, etsi Epiphanem in Persidem expeditionem suscepisse (I. 3,31) et in Perside nuntium cladis accepisse dicat (I. 6,5), tamen post Epiphanis mortem Philippum exercitum regium « *ex Perside et Media* » reduxisse refert (I. 6,56). Scilicet Epiphanes a Persepolitanis repulsus longiorem viam per Mediam petierat, ut in Syriam reverteretur, et in Persidis ac Mediae confinibus obviam habuit nuntium a Lysia de clade accepta missum; quare alter auctor dicit eum certiorem factum esse κατ' Ἐκβάτανα (« in regione Ecbatanorum » seu in Media II. 9,3). Quibuscum satis apte etiam conciliantur, quae de loco mortis Epiphanis Polybius et S. Hieronymus tradunt; Tabae enim vel « Tabes oppidum Persidos » teste Qu. Curtio situm erat in Paraetacene ultima; per Paraetacenen autem, quae Ecbatanis et Persepoli interiacet, Alexander M. iam exercitum suum ab una ad alteram civitatem duxerat[6]. Quae demum de Epiphanis morbo et poenitentia fuse tradit alter auctor (II. 9,5 sqq.), tantum abest, ut ea priori libro contradicant, ut commentarium optimum constituant brevioris istius relationis (I. 6,8-13).

At cum duabus istis narrationibus multo difficilius conciliari epistolae relationem (II. 1,13 sqq.) ultro concedimus. « Tanta, inquit iam *Pererius,* inter hos duos et tertium videtur esse narrationis diaphonia, ut aut non de eodem rege scribi, aut si de eodem, quaedam certe non modo diversa sed etiam plane contraria de eo tradi videantur. Itaque locus hic maiorem in modum ingenia doctorum hominum exercuit et vexavit, nec quisquam, opinor, fuit, qui vel aliis omnino vel etiam sibi ipse satisfaceret »[7]. Revera secundum epistolam Antiochus templum deae Nanneae diripere volens cum paucis sociis a sacerdotibus in templum introductus ibique occisus est (II. 1,15,16), secundum reliquos omnes a templo et ab urbe repulsus in Syriam revertens in itinere morbo abreptus est (I. 6,1-16; II. 9. 2-28). — Quam difficultatem ut solverent, de altero rege loqui epistolam, de altero agere librorum auctores, interpretes antiquiores iam et moderni non pauci putaverunt. Atque alii quidem in epistola Antiochi III. Magni mortem narrari arbitrati sunt, quem, quum templi Beli thesauros diripere vellet, a populo occisum esse tradunt Appianus et Diodorus Sic.[8]. At Antiochus III. Magnus Iudaeorum semper amicus fuerat nec ullo modo eos erat persecutus; de *persecutoris* autem morte loquitur epistola (II. 1,12); ex tota quoque relatione evidens est, regem illum recenter esse mortuum, Antiochus M. autem obiit a 187. a. Chr. et epistola nostra scripta est a. 162. Quapropter

alii moderni et antiqui interpretes regem recentiorem, Antiochum VII. Sidetem (139-130.), intelligi malunt[9]. Sed parum recte; praeprimis enim obstat tempus, quo epistola, quae in inscriptione Iudam (Mach.) et Aristobulum magistrum Ptolemaei Philometoris nominat, scripta est (cfr *supra* 151 p. 442). Accedit, quod de Sidetis morte nihil certi nobis est traditum, nisi eum in bello parthico interisse; utrum in acie ceciderit, quod Iustinus refert, an clade accepta sibi ipse manum intulerit, quod vult Appianus, ignoramus, sed de templo ab eo direpto et de morte a sacerdotibus templi ei illata nemo loquitur, immo vero Fl. Iosephus Sidetem propter singularem eius deorum venerationem cognomen *Pii* accepisse asserit. Eodem quoque Iosepho teste Antiochus Sidetes in ultimo suo bello parthico Iudaeos habuit socios et petente summo sacerdote Hyrcano, ne Iudaei sabbathum violare cogerentur, integro exercitui biduum ad quietem concessit. Quare non obstante eius bello cum Simone, Hyrcani praedecessore (I. 15,38), nec satis recte *persecutor* Iudaeorum vocatur, nec de eius morte tantopere gaudere potuerunt epistolae nostrae scriptores[10]. Quapropter alii de *regis* Antiochi morte epistolam loqui negant : *Antiochum* ingressum quidem dici in templum, sed *ducem* dici esse interemtum[11]; quae sententia nescio annon nimiam vim verbis inferat. Atque *Pererii* quoque opinio (l. c.), qui non Antiochi IV. Epiphanis *mortem*, sed « horribilem quendam casum, qui ei in Perside contigit » narrari censet, procul dubio est erronea; mors enim diserte asseritur, lectionis autem, quam omnes codices tuentur, cum Pererio mutandae nulla est ratio sufficiens. — Quae quum ita sint, restat ut eam sententiam praeferamus, quam primus, ut videtur, proposuit *Emmanuel Sa* et nonnulli moderni interpretes receperunt, quamvis eam « durum » dicat Corn. a Lapide[12]. Itaque epistolae istius scriptores (populum ierosolymitanum, synedrium iudaicum et Iudam Mach.) in hac referenda morte Antiochi Epiphanis eatenus errasse censemus, quatenus non veram mortis rationem, sed erroneum de ea rumorem retulerunt. Scilicet una cum nuntio de infelici Antiochi expeditione contra templum (I. 6,2. 3), allatus videtur Ierosolyma vagus quidam de morte eius paullo post secuta rumor; sicuti autem fieri fere solet in vagis rumoribus, qui ex remotissimis regionibus afferuntur, templi tentata direptio et mors coniungebantur, atque primos hos rumores eo tempore sparsos Iudaei palaestinenses cum aegyptiacis communicaverunt; veram autem mortis rationem, quae postea innotuit, auctor 2. Mach. fuse narravit, recentior auctor 1. Mach. brevius insinuavit. — Contra authentiam igitur et *historicam* auctoritatem epistolae ex hac relatione nihil deducitur, siquidem velut fideles testes Iudaei ierosolymitani illa retulerunt, quae eo tempore de hac re credebantur vera; monente autem S. Hieronymo « multa in Scripturis sanctis dicuntur iuxta opinionem illius temporis, quo gesta referuntur, et non iuxta quod rei veritas continebat »[13].

Neque maiore cum iure contra epistolae authentiam et auctoritatem afferuntur miraculum ignis aetate Nehemiae coelitus dati (II. 1,21 sqq.) et narrationes de tabernaculo arcaque foederis per Ieremiam e templo in montem Nebo transportatis (II. 2,4 sqq.) et de libris sacris per Nehemiam

collectis (II. 2,14). Licet enim in aliis sacris libris haec non commemorentur, nulla prudens suppetit ratio, cur in dubitationem vocentur. Nam illis, qui epistolam scripserunt, praeter oralem traditionem praesto fuerunt libri hodie deperditi, ad quos velut ad fontes suos disertis verbis provocant (II. 2,1. 4. 13), neque ullo adhuc argumento demonstratum est, libros istos minore, quam alios profanos a testibus coaevis conscriptos, fide esse dignos, nisi praeiudicia rationalistica pro argumentis tibi obtrudi permiseris. Procul quidem dubio adversarii nostri rationalistici, qui igne coelitus dato holocausta Moysis (*Levit.* 9,24) et Salomonis (2 *Paral.* 7,1) consumta esse negant, concedere nequeunt simile miraculum Nehemiae tempore accidisse, quum omnia miracula prorsus respuant. Atque moderni « critici », si hodie eo usque procedunt, ut mosaicum tabernaculum arcamque foederis non nisi post exsilium conficta esse asserant, negare profecto debent, Ieremiam ea ante exsilium in montem Nebo transtulisse. Et quomodo Nehemiam libros sacros collegisse concedunt, qui longe maiorem librorum V. T. numerum Nehemia asserunt multo esse recentiores? Aliis vero adversariis veritatem rerum narratarum demonstrare non admodum est difficile. Utique fieri non potuisse contendunt, ut Ieremias tabernaculum et arcam transportaret; nam quum Ierusalem a Chaldaeis occuparetur, Ieremiam in carcere fuisse, atque plus quam herculeas vires necessarias fuisse ad illa omnia transportanda. Ieremias vero capta urbe statim a Chaldaeis e carcere eductus, templum autem insequente dumtaxat mense destructum est (*Ierem.* 39,2. 11 sqq.; 52,12. 13); tempus igitur ei non defuit; neque ei defuerunt amici ac socii, qui eum adiuvarent, nec beneplacitum regis id permittentis, quippe qui iusserat eum facere, quaecunque ei placerent (*Ierem.* 39,12).

Duae aliae obiectiones, quae remanent, levissimae sunt, quamvis iis solis, si fides esset adversariis, adulterina esse epistola satis superque demonstraretur [14]. Nehemias enim dicitur templum aedificasse (II. 1,18), et allegantur libri apocryphi pro Scriptura sacra (II. 2,4); atqui synedrium ierosolymitanum nec ignorare potuit, Zorobabelem templum aedificasse et Esdram cultum restituisse, antequam Nehemias esset reversus, neque profanos libros sacris adnumerare ei licuit; recentior ergo quidam scriptor credulus epistolam illam confinxit. — At eo in loco (II. 2,4) vocabulum γραφῆς de Scriptura *sacra* interpretandum esse, adversarii non asserere tantum sed probare debent, idque eo magis, quia vox γραφή in Novo T. quidem libros divinitus inspiratos plerumque significat, sed eo sensu ab alexandrinis interpretibus non usurpatur; etiam in Machabaeorum libris Scriptura S. semper appellatur τὰ βιβλία τὰ ἅγια (I. 12,9), ἡ ἱερὰ βίβλος (II. 8,23). Erroneae interpretationi altera quoque innititur obiectio; οἰκοδομεῖν enim vario sensu ab Alexandrinis adhibetur, atque interdum est idem quod *fortificare* vel *munire;* Iudas et fratres eius ᾠκοδόμησαν τὸ ὄρος Σιών (I. 4,60), i. e. muris cinxerunt et munierunt montem Sion; nonne etiam Nehemias, qui urbis muros restituit, ᾠκοδόμησε τὸ ἱερόν [15]? Etiam iunior scriptor ille, quem supponunt adversarii, quum antiquam populi sui historiam optime se scire in tota epistola demonstret, non potuit ignorare, ante Nehemiae adventum templum iam fuisse terminatum.

1. *Grimm* l. c. p. 22 « Die Unächtheit der Briefe *unterliegt keinem Zweifel* » etc.; secundum Grimm ex protestanticis scriptoribus soli *Grotius* et *Valckenaer* authentiam prioris epistolae integrae et partis secundae epistolae admiserunt; sed etiam *Keil*, qui in Introductione sua (Ed. 3. 1873. p. 714) utramque epistolam respuerat, in commentario (1875. l. c. p. 270) saltem priorem admittit. Cum Grimm consentiunt *Davidson* Introd. III. p. 450 (« Their spuriousness is unquestionable »); *Reuss* Gesch. des A. T. p. 663 sq.; *Fritzsche* in Schenkel Bibellexicon IV. p. 94 sq. etc.

2. *Bertheau* De 2. libro Machabaeorum dissertatio. Göttingae 1829. p. 15.

3. Quare recte ipse *Keil* l. c. : « Bei dieser Lage der Dinge darf man die Worte, welche die Iuden in einem zwanzig Iahre später geschriebenen Briefe von der Drangsal unter Demetrius II. gebrauchen, nicht so pressen, dass man kritische Hypothesen darauf baut ».

4. Cfr *Grimm* l. c. p. 41 etc.; *Keil* l. c. p. 374 sq.

5. Lectionem indicatam ipse recepit *Fritzsche* Libri apocryphi V. T. graece. Lipsiae 1871. p. 227; eam approbat etiam *Keil* l. c. p. 111. — *Polyb.* XXXI. 11 et *Appian.* Syr. 66. « τὸ τῆς Ἐλυμαίας Ἀφροδίτης ἱερόν. Secundum 2 Mach. 1,13 templum erat *Naneae* (Ναναίας vel Ἀναναίας), Ἀναΐα autem vel Anaitis fuit Persarum *numen patrium* (*Strabo* XI. 532). Cfr *Rawlinson* The five great monarchies. III. p. 360 sq. « The Babylonian Venus, called in the original dialect of her native country *Nana*, was taken into the Pantheon of the Persians, under the name of *Anaea*, *Anaitis*, or *Tanata*, and became in a little while one of the principal objects of Persian worship... At Susa, at Persepolis, at Babylon, at Ecbatana, at Damascus, at Sardis, at Bactra images of Anaitis were set up for the adoration of worshippers » etc.

6. *Polyb.* XXXI. 11; *S. Hieron.* in Dan. 11,44. 45 (M. 25,600); *Qu. Curt.* V. 13.

7. *Perer.* Comm. in Dan. l. IX. Romae 1587. p. 269.

8. Ex antiquioribus iam *Card. Hugo*, *Lyran.*, *Dionys. Carthus.*, *Melchior Canus* etc., quibuscum consentiunt ex modernis *Vigouroux* Man. bibl. II. 179. — Cfr. *Appian.* Syr. 38; *Diodor. Sic.* Fragm. 29.

9. *Rhaban. Maur.*, *Rupert. Tuit.*, *Serar.*, *Cornel. a Lap.* etc., quibuscum ex recentioribus consentiunt *Goldhagen* Introd. II. p. 570, *Patrizi* De consensu etc. p. XI., *Scholz* Einl. II. p. 652 sq., *Péronne* in edit. Comment. Corn. a Lap. Paris. 1860. IV. p. 498 Nota.

10. De Antiochi Sidetis morte cfr *Iustin.* XXXVIII; *Appian.* Syr. 69; de eius cum Iudaeis amicitia *Fl. Ioseph.* Antiqu. XIII. 8,4.

11. Hanc sententiam propugnavit *Estius* (i. h. l.), approbaverunt *Haneberg* Gesch. der bibl. Offenb. Ed. 4. p. 513 sq., *Alois Cigoi* Histor. chronol. Schwierigkeiten im 2. Mach. Klagenfurt 1868. p. 69, *Schenz* Einl. p. 381.

12. *Corn. a Lap.* in 2 Mach. 1,11 « Emm. Sa respondet epistolam hanc non habere auctoritatem S. Scripturae, sicut nec alias epistolas Spartiatarum, Romanorum et aliorum hisce libris citatas... Verum hoc durum est dicere. Sic enim idem de toto hoc libro, qui est epistola Iudae et Ierosolymorum ad Iudaeos aegyptios dici posset; quod absit ». At immerito integer liber epistola Iudae esse dicitur; auctor ipse suum librum ab epistolis praemissis diserte distinguit (II. 2,20 sqq.). Ex modernis interpretibus catholicis cum Sa consentiunt *Welte* Einl. p. 43 sq.; *Kaulen* Einl. Ed. 3. p. 289; *Gillet* Les Machabées. Paris 1880. p. 208.

13. *S. Hieron.* in Ierem. 28,10 (M. 24,888).

14. Cfr *Grimm* l. c. p. 23; *Davidson* l. c. III. p. 451. « Proofs that the second letter is spurious, occur in itself, such as the ascription of things done by Zerubbabel and Ezra to Nehemiah (II. 1,18; 2,13) and the citation of apocryphal writings as *Scripture* (II. 2,4). Could the elders of Iudea have been guilty of such ignorance as this? ».

Ipse etiam *Keil* l. c. p. 271 priorem rationem pro decretorio argumento habet : « Von diesen Gründen liefert die Angabe, dass Nehemia den Tempel und Altar erbaut habe, einem unzweifelhaften Beweis für die Unächtheit des Briefes ».

15. Alii monent, verbum οἰκοδομεῖν non de iis solis adhiberi, qui domum vel templum vel murum integrum aedificant, sed in eo aedificando partem quandam habent (*Kaulen* l. c. p. 244); partem autem in restaurando templo Nehemiam habuisse satis probabile est.

159. — Nisi quis igitur praeiudiciis sit imbutus, *historicam* librorum nostrorum fidem agnoscat necesse est, siquidem nullum hucusque allatum est argumentum, quo infirmetur, nedum destruatur. Eorum autem DIVINA AUCTORITAS testimonio Ecclesiae extra omnem dubitationem collocatur. Iudaei palaestinenses libris nostris magnam quidem semper adhibuerunt fidem, adeo ut Fl. Iosephus in suis Antiquitatibus priorem eodem omnino modo, quo libros sacros historicos, adhibuerit et velut ducem suum unicum et certissimum in tota Machabaeorum historia sit secutus, rabbinorum autem palaestinensium sequaces etiam hodie alterius narrationem de martyrio Eleazari et septem fratrum (II. 6,18-7,42) continuo legant[1]; attamen *divinis* Scripturis Palaestinenses eorumque posteri eos non adnumerarunt. Verum in alexandrinorum Iudaeorum canone eos adfuisse vix non est certum, atque Apostoli eos una cum reliquis alexandrini canonis libris Ecclesiae velut divinos tradiderunt. Quapropter *S. Augustinus* Iudaeorum suae aetatis usum respiciens rectissime : « hanc Scripturam, inquit, quae appellatur Machabaeorum, non habent Iudaei sicut Legem et prophetas et psalmos... *sed recepta est ab Ecclesia,* » et alibi « Machabaeorum libros non Iudaei, *sed Ecclesia pro canonicis habet* »[2]. Quoniam S. Hieronymus in Prologo gal. eos inter apocryphos recensuit, etiam mediae aetatis interpretes nonnulli eos apocryphos appellarunt, at eadem cum diligentia, qua reliquos libros sacros, explicarunt, ex illis argumenta sua desumserunt, illorumque apparentes contradictiones enodarunt. Absolute autem reiici coepti sunt saec. 16., quum a Caietano paucisque aliis catholicis, tum maxime ab heterodoxis. Lutherus priorem librum dignum quidem habuit, qui canonicis adnumeraretur, alterum autem tantopere aversatus est, ut illum non esse scriptum desideraret[3]. Ab eo tempore heterodoxi unanimi consensu utrumque reiiciunt, sed contra alterius tantum libri canonicitatem argumenta afferunt. Ecclesia catholica vero antiquae traditioni fideliter inhaerens utrumque sollemni decreto inter canonicos recensuit.

Canonicitatis autem primum argumentum ex *Novo T.* deducitur, in quo ille ipse alter liber, quem praecipue reiiciunt Protestantes, clarum testimonium habet. Praeclara enim Veteris T. exempla afferens eorum, qui propter fidem multa et magna pertulerunt, S. Paulus etiam Elea-

zarum et septem fratres machabaicos commemorat, « qui distenti sunt non suscipientes redemtionem, ut meliorem invenirent redemtionem »[4]. In Patrum apostolicorum operibus, nisi Hermae Pastorem iis adnumeremus, certam allusionem ad libros nostros non invenimus; non pauci autem *Hermam*, si Deum omnia ex nihilo fecisse asserit, verba sua ex nostro libro mutuatum esse arbitrantur; simillima profecto sunt illis, quibus mater fratrum Machab. filium suum minimum natu allocuta est[5]. Ab exeunte deinde saec. 2. in integra Ecclesia abundant testimonia, quibus eorum canonicitas demonstratur. In Occidente enim testes habemus *Tertullianum, SS. Cyprianum, Hippolytum, Hilarium, Luciferum Calaritanum, Ambrosium, Augustinum*, ipsum *S. Hieronymum*; Concilia autem *Hippon.* et *Carthag.*, *S. Innocentius I.* et *Gelasius* eos diserte catalogis sacrorum librorum inserunt[6]. In Oriente rariores sunt testes, sed minime desunt; quin immo omnium scholarum praeclarissimi doctores libris nostris pro auctoritate adhibitis fidem Orientalium ab Occidentalium traditione non dissentire luculentissime demonstrant. Ab exeunte saec. 2. nominasse sufficit ex schola alexandrina *Clementem A., Origenem, SS. Athanasium M., Theophilum A., Cyrillum A.*, ex schola antiochena *S. Chrysostomum, Theodoretum*, quibus addimus Chrysostomi discipulum *Isidorum Pelus.*, ex schola nisibena *S. Ephraem*, qui simul nobis testatur, in antiqua versione syriaca libros nostros non defuisse[7]. Consentientis quoque Orientalium et Occidentalium traditionis testimonium nobis exhibet *Conc. Trullanum*, quod catalogum librorum sacrorum ab africanis conciliis stabilitum recepit sancivitque[8].

Contra prioris libri inspirationem et canonicitatem heterodoxi nihil aliud obiiciunt, nisi illum in Iudaeorum (palaestinensium) canone defuisse; quae obiectio quid valeat, in *Introductione generali* diximus. Plura contra alterum afferuntur, sed levissima: eius narrationem cum priore libro et cum historia certo cognita pugnare, miracula fabulosa et creditu difficilia tradi, nec deesse doctrinas insanas ex alexandrina philosophia haustas. Attamen demonstrata libri historica auctoritate (156. 157. 158.) prima obiectionis pars sua sponte evanescit. Porro quomodo viri, qui protocanonicorum librorum miracula admittunt, in nostri libri miraculis admittendis difficultatem quamcunque inveniant, equidem non intelligo. Num forte Deus, qui Moysis et Salomonis aetate igne coelitus misso gratum sibi esse novum habitaculum manifestavit, Nehemiae tempore ignem coelestem dare non potuit? Num Deo, qui angelo misso Abrahamum impedivit, ne filium suum sacrificaret, et per angelum integrum exercitum Sennacherib destruxit etc., non licuit per angelum absterrere Heliodorum a diripiendo templo aut hostibus contra Iudaeos pugnantibus terrorem incutere? Merito igitur irrident ra-

tionalistae « orthodoxis » illis protestanticis interpretibus, qui ex nostri libri miraculis contra eius canonicitatem argumentantur[9]. Erronearum doctrinarum exempla duo tantum afferuntur. Auctorem enim nostrum cum Philone admittere virtutes quasdam a Deo separatas contendunt, quae immediate in mundo agant, dum Deus ipse in eo immediate agere nequeat[10]. Ad quam obiectionem refutandam sufficit versus adscripsisse, in quibus hic error inveniri dicitur; sunt autem 2 Mach. 3,24. 29 sq. 38 sq.; 14,15. Alteram perversam doctrinam inveniunt nonnulli in Raziae suicidio (II. 14,37); at illud ab auctore referri tantum, non laudari monuerat iam S. Augustinus[11]. Illi demum, qui obiecerunt, librum nostrum non esse nisi excerptum ex Iasonis Cyren. opere historico atque epitomatorem de suo labore ita loqui, ut inspirationem suam disertis verbis neget (II. 2,25 sqq.; 15,39 sq.)[12], ipsa hac sua obiectione demonstrarunt se ignorare quid sit inspiratio; eam enim nec fontium usum prohibere, nec proprium laborem excludere, nec impedire, quominus minus pulchram esse externam libri formam auctor agnoscat, docent omnes theologi.

1. *Fl. Ioseph.* Antiquit. XII. 5. — XIII. 7; *Zunz* Gottesdienstl. Vorträge der Iuden p. 123; *de Voisin* in Raym. Martini Pugio fidei ed. Carpzov p. 128 etc.

2. *S. August.* c. epist. Gaudent. I. 31; de Civ. Dei XVIII. 36 (M. 43,729; 41,596).

3. Lutheri sententias varias de his libris cfr apud *Keil* l. c. p. 278 : « So billig das erste Buch sollt in die Zahl der heiligen Schrift genommen sein, so billig ist diess ander Buch herausgeworfen, obwol etwas Gutes darinnen steht » (Werke. Erl. Ausg. t. 63. p. 107). « Ich bin dem andern Buch (der Mach.) und Esther so feind, dass ich wollt sie wären gar nicht vorhanden; denn sie judenzen zu sehr und haben viele heidnische Unart » (Erl. Ausg. t. 62. p. 131).

4. Quin *Hebr.* 11,35 ad 2 *Mach.* 6,19 sqq. respiciat, dubium non est consideranti ipsa quoque vocabula consentire. *Hebr.* 11,35 ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν οὐ προσδεξάμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν, ἵνα κρείττονος ἀναστάσεως τύχωνται. 2 *Mach.* 6,19 ὁ δὲ τὸν μετ᾽ εὐκλείας θάνατον μᾶλλον ἢ τὸν μετὰ μύσους βίον ἀναδεξάμενος αὐθαιρέτως ἐπὶ τὸ τύμπανον προσῆγε κτλ. v. 22. ἵνα τοῦτο πράξας ἀπολυθῇ τοῦ θανάτου κτλ. Aliae allusiones, quas multas invenit in N. T. *Stier* (Die Apocryphen. Braunschweig 1855. p. 130 sq.), aptum argumentum non praebent.

5. *Hermae* Past. Mand. 1,1. ὁ Θεὸς ὁ τὰ πάντα ποιήσας ἐκ τοῦ μὴ ὄντος. 2 Mach. 7,28 τὰ πάντα ἰδόντα γνῶθι ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν αὐτὰ ὁ Θεός.

6. *Tertull.* adv. Iud. 4 (M. 2,606); *S. Cypr.* Exhort. ad mart. 5; Testim. c. Iud. III. 15 (M. 4,659. 743); *S. Hippol.* De Antichr. 49. (M. PP. Gr. 10,769); *S. Hilar.* in Ps. 134 (M. 9,765); *Lucif. Calar.* De non parc. delinq. (M. 13,958); *S. Ambros.* De Iacob et vita beata II. 10 sqq. (M. 14,632); *S. August.* Doctr. christ. II. 8 etc. (M. 34,41); *S. Hieron.* in Is. 23,2; in Gal. 3,14 (M. 24,201; 26,362). Catalogos Conc. Afric. et Summ. Pontif. cfr *Introd. gener.* Ed. 2. n. 40,2-4. p. 92 sqq.

7. *Clem. Alex.* Strom. I. 21. V. 14 (M. 8,852; 9,145); *Orig.* De princ. II. 1; in Rom. 5,6 etc. (M. 11,156; 14,999); *S. Athan.* in Ps. 78 (M. 37,357); *S. Theoph. Alex.* Ep. pasch. 9 (Inter S. Hieron. epistolas M. 22,820); *S. Cyrill. Alex.* in Ioel. 1,4 (M. 71,333). — *S. Chrysost.* Hom. in Machab.; De consol. mart. 4. (M. 50,617; 56,301 etc.); *Theodoret.* in Dan. 8,10; 11,25 etc. (M. 81,1444. 1517); *S. Isid. Pelus.* Epist.

III. 4 (M. 78 729). — *S. Ephr.* in Dan. 8. et 12 (Opp. syr. II. p. 218 sqq.; cfr etiam Opp. gr. II. p. 118).

8. Cfr *Bevereg.* Synod. Can. Conc. VI. in Trullo c. 2. (M. 137,524). Cfr quae de Patribus, qui deuterocanonicos reiecisse dicuntur, disseruimus in *Introd. gener.* 37. 42 etc. p. 75 sqq. 90 sqq.

9. Cfr *Grimm* l. c. p. 29. « Die von dieser Seite (sc. miraculorum) gegen die Apocryphen (lege : deuterocanonicos libros) geführten Streiche treffen auch den Kanon (sc. protocanonicos libros.), wenigstens den orthodoxen Begriff desselben, damit aber die Grundlage der Orthodoxie selbst. Die Engelserscheinungen unseres Buches stehen nämlich nach Qualität und Zweck denen der (proto-) kanonischen Bücher um nichts nach ». Respondet quidem *Keil* l. c. p. 279 non esse demonstratum, miracula libri 2. Mach. a protocanonicorum librorum miraculis non differre; sed si ipse differentiam quamcunque vidisset, procul dubio eam verbulo aliquo indicasset.

10. *Gfroerer* Philo und die alexandr. Theosophie. Stuttgart 1831. II. p. 53 sqq.; *Daehne* Kritische Darstellung der jüdisch alexandr. Religionsphilosophie. Halle 1834. II. p. 181 sq.

11. *S. August.* c. Epist. Gaud. I. 31 (M. 43,729) : « Laudatus itaque est iste Razias, amator civitatis, ut valde bene audiens i. e. bonae famae, quia pater Iudaeorum appellatus est et quod continentiam tenuerit in Iudaismo. Istam vero eius mortem mirabiliorem quam prudentiorem narravit, quemadmodum facta esset, non tamquam facienda esset, Scriptura laudavit... Non itaque debemus quidquid in Scripturis etiam Dei testimonio laudatos homines fecisse legerimus, consentiendo approbare, sed considerando discernere, adhibentes iudicium non sane nostrae auctoritatis, sed Scripturarum divinarum, quae nos nec illorum hominum, quibus illic bonum ac praeclarum testimonium perhibetur, omnia vel imitari vel laudare facta permittit; si quae non recte ab eis facta sunt, vel huic iam tempori non conveniunt ». Quod si dicitur « elegisse *nobiliter mori* potius, quam subditus fieri peccatoribus », verba haec non ex auctoris, sed ex Raziae mente sunt dicta, qui illam mortem ex errore putavit esse licitam et nobilem; quare merito *S. Augustinus* (l. c.) : « Dictum est, quod elegerit *nobiliter mori* : melius vellet *humiliter*, sic enim utiliter ». Alii excusare volunt Raziam, quippe qui Dei instinctu sese interfecerit; sed non satis apparet, quo fundamento nixi id asserere possimus. Cfr *Serar.* i. h. l.

12. *Horne* Introduction to the Script. I. p. 469 sqq.

§ 42. — *De praecipuis commentariis catholicis in libros Tobiae, Iudith, Esther, Machabaeorum.*

160. — Antiquiores PATRES libros in hac sectione nominatos non sunt interpretati; commentariis enim adnumerare non possumus homilias nonnullas, quas *SS. Gregorius Naz., Chrysostomus, Gaudentius, Augustinus* aliique de Eleazari septemque fratrum Machabaeorum martyrio habuerunt, nec librum, quem *S. Ambrosius* sub titulo « De Tobia » contra usuram conscripsit[1]. Saeculo demum 8. *Ven. Beda* dedit « allegoricam explicationem in librum B. Patris Tobiae », atque insequente saeculo *Rhabanus Maurus* libros Iudith, Esther et Machabaeorum « sensu historico simul et allegorico » explicavit. Glossa *Wal.*

Strabonis in libro Tobiae unicum ducem sequitur Bedam, in tribus aliis Rhabanum[2]; Rhabanus autem et Strabo solam protocanonicam partem l. Esther explicant.

Non maiorem, quam patristica, MEDIA AETAS diligentiam adhibuit istis libris explicandis; praeter commentatores saepius iam nominatos Card. Hugonem, Nic. Lyranum, Dionysium Carth. non invenimus nisi paucas allegoricas explicationes *Hugonis a S. Vict.* et satis utilem commentarium literalem in Mach. libros, qui saepius sub nomine S. Thomae Aquin. editus probabiliter *Thomae Wallensi* vel Anglo adscribendus est[3].

Acrius autem ardentiusque studium in libris nostris defendendis et explicandis poni est coeptum, quando exortus Protestantismus eos e canone eiicere conatus est; hinc AB EXEUNTE SAEC. 16. tantus prodiit commentariorum eruditissimorum numerus, ut solos praecipuos hoc loco nominare possimus. Finem magis scientificum prosequuntur *Nic. Serarius* et *C. Sanctius*, qui omnes libros nominatos explicantes etiam in historicas difficultates diligentissime inquisiverunt, licet non omnes feliciter solverint. Quibus addendi sunt *Iac. Pamelius* et *Bern. de Montfaucon*, qui solius libri Iudith historicam veritatem vindicare studuerunt, atque *F. X. Paxel*, *Er. Froelich* et *Ios. Khell*, qui libros Machabaeorum eruditis suis dissertationibus illustrarunt[4].

Interea alii literali sensu non neglecto praticum usum magis prae oculis habentes copiosiores commentarios in singulos libros ediderunt. Hac ratione bene meriti sunt

de libro Tobiae *Fab. Iustinianus*, *Dav. a Mauden*, *Ier. Drexelius*, *Did. de Celada*, *A. I. Neuville* etc.[5];

de libro Iudith *Did. de Celada*, *Ios. de la Cerda*, *Luc. Vellosus*, *A. I. Neuville* etc.[6];

de libro Esther *Franc. Feuardentius*, *Ioan. Tollenaer*, *Leander Montanus*, *Oliv. Bonartius* etc.[7];

de libris Machabaeorum *Ios. Stephanus*, *Petr. Redanus*, *Ioan. Fullonius*, *Petr. Verhorst* etc.[8].

Quibus si adduntur multi illi, qui saec 16. et 17. floruerunt, commentatores et scholiastae in universas Scripturas, satis patet illam aetatem multo plura, quam omnia praecedentia saecula, ad intelligendos libros hos contulisse. Neque NOSTRA AETAS illam superavit, licet non paucas historicas difficultates accuratius solverit nonnullosque commentarios produxerit, qui optimis iure adnumerantur. Quo praesertim opera illa spectant, quae *H. Reusch* et *C. Gutberlet* de libro Tobiae, *F. X. Patrizi* de consensu utriusque libri Machab., *I. A. Nickes* et *D. Palmieri* de libro Iudithae ediderunt, atque dissertationes nonnullae, quas in tractatu nostro saepe allegavimus[9]. Praeterea omnes

quinque libros *Gillet* gallicis commentariolis instruxit; tres priores autem germanice *Ant. Scholz* interpretari conatus est novam viam ingressus, dum *Flor. de Moor* copiosioribus dissertationibus eorum originem historicamque auctoritatem defendit. Porro in solum l. Esther easque Scripturae partes, quas ad eum pertinere arbitratus est, *I. A. Nickes* opus satis diffusum edidit, eundemque librum brevius explicavit *B. Neteler*, qui etiam de historica auctoritate libri Iudith disseruit[10]. Demum conferri merentur, quae *Herm. Zschokke* de Tobiae uxore, Iudith, Esther ac de matre septem fratrum machabaicorum erudite et pie conscripsit[11].

Protestantici interpretes libros hos, si hebraicum textum l. Esther excipis, fere neglexerunt; utilis est graeca eorum editio, quam curavit *O. F. Fritzsche* (Libri apocryphi V. T. Lipsiae 1871), qui etiam libros Tobiae et Iudith et deuterocanonicas partes l. Esther rationalistico commentario instruxit, dum *C. L. W. Grimm* eodem modo libros Machab. explicavit (Kurzgefasstes exeg. Handbuch zu den Apocryphen l. IV. Leipzig 1851-1857). Commentarium utilem in ll. Mach. edidit *C. F. Keil*. (Leipzig 1875). Reliquos enumerat *Zoekler* Handbuch der theol. Wissenschaften I. p. 188.

1. *S. Gregor. Naz.* Or. in Machab. laudem (35,911 sqq.); *S. Chrysost.* in SS. Machab. orationes tres (M. 50,617 sqq.); *S. Gaudentii* De Machab. (M. 20,948 sqq.); *S. August.* in sollemn. SS. Machab. serm. duo (M. 39,1376 sqq.); *S. Valeriani* de Mach. (M. 51,746 sqq.) etc. — *S. Ambrosii* de Tobia (M. 14,759 sqq.).

2. *Ven. Beda* In l. Tobiae allegorica expositio (M. 91,923-938); *Rhabani Mauri* expositio in l. Iudith (M. 109,539-592), in l. Esther (M. 109,635-670), in ll. Machab. (M. 109,1125-1256); *Walafr. Strab.* Glossa in Tob., Iudith, Esther (M. 113,725-748. in ll. Machab. (M. 114. 64 sqq.).

3. *Hugo a S. Vict.* Allegoriarum in V. T. l. IX. In libros Esther, Tobiae, Iudith, Machab. (M. 175,733-750). — Num commentarius in ll. Machab. adscribendus sit Thomae Wallensi cfr *Quetif et Echard* Scriptores O. Praedic. I. p. 601; *Sixt. Senens.* Biblioth. sacra, ed. Milante I. p. 482.

4. *N. Serarii* S. I. In sacros divinorum Bibliorum libros Tobiae, Iudith, Esther, Machab. commentarius. Moguntiae 1599.; — *C. Sanctii* S. I. In ll. Ruth, Esdrae, Nehemiae, Tobiae, Iudith, Esther, Machab. commentarii. Lugduni 1628.; — *I. Pamelii* Comm. in l. Iudith. Coloniae 1626 (cfr M. 109,592 sqq.); *Bern. de Montfaucon, Froelich* et *Khell* cfr *supra* n. 156 *n.* 2 p. 460 sq.

5. *Fabr. Iustiniani* Congr. Orat. Tobias explanationibus historicis et documentis moralibus illustratus. Romae 1620; — *David. a Mauden* Speculum aureum vitae moralis s. de vita Tobiae tractatus. Antwerpiae 1631; — *Ier. Drexelii* S. I. Tobias morali disciplina illustratus. Antwerpiae 1652; — *Didaci de Celada* Comm. liter. et moral. in Tobiae historiam Lugduni 1644; — *A. I. Neuville* S. I. Le livre de Tobie avec des réflexions morales. Paris 1723.

6. *Did. de Celada* S. I. Iudith illustris perpetuo commentario literali et morali etc. Lugduni 1637; — *Ios. de la Cerda* O. S. Ben. In S. Iudith historiam comment. liter. et mor. Lugduni 1641; — *Luc. Vellosi* S. I. Iudith commentariis paraeneticis illustrata. Lugduni 1649; — *A. I. Neuville* S. I. Le livre de Iudith avec des réflexions morales. Paris 1728.

7. *Fr. Feuardentii* O. M. In l. Esther commentarii praecipue concionatoribus accommodati. Paris 1585; — *Ioan. Tollenaer* S. I. In Estherem comment. Coloniae 1647; — *Leandri Montani* O. Capuc. Comment. liter. et moral. in Esth. Matriti 1647; — *Oliv. Bonartii* S. I. Comm. liter. et mor. in l. Esth. Coloniae 1647.

8. *Ios. Stephani* De bello sacro religionis causa suscepto ad ll. Machab. commentarius. Oriolae 1603. (Partem primam in 1 *Mach.* 1-4 tantum terminavit auctor); — *Petri Redani* S. I. Commentaria historica, aetiologica, anagogica in ll. Mach. Lugduni 1651; — *I. E. Fullonii* S. I. Comm. historici et literales perpetui ad 1. 5 Mach. Leodii 1660; — *Petri Verhorst* Sacrae militiae typus et historia s. Comment. liter. et myst. in 1 Mach. Treviris 1700.

9. *H. Reusch* Das Buch Tobias. Freiburg 1857; — *C. Gutberlet* Das B. Tobias. Münster 1877; — *F. X. Patrizi* S. I. De consensu utriusque l. Mach. Romae 1856.; — *I. Nickes* De libro Iudithae. Vratislaviae 1854; — *D. Palmieri* S. I. De veritate historica l. Iudith. Galopiae 1886.

10. *Gillet* Tobie, Iudith, Esther. Paris 1879. Les Machabées 1880. — *Ant. Scholz* Das B. Iudith eine Prophezie. Würzburg 1885; Comment. zum B. Iudith. 1887, eiusdemque operis Editio 2. retractata. 1896; Comment. zum B. Tobias. 1889; Comment. z. B. Esther. 1892. — *Flor. de Moor* Le l. de Tobie et les premiers monarques sargonides d'Assyrie. Paris 1895; Le l. de Iudith, un épisode de la défection générale des nations tributaires de l'Assyrie. Amiens 1895; Le l. d'Esther, épisode du règne de Xerxès I. Arras 1896. — *I. A. Nickes* O. S. B. De Estherae libro et ad eum quae pertinent vaticiniis et psalmis. Romae 1856-58. 2 voll. — *B. Neteler* Die BB. Esdras, Nehemias u. Esther. Münster 1877; Untersuchung der geschichtlichen und. kanonischen Geltung des B. Iudith. 1886.

11. *H. Zschokke* Die biblischen Frauen des Alten Test. Freiburg 1882. p. 410 sqq

O. A. M. D. G

INDEX